



D-83-74





21-7e

D - 83 - 74

28 - 6







206

C V R S V S  
PHILOSOPHICVS  
CONTINENS SVMVLAS,  
LOGICAM, PHYSICAM, LIBROS DE  
Generatione, & Anima, Cœlo, Mundo, &  
Metheoris pro perficiendis Tyronibus  
excursantibus.

PER COLLEGAM CARMELITANVM  
Sancti JOSEPH Cæsaraugustani, adaptatus,  
& breviatus.

E IDEM Q VE GLORIOSISSIMO PA-  
triarchæ totius Ordinis Carmelitarum, Sacra  
Rituum Congregationis approbatione,  
Patrono designato, pro votis  
dicatus.

CVM DVPLICI INDICE, VNO  
Quæst. & Rerum in fine Logicæ. Al-  
tero carundem in fine  
Physicæ.



CVM LICENTIA:

Cæsaraugustæ : Apud Augustinum Verges , Typ.  
Anno M DCLXXV.



1675

# LICENCIA ORDINIS.

A Vdiiis Vtriusque Universitatis Ca-  
sar-Augusta, & Oscensis, Sacra  
Theologia, Cathedrarijs Nostri Or-  
dinis, Reverendissimis scilicet M.M. Ray-  
mundo, & Dionysio Primarijs M. Abadia  
Sandi Thoma, & M. Gutierrez Durandi.  
Circa utilitatem huius libelli pro reficiendis  
in Philosophia Tyronibus excursantibus, li-  
centiam libenter impartimur, ut typis man-  
dari possit. Datis in nostro Regali Valenti-  
no Carmelo, Die 29. Junij 1675.

Magister Frater Gaspar Navarrus,  
Provincialis Aragoniae.

CEN-

*CENSURA R. P. JOSEPHI ANDRES, Societatis Iesu, Sacra Theologia Primary in suo Collegio Cæsaraugst. Cathedrarij, & S. Inquisitionis Qualificatoris.*

Ex commissione Perillustris Domini D. Lazari Romeo, Vicarij Generalis Sedevacante. Vidi brevis has totius Philosophici Cursus dissertationes, per Collegam D. Joseph in Compendium redactas, & de nervosa eius stylili brevitate, quod laudans Simmachum Vrbis Præfectum sub Theodosio Imperatore protulit Alanus in Anti Claudiano, censeo, nos quoque posse proferre: *Simmachus in verbis parens, sed mente profundus, prodigus in sensu, verbis angustus, abundans mente, sed ore minor: fructu, non fronde, beatus, sensus, dixitias verbi brevitate coarctat.* Eminet namque in minimis maximus esse Collega, dum non solum his, qui parum in Philosophico Cursu profecerunt, vni ipse profert, sed & maximè doctis documenta, quæ discant, & quam obseruent, methodum scribendi speriosissimam præbeat. Id præstant quoque tanti Collegæ præclarissimi Duces, & Antesignani in Academijs Cæsaraugustana, & Oscensi Primas Theologiæ Cathedras Regentis, quibus adde gemina quique ex Carmelo exurgentia lumina, in eisdem Academijs ad se cundas eiusdem facultatis Cathedras Ingenij præclarati radijs illustrandas evicta, in quorum scriptis, tam mira, & tam grandia sunt, quæ feruntur, ut nescias, utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensum. Ita D. Hieronym. proœmio in Epist. ad Philem. Sic sentio, salvo, &c. Cæsaraugustæ in Collegio Societatis Iesu, die 26. mensis Maij, anno 1675.

*Josephus Andres.*

IMPRIMATVR.

D. Lazarus Romeo, U.G.

16810

ATP

*Approbatio P. Valentini Claver è Societate  
Iesu in eiusdem Collegio Cæsaraugustano  
Theologia Professoris.*

**E**x mandato per Illustris Domini D. Gregorij Xulve Regiā Cancellariam Regentis, non sine magna liquidissimā illecebria voluptatis Cursum hunc Carmelitanum evolui, in eoque vidi in Scholasticorum porrigi manus Protoparentis Eliæ flammatum ensem, eo fine utrumque accutissimè elaboratum, ut facili, & felici iactu Philosophiæ nodi resecantur, lauei rescidantur. Utinam, & Tyroneo qui ignaviter, & qui gnauit et strenueque scientiæ Proceres in litteraria gladiatura insudarunt, hunc Philosophiæ gladiū, ne unquam ingeniorum acies hebescerent, dextra, lèvâque manu versarent. Ad nullos in acribus Physiologici pulveris initis conflictibus dubios exitus formidandos, sed certos triumphos sperandos: ergo censeo tantum præsidij in hoc Eliano gladio esse collocatum, ut qui dexterè expediteque eo utantur, nunquam possint, vel premi decer tando, vel opprimi disputando. Supprimitur præ modestia Auctoris nomen: exprimitur tamen maxima præclarissimi ingenij dexteritas, qua hoc usus gladio Auctor optimè de Philosophia benemeritus strenue in litteraria palestra dum cum plausu est digladiatus. Nolunt sint qui hunc Cursum accusent, intempesti vi consilij susceptum laborem appellant, inanem, vacuum, & abs re in tam abundantí seculo, inproperè conatum: tot enim inter eximios Physiologicarum sphingum cedipos indignus erat hoc uno labore orbis ad quosq; plenè plane, facile omni, & exacta Philosophiarū questionum notitia inbuendos, & informandos. Opus ergo adeò utile, & fidei consonum dignum est quod typis, & cedro mandetur. Cæsar-Augustæ in prædicta Societatis Iesu Collegio, die 28. Junij, anno 1675.

*Valentinus Claver.*

**IMPRIMATVR.**

*Xulve Reg. Cancellar.*

**SV.**

## SVMVLÆ.

## DISPVT. I. DE TERMINO.

## SECTIO I. ALIQUA NOTANTVR.



OTA 1. quod Logica est quasi quædam Magistra sapiens, docens filios suos argumentari, & veritatem investigare. Sed quia argumentationes sunt ex quibusdam orationibus, & istæ ex terminis, ideo prius agit de terminis.

2. Nota 2. terminum multipliciter summi. 1. summitur pro fine intento, ut gloria dicitur terminus hominis iusti. 2. summitur pro initio, vel fine, aut signo divisionis alius rei, v. g. lapis in extremo campi dividit unum terminum ab alio. 3. summitur pro modo loquendi, ut dum dicimus de aliquo, quod procedit rusticus termino. Hinc sequitur in hoc tractatu terminos vocari voces illas, vel dictiones, quibus in suis orationibus logica utitur. Orationes vero sunt loquitiones compositæ ex multis dictiōibus congrue se habentibus.

3. Nota 3. has orationes logicas esse propositionem, definitionem, divisionem, & argumentationem. Propositione est, in qua unum affirmatur, vel negatur de alio, v. g. Petrus est homo, ly Petrus est subiectum, quia subiectus homo; homo vero qui dicitur de Petro vocatur prædicatum. Est est nexus vniuersitatis subiectum cum prædicato. Hæc propositione Petrus currat, idem est ac Petrus est currens, & hoc est prædicatum.

4. Definitio est: oratio explicans esse rei, id est primarium, & mediu[m] atque naturam rei per genus, & differentiam. V. g. homo est animal rationale; homo vocatur definitum, & animal rationale definitio. Animal est genus, quia per illud convenit homo cum alijs animalibus. Rationale est differentia, quia per illud differt. Divisio autem est: oratio explicans rem partiendo illam in suas partes, ut hominis alia pars corpus, alia anima.

5. Nota 4. præcipuam orationem logicam esse argumentationem, quæ est: oratio consensus propositionibus, quarum una inferitur ex alia. Quando propositiones sunt tres, vocatur syllogismus; & prima propo-

# Disputatio I.

*sitio maior, 2. minor, 3: consequentia: Ut omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Quando vero sunt dux, vocatur entimema; & prima propositio vocatur antecedens, secunda autem consequentia.*

## SECTIO II. VARIÆ DEFINITIONES TERMINI.

**6** Prima definitio termini est: *Id in quod resolvitur propositio tanquam in subiectum & predicatum:* hoc enim est quod maner destruta propositione. Contra: nam hic non est conceptus qui prius concipitur: ergo definitio hæc non ex bona. Prob. antecedens, nā prius est terminum componere propositionem, quam quod propositio resolvatur; ergo definitur per conceptum subsequutum. Confirmatur, nā prius est parietes componere domum, quam quod domus resolvatur in parietes: ergo non est primarius conceptus termini resolutio propositionis.

**7** Arriaga definit sic terminum; *Extrema propositionis.* Contra, quia non convenit extremo definitionis. Respondet in definitione non dari terminum, nam solum datur terminus ubi datur medium. Contra, quia hoc verbum *ante* & *vero*: ergo & terminos; sed in eo, non datur medium: ergo & in definitione, dabatur terminus, licet non detur medium.

Tertia definitio est: *Signum ponibile in propositione.* Contra, nam cōvenit vniōni, & vniō non est terminus. Deinde etiā adverbia sunt signa ponibilia in propositione, & non sunt terminus ut insta probabimus.

**8** Quarta definitio est: *Signum compositivum propositionis Cathegorica.* Nota propositionem Cathegoricam esse, quæ componitur ex subiecto, & predicato simplici ut *Petrus est homo*: hypotetica est, quæ pro subiecto habet unam propositionem integrām, ut *hec: omnis homo est animal est propositio*. Hoc posito, impugnatur predicta definitio, quia non convenit terminis propositionis hypotetice: ergo est diminuta. Deinde non explicat terminos syllogismi, distinctionis, & divisionis: ergo est mala.

Quinta definitio est. *Pars per se orationis.* Contra, nam convenit terminis, orationis Grammaticæ, Reticæ, &c. ergo convenit alijs à definito. Prob. nam termini Grammatici sunt partes per se orationis: ergo.

**9** Sexta definitio est cuiusdam recentioris definientis terminum  
sic:

sic: Extremum artificij logici: Contra, nam hæc definitio non est clarior suo definito, siquidem magis dubitari potest, quid sit extreum artificij logici, quam quid sit terminus: ergo est mala.

Septima definitio est: pars per se syllogismi compositiva. Contra, nam per hanc definitionem non explicantur termini propositionis, & definitionis &c. Sed sunt veri termini: ergo non est bona. Probatur maior: nam termini divisionis non sunt syllogismi partes compositivæ: ergo &c.

10 Sit conclusio: Terminus definiendus est: pars per se orationis logica. Probatur per partes: particula pars est verum genus siquidem per illam convenit, cum terminis physicis, grāmaticis, & alijs qui sunt partes per se orationis logica & differt ab illis: ergo habet verum genus, & differentiam. Particula per se ponitur, ut terminus logicus differat ab adverbij, quæ non sunt termini, quia nunquam per se ingrediuntur orationem, sed ratione subjecti & prædicati. Probatur conclusio; nullus est terminus physicus, qui non sit pars per se totius physici: ergo nullus est terminus logicus, qui non sit pars per se totius logicæ.

11 Obijcies 1. propositio mentalis habet terminos logicos: sed non sunt partes, siquidem est indivisibilis, & non ex partibus coalescit, alias esset in eas divisibilis: ergo ruit nostra definitio. Resp. distinguendo: termini propositionis mentalis non sunt partes realiter, & physicè distinctæ concedo: formaliter, & mente distinctæ nego, & hoc sufficit ut illis conveniat, tanquam partibus ratio termini.

Obijcies 2. simplicissima apprehensio est terminus, & non est pars: nullam enim componit orationem logicam: ergo &c. Resp. negando min. quia licet non componat, potest tamen componere, in quo partis consistit essentia.

## SECTIO III.

### ALIQUÆ DIVISIONES TERMINI DECLARANTVR.

12 Duiditur terminus in mentalem & vocalem: mentalis est actus intellectus, vocalis est vox componens. Dividitur 2. in ultimatum & non ultimatum: ultimatus est perfecta notitia signi & rei significatae per signum; non ultimatus est imperfecta cognitio rei significatae: V.g. hic terminus Petrus est ultimatus scienti essentiam Petri, & non ultimatus illam ignorantis. Dividitur 3. terminus in directū & reflexum; directus est cognitio obiecti tantum, ut cognitio Petri: re-

## Disputatio I.

flexus est quando vna cognitio supra semetipsam reflectit, vt cognitio cognoscens se cognoscere.

13 Divitetur 4. terminus in concretum & abstractum: primus est terminus significans formam & materiam in compoſitione, vt album: secundus, significans unam ex partibus, vt abstractam à subiecto, vt albedo: Dividitur etiam terminus in significativum, & non significativum. Primus est qui significat aliquid distinctum ab ipsa voce, vt homo significat hominem distinctum à suo nomine. Secundus est qui nihil significat distinctum à voce, vt: blisticus: qui nullam habet significationem.

14 Dividitur 5. terminus in singularem & universalem. Primus est qui significat rem particularem, vt Ioannes. Secundus est, qui in se plura cum confusione comprehendit, vt ens. Dividitur etiam in positivum, privativum, & negativum. Primus est qui significat entitatem possitivam, vt albus. Secundus est, qui significat carentiam alicuius formae in subiecto apto, vt cæcitas in Petro. Tertius est, qui significat carentiam formae in subiecto incapaci illam habendi, vt carentia vissus in lapide.

15 Dividitur terminus in cathegorematicum, qui est ille, qui per se ingreditur in oratione, aut per se potest esse subiectum, aut prædicatum, vt Paulus est homo: si cathegorematicus est, qui solum ad latus alterius, vel titulo alieno occupat propositionem, vt nullus leo est Deus; ubi ly nullus ita ingreditur in propositione, vt si deficeret substantivus leo innanem & vacuum sensum redderet,

16 Dividitur etiam in transcendentem & non transcendentem. Primus est, qui significat rem quæ imbibitur in inferioribus, ita ut non possint concipi absque illa, vt ratio entis: non transcendentis est, qui hoc non habet. Dividitur vterius in finitum, & infinitum: finitus est, qui significat aliquid determinate finitu, vt mensa, Petrus: infinitus est, qui significat res omnes preter illam quæ non negat, vt: non homo: qui solum hominem excludit à significato. Dividitur denique in complexum & in incomplexum complexus est, qui copulatur cum alijs vt Petrus, & Franciscus: incomplexus est significans unam tantum entitatem, vt Ioannes..

Dubitabis: an divisio termini in mentalem, & vocalem sit adæquata, & immediata? Non est adæquata, quia datur terminus scriptus non comprehensus tali divisione. Neque est immediata, quia immediatus dividetur in terminum internum, & externum,  
& postea externus in vocalem, &

scriptum.

## *Disp. 2. de propriet. termini.*

1

### DISPVITATIO II.

#### DE PROPRIETATIBVS TERMINI LOGICI.

##### SECTIO I. DE SVPOSITIONE.

17 **N**oto: supponere pro alio idem esse, ac ponere loco alterius, ut Prorex pro Rege supponit, quia ponitur loco illius, & prestat munera Regis. Noto etiam, voces supponere pro conceptibus, & pro rebus. Probatur, nam voces prestant, quod res, & conceptus debent præstare, siquidem excitant & mobent, quod est, quod res & conceptus efficerent, si præsentes essent: ergo supponunt, &c.

18 Arriaga sic definit suppositionem; positio. vocis loco conceptus ad ipsos conceptus manifestandos. Contra: nam hæc definitio non convenit suppositioni, quam habent conceptus loco rerum: ergo cum non conveniat omni suppositioni, non rectè explicat essentiam suppositionis ut sic. Probatur, nam solum definit suppositionem vocum loco rerum, &c.

19 Alter Recentior sic definit suppositionem: exercitium termini logici pro alio. Cōtra, nā suppositio est proprietas termini, sed essentia termini non consistit in exercitio, ergo nec esse suæ proprietatis. Probatur etiam in homine qui non stat in exercitio discurrendi, sed in ipsa potentia: ergo nec suppositio. Alias similes definitiones omitto, quia impugnantur prædictis impugnationibus fācis contra præcedentes duas definitiones.

##### SECTIO II. QVID SIT SVPOSITIO, ET QVOTIPLEX.

20 **D**efinienda ergo est suppositio: positio obiecti logici pro alio. Cuius rectitudo probatur ex eo, quod convenit omni suppositioni, & soli; nam differt ab eo quod nō est suppositio: & deinde constat rigoroso genere proximo, & differentia, ergo est bona.

21 Dividitur suppositio in materiale formalem, & mixtam. Materialis est cum aliqua vox significat se ipsam, ut vox blistrī, quæ nihil ad placitum significat: suppositio formalis est, quæ significat aliquid à se distinctum, ut vox Petrus, quæ significat naturam humanam distinctam ab ipsa voce: mixta est, quæ significat semetipsam, & aliquid distinctum habens aliquid de formalī, & aliquid de materiali: v.g. homo est ens, quæ loquio partim est materialiter supponens, propterea vox

## Disputatio II.

**v**ox *ens* significat semetipsam,nam ipsam est *ens* , & de formalis ha-  
bet prout hominē significat distinctum à se.Sed impugnatur sic suppo-  
sitio materialis:nam essentia suppositionis est poni loco alterius : sed  
nulla res est altera à se:ergo nec potest poni loco sui & sic nequit es-  
se suppositio sui.

### SECTIO III. DE ASCENSY, ET DESCENSY.

22 **T**Oletus sic definit ascensum: progressio à singularibus: vt  
cum dicimus:hic ignis calefacit,& ille calefacit:ergo omnis  
ignis calefacit.Descensus definitur, è contra: progressio ab vniuersali  
ad particularia,vt quando dicimus:omnis ignis calefacit:ergo hic , &  
ille ignis calefaciunt.

23 Ascensus & descensus sunt in quadruplici differentia: copula-  
tivus,copulatus,disiunctivus,& disiunctus.Copulativus est progressio  
à singularibus copulative,vt in exemplo supraposito:hic vel ille ignis  
calefacit:ergo omnis ignis calefacit.Huic ascēsui correspondet descē-  
sus copulativus,v.g.omnis ignis calefacit;ergo hic ignis,ille,& ille ig-  
nis calefacit. Ascensus copulatus est , progressio à singularibus,nullo  
dempto de collectione,v.g.hic Apostolus Dei , & alter , & alter sunt  
duodecim:ergo omnes Apostoli Dei sunt duodecim. Huic ascēsui cor-  
respondet descensus copulatus,vt cum sit progressio ab vniuersali ad  
omnia particularia,collectivè enumerata,v.g.omnes Apostoli Dei sūt  
duodecim:ergo Petrus,Andreas,& reliqui sunt duodecim. Ad verita-  
tem huius ascensus & descensus debent numerari omnia inferiora:ali-  
ter enim falsificaretur.

24 Ascensus disiunctivus est progressio à singularibus disiunctivè  
sumptis,v.g:hic equus , vel alter equus currit : ergo aliquis equus  
currit,& hæc cōseq.potest inferri,licet solū sit vñus equus qui currat.  
Huic ascēsui correspondet descensus disiunctivus,v.g.aliquis equus  
currat:ergo vel hic equus vel alter equus currit:quæ conseq. rectè in-  
fertur,licet solus sit vñus equus,qui currat.

25 Ascensus disiunctus est : progressio à singularibus disiunctivè  
enumeratis,v.g.hic equus , vel alter equus requiritur ad equitandum:  
ergo equus requiritur ad equitandum. Cui ascēsui correspondet si-  
milis descensus,v.g.equus requiritur ad equitandum:ergo hic  
vel ille equus requiritur ad  
equitandum.

(†)

SE-

# De proprietat. termini.

7

## SECTIO III.

### DE ALIIS PROPRIETATIBVS TERMINI LOGICI.

26 **H**ic investigatur quid sit status, quid sit restrictio, ampliatio alienatio. Status communiter definitur: acceptio termini pro tempore significato per Verbum, ut in hac propositione: Petrus sedens quiescit, ubi Verbum: sedens: ponitur pro praesenti.

27 Ampliatio est extensio termini pro diverso tempore ab illo, quod significat Verbum, ut in hac propositione: Petrus dormiens scribit, ubi terminus dormiens patitur ampliationem, nam accipitur pro praeterito, & scribit pro praesenti, & facit hunc sensum: Petrus qui antea erat dormiens, nunc scribit.

28 Restrictio est coarctatio maioris ad minorem significationem, ut in hac propositione: omnis homo qui currit mobetur: ubi licet ly: omnis homo: significet omnes homines: absolutè, per ly, qui currit: coarctatur ad significandum currentes solum.

29 Alienatio est transitus, vel progressio à propria significatione ad impropriam: ut homo pictus: ubi terminus: homo: propriè loquendo solum significat verum hominem, tamen addita particula: pictus: significat hominem improprium.

30 Diminutio definitur; positio dictio minuentis significacionem termini, v.g. omnis homo doctus scribit, ubi terminus: doctus: minutus sensum quem absque eo redderet ly omnis homo, qui cum illa particula significat solum homines doctos.

31 Appellatio est denominatio, qua una dictio aliam denominatur, v.g. Petrus est dialecticus, ubi dialecticus appellat Petrum scientem in logica.

## DISPUTATIO III. ET SECTIO I.

### DE NOMINE.

32 **A**ristoteles sic illud definivit: vox significativa ad placitum sine tempore: sed haec potius est explicatio nominis, ut sic, quam definitio nominis logici. Quia propter sic illud definim⁹. Dictio logica per se significans ad placitum sine tempore. Probatur nam per particulam dictio convenit cū notis, verbis, & adverbījs, quæ nō sunt nomina: per particulam: logica: differt à nomine grāmatico &c. per particulam: sine tempore: differt à Verbo.

Obij-

## Disputatio III.

33 Obijcies: hæc nomina dies, mensis, annus, &c. non comprehen-  
duntur sub hac definitione: nam significant, cum tempore: ergo nostra  
definitio est diminuta. Resp. prædicta nomina solum significare tem-  
pus, non vero cum tempore.

34 Dices: hæc alia prandium, cena &c. significant aliquam actionem  
in tempore determinato: ergo significant cum tempore, & sunt nomi-  
na. Resp. non significare cum tempore præsenti præterito, aut futuro,  
quod requirebatur, ut non essent nomina & essent verba.

35 Obijcies 2. nostra definitio non convenit nominibus mentalibus:  
ergo est mala. Quod dentur nomina mentalia patet, nam datur ora-  
tio mentalis constans partibus: ergo dantur nomina. Resp. non dari  
nomina in intellectu Patet; tum quia non dantur voces; tum quia no-  
mina non debent significare per se, sed ad placitum, quod repugnat  
actibus intellectus; tum quia multoties concipimus aliquam rem, & ig-  
noramus illius nomen: ergo quia in mente non dantur nomina.

### SECTIO II. DE VERBO.

36 Aristoteles sic definit illud: vox significativa ad placitum cū  
tempore: sed hæc est potius explicatio quam definitio pro-  
pria; nam verba scripta non sunt vox, & sunt vera verba logica: ergo  
sic male definitur omne verbum.

37 Verbum ergo sic debeat definiri: dictio logica per se significans  
cum tempore; per particulam dictio convenit cum notis, & adverbiosis,  
per ly: logica: differt ab omni illo, quod non est verbum logicum: ergo  
est recta definitio.

38 Obijcies 1. si Deus diceret: ego sum ab æterno; ly sum non sig-  
nificaret cum tempore, & esset verum Verbum: ergo non est de essen-  
tia Verbi significare cum tempore. Resp. distinguendo: non significa-  
bat tunc cum tempore reali, concedo: non significabat tunc cū tempore  
imaginario, nego: & cum sit hoc tempus, iam significabat cum tempo-  
re. Resp. 2. in sententia negante tempus imaginarium, concedens non  
significare, cum tempore: hoc tamen provenire non ex defectu Verbi,  
sed ex defectu temporis quod deficiebat, nam ab æterno non dabatur  
tempus, & sic quoad sufficientiam tunc cum tempore iam significa-  
bat. Quælibet responso est elligibilis.

39 Obijcies 2. participium: amans: est nomen: sed huic convenit sig-  
nificare cum tempore: ergo non est de essentia Verbi significare cum  
tempore. Resp. quod participia sunt quasi integræ propositiones, nam  
hoc

hoc participium:amans:idem significat,ac ille qui amat,& amabat,& sic est virtualiter oratio composita ex nomine & verbo,& quatenus est nomen significat sine tempore,& quatenus est verbum significat cum tempore ex vi æquivalentia: ergo cum utrumque habeat,debet utriusque constitutivo gaudere.

## SECTIO III. DE ORATIONE LOGICA.

40 **A**ристoteles sic definit eam:vox significativa ad placitum cuius partes separate significant ut dictiones , non autem ut affirmaciones, vel negationes. Sed est potius explicatio orationis hæc quam definitio. Quod probatur. 1. quia non convenit orationi mentali & scriptæ, quæ non sunt voces. 2. quia non convenit syllogismo, si quidem illius partes separatae iam significant ut affirmaciones, vel negationes : sed hæc sunt orationes:ergo &c.

41 Arriaga sic explicat orationem:congruentia nominis cum Verbo. Et alij sic definiunt: dictio constans partibus congrue se habentibus. Sed contra,nam istæ definitiones non potius explicant orationes logicas , quam grammaticas : sed est vitium in definitione transgredi metas definiti:ergo hec sunt viciose. Deinde prima definitio non explicat orationem intellectualem,nam in intellectu non dantur nomina,& datur oratio. Tandem etiam secunda definitio convenit huic nominis grammatico *res publica*,in quo sunt plures dictiones congruae se habentes,neimpè res,& publica:quæ sunt duæ distinctæ dictiones , sed non sunt oratio logica:ergo &c.

42 Definienda ergo est oratio logica : dictiones logicae congruae. Per particulam dictiones convenient omnes orationes grammaticæ, rhetoricae ,&c. Per particulam logicæ differunt ab oratione grammatica,nam illæ non sunt logicæ congruae,sed grammaticæ congruae.

43 Diuiditur oratio in perfectam , & in imperfectam:perfecta est, quæ generat perfectum sensum,vt Petrus est homo:imperfecta est, que non generat perfectum sensum , vt istæ orationes:an Petrus sit homo, an Paulus legerit.

## DISPUTATIO III. ET SECTIO I.

## DE MODO SCIENDI, ET DE EIUS SPECIEBUS.

44 **C**ommuniter definitur modus sciendi; oratio ignoti manifestativa. Sed contra, nam hic debet definiri modus sciendi

di logicus, prout differt à grammatico; sed nulla est particula, per quā comprehendatur modus sciendi logicus ut distinctus à grammatico: ergo male definitur.

45. Definitur ergo modus sciendi ut sic: Manifestatio ignoti. Vnde modus sciendi logicus erit: manifestatio logica ignoti. Probatur; nam nullus est modus sciendi, qui non sit manifestatio ignoti, nec nulla est manifestatio ignoti, quæ non sit modus sciendi: ergo bene ita definitur. Adverte tamen quod illa particula: manifestatio: non debet sumi pro actuali manifestatione, sed pro potentia & virtute ad manifestandum.

46. Omnis conclusio, omnis definitio, divisio, & syllogismus sunt in nobis modus sciendi. Probatur, nam sunt orationes, quæ nobis manifestant ignotum, & per conclusionem patefit nobis, quod per præmissas non tam notè noscebamus: per divisionem, definitionem & syllogismum sine dubio intellectui obiecta notius representantur quam antequam illis vteretur: ergo sunt modus sciendi.

47. Hic dubitatur, vtrum in Deo detur modus sciendi? Resp. sub distinctione, vel intelligitur pro modo sciendi, quod tollit ignorantiam, vel quod potest tollere illā, si esset. Primo modo est impossibile, quod in Deo detur modus sciendi, quia est impossibile, quod in Deo detur aliqua ignorantia, vel cognitio confusa. In secundo sensu, si modus sciendi summatur pro cognitione clara, nullam tollens obscuritatem vel ignorantiam, si et talis ignorantia sit possibilis, vel impossibilis, tunc cognitio Dei est modus sciendi, quia est tam perfecta & clara expressio obiecti, vt si per possibile, vel impossibile posset dari ignorantia in Deo, fugaretur ab illa cognitione, quo modo sic explicato iam datur in Deo modus sciendi.

48. Obijcties primo: in Deo non potest dari ignotum: ergo cognitionem Dei nequit esse manifestatio ignoti, & sic nec modus sciendi. Resp. cognitionem Dei esse manifestationem ignoti quoad sufficientiam, licet non quoad efficaciam. Explico distinctionem. Tollere ignorantiam quoad efficaciam est evellere aliquem errorem, qui in re est in subiecto, per aliam notitiam expressiorem, qua pœnitus expellitur: hoc repugnat Deo, nam est incapax talis erroris, vel confusionis.

49. Quoad sufficientiam est, quando datur in aliquo vnica cognitione tam clara, vt ex se habeat eminentem virtutem ad expelendum, & vitandum quemcumque dubitationis scrupulum, non vero actu expellit, nec actu vitat, nam repugnat, quod actu detur: Vires tamen & virtutem habet in se ad illud expellendum, si daretur, qua igitur parte non supponit in Deo errorem, est dabilis talis modus sciendi. SE-

**SECTIO II. DE DEFINITIONE.**

50. **A**RISTOTELES definivit definitionem : oratio explicans naturam, & essentiam rei. Et alter REE. sic modus sciendi explicans naturam & essentiam rei, quæ duæ definitiones levissima hac impugnatione evanescunt; nempe quod cōstant particula superflua, qua parte natura & essentia sunt sinonoma, & sic vel superfluit natura dicendo: essentia, vel essentia, si ponitur natura, quia sunt idem.

51. Definitio ergo optimè definietur : modus sciendi logicus essentia. Quæ definitio est recta quia convenit omni, & soli definitioni. Dices, quod hæc definitio convenit demonstrationi: ergo alijs à definito. Respondeo convenire illis demonstrationibus, quæ sunt definitiones, non vero reliquis; hinc autem perperam infertur, quod conveniat alijs à definito. Cum etiam demonstrationes illæ comprehendendi debeant sub illo.

52. Obijcies: hæc vox *homo* explicat essentiam hominis, & non est definitio: ergo &c. Resp. non explicare essentiam hominis clare, & per prædicata constitutiva in ordine ad connotata infallibilia: cum ergo hoc requiratur ut explicetur per definitionem, hinc est, quod vox *homo*, non erit definitio hominis, nec illi conveniet ratio definitionis.

**SECTIO III. QUOTVPLEX SIT DEFINITIO.**

53. **D**ividitur definitio in definitionem nominis, & definitionem rei. Prima est quæ explicat essentiam nominis. Secunda, quæ explicat essentiam rei. Dividitur etiam in essentialē, quæ est quæ explicat essentiam. Et in proprietativam, quæ est, quæ explicat essentiā per proprietates, ut animal risibile. Et in accidentalem ut quæ explicat essentiam per accidentia, ut animal vipes implume.

54. Dico primò: definitiones proprietativas & accidentales nō esse propriè definitiones, nam non explicant essentiam; quia accidentia & proprietates sunt extra essentiam; vnde solum erunt definitiones descriptive.

55. Dividitur etiam definitio in physicam, & metaphysicam. Prima est, quæ explicat essentiam per partes, quæ realiter, & physicè distinguuntur, ut hominem per materiam, & formam: metaphysica est, quæ explicat essentiam per partes indistinctas, licet formaliter distinctas, ut animal rationale.

56. Obijcies: una solum habet unam essentiam: ergo unam de-

finitionem. Concesso anteced. distingo cōseq. ergo vnam definitionem obiectivam, concedo; formalem, nego: Nam respectu vnius indivisibilis essentiae benè possunt dari plures exemplificationes formales, ac per consequēs, & plures definitiones, nempē Physica, & metaphysica.

## SECTIO III. DE REGVLIS BONÆ DEFINITIONIS.

57. **P**rima regula est, quod constet genere & differentia. 2. est quod definitum convertatur cum definitione & definitio cum definito, vt homo est animal rationale, & animal rationale est homo.

58. 3. Regula est, quod definitio sit clarior definito, quia eius essentia stat in eo quod sit oratio explicans essentiam definiti. Sed si definitio non esset clarior, vel si esset æque confusa, ac definitum, hoc non verificaretur: ergo essentialiter definitio petit, & debet esse clarior definito. 4. Regula est, vt nihil deficiat, vel sit superfluum in definitione, quia solum debet constare particulis sufficientibus, & tantum necessarijs, vt essentia manifestetur. 5. Regula est, vt sit brevis, sed non tam brevis vt confussionem parturiat. 6. Regula est, vt definitio tradatur per genus proximum: Ratio est, quia genus remotum, qua parte habet nimiam indifferentiam, explicat minus definitum intentum, si- cut animal licet se extendat ad aliud præter hominem aptius est ad explicandum hominem, vt genus illius, quam sit ens, hoc enim valde indifferens est.

## DISP. V. ET SECT. I. DE DIVISIONE.

59. **D**ivisio recte definitur: *Modus sciendi logicus totum in suas partes distribuens*: per particulas: modus sciendi logicus convenit cū definitione, propositione, &c. per aliās particulas difert ab illis, & ab omni alio, quod non est divisio logica: ergo.

60. Duplex divisio datur, physica nempē & metaphysica: physica est, quando aliquod totum in partes realiter distinctas desmembratur, vt quandō homo dividitur in corpus, & animam. Metaphysica est, quando vna & indivisibilis entitas realis intentionalí acumine partitur in formalitates metaphysicē distinctas, vt Deus in ens, &c. in: à se.

Divisio vna est integralis, quæ fit per separationē partiū extra essentiam perficientium totum, vt divisio hominis in manus, pedes, brachia, &c. Divisio essentialis est quæ fit in partes essentiales, vt divisio hominis in corpus, & animam.

Quæ-

61 Quæres: quæ sint regulæ bona divisionis? Resp. esse sequentes. I. est, quod membra dividentia sint inter se distincta, quia homo nequit dividiri in unam partem, quæ est corpus, & in aliam, quæ est corpus, nam non distinguntur.

Secunda est, quod unum membrum dividens excludat aliud, aut non continetur in alio, ut anima non continetur in corpore, nec corpus in anima. Tertia est, quod membra dividentia exhaustant totum divisum, ita ut divisum nullam aliam partem comprehendat, quam non secaverit dividens. Quarta est, ut singula membra divisionis non continant tantum quantum continet divisum, & quod simul sumpta divisa contineant magis, quam ea disiuncta.

SECTIO II. *An divisio distinguatur à definitione.*

62 **V**Trum nempè hæc definitio Animal rationale distinguatur ab hac divisione: hominis alia pars est animal, & alia rationale; & in eodem sensu procedit questio de physica.

63 Resp. distingui definitionem metaphysicam à divisione physica praedicta. Probatur nam divisio non attingit totam essentiam sicut definitio, nam essentia hominis non stat solum in animali, & rationali, siquidem si animal bruti vniuersitur cum Angelo daretur animal rationale, & non daretur homo: stat ergo in animali, & rationali cum identitate: quomodo ergo definitio illa ita attingit, & divisio non (sed immo cum distinctione dividente inter se animal, & rationale) hinc est, quod distinguntur. Et idem eadem ratione defendo de physica definitione, & divisione.

64 Obijcies: qui explicat essentiam partium explicat essentiā totius: sed divisio partium essentialium hominis explicat essentiam partium: ergo totius: & sic erit tam definiens divisio, ac definitio. Resp. distinguendo: qui explicat essentiam partium explicat essentiam totius, si essentia totius solum sistat in partibus concedo: si consistat non solum in illis, sed in illis cum aliqua alia modificatione essentiali, quæ non explicatur, nego: cum ergo essentia hominis stet in animali & rationali prout sunt idem inter se, & non explicitur hæc identitas in divisione, sed explicitur distinctio; hinc est, quod divisio non sit definitio.

(\*\*\*)

*Disputatio VI.*

## DISPUTATIO VI. ET SECTIO I.

## DE PROPOSITIONE.

65. **P**ropositio idem est ac enuntiatio, & definitur ab Aristotele: *oratio verum, vel falsum significans*: Hæc tamen definitio communiter deseritur, quia traditur per disiunctionem, quæ in rerum essentijs explicandis uitanda est.

66. Hurtado, & Arriaga sic definiunt propositionem: *actus indicativus*. Contra, nam propositio vocalis & scripta sunt verè propositiones: sed non sunt actus, nam isti solum in intellectu dantur, ergo, &c.

67. Definitur ergo, propositio sic: *modus sciendi logicus indicativus* per particulam *modus sciendi logicus*, convenit cum reliquis orationibus logicis, quæ non sunt propositio: per *ly indicativus* differt ab illis, & ab omnibus reliquis, quæ non sunt propositio.

68. Quæres, an in propositione negativa detur copula? Resp. sub distinctione: nam si copula intelligatur pro determinatione intellectus in affirmatione vel negatione, datur vera copula in propositione negativa: si vero sumatur pro nexus extermorum, qui ea idētificat aut vnit, non datur, immo datur contrarium.

## SECTIO II. QUOTUPLEX SIT PROPOSITIO.

69. **I**n propositione dantur tria: datur materia, quæ est obiectum circa quod propositio tendit: datur quantitas, quæ est maior, vel minor extensio propositionis, universalitas, aut singularitas illius: datur qualitas, quæ est veritas vel falsitas propositionis: aut, ut alij volunt, affirmatio, aut negatio propositionis.

70. Propositio ratione materiæ dividitur in necessariā, impossibiliem, & contingentem. Tunc propositio est necessaria, aut in materia necessaria, quando prædicatum necessario convenit subiecto, ut homo est animal. Propositio in materia impossibili est, quando prædicatum adhuc divinitus nequit convenire subiecto, ut hæc Petrus est lapis. Propositio contingens, aut in materia contingentia est, quando prædicatum est indifferens, ut conveniat, vel non conveniat subiecto, ut homo est albus.

71. Propositio ratione quantitatis dividitur in universalem, particularem, singularem, indefinitam: Universalis propositio est, cuius subiectum afficitur nota universalis, ut in hac propositione: omnis homo

est animal. *Propositio particularis* est, cuius subiectum afficitur nota particulari, ut aliquis homo est albus. *Singularis* est, quæ constat subiecto singulari, ut hæc: Petrus est homo. *Indefinita* est, quæ constat subiecto universalis, carente nota, ut homo est animal.

72 *Propositio indefinita* in materia necessaria est universalis, at vero in materia contingenti est particularis. *Ratio* est, quia in materia necessaria prædicatum convenit omnibus singularibus aut inferioribus, nam idem est: homo est animal, ac sit, omnis homo est animal; at vero in materia contingenti idem est ac particularis, ut in hac propositione: homo est albus, quæ reddit hunc sensum: aliquis homo est albus.

73 Datur *propositio secundi adiacentis*: & est illa in qua prædicatum est Verbum, ut: Petrus currit, & tertij adiacentis, in qua Verbum non est prædicatum, ut Petrus est animal.

74 Dividitur *propositio* in *absolutam*, & *modalem*: *absoluta* est, quæ solum denotat prædicatum convenire absolute subiecto, id est absque aliquo modo, ut Petrus est animal. *Modalis* *propositio* est, quæ non solum dicit prædicatum convenire subiecto, sed dicit etiam modum quo convenit, ut Petrus contingenter currit, ubi non soli dicit cursum convenire Petro, sed dicit modum quo illi convenit, nempè cum contingentia.

75 Dividitur *propositio* in *formalem* & *identicam*: *formalis* est quando subiectum & prædicatum saltim formaliter distinguntur, ut rationale est animal: *propositio identica* est, quæ constat subiecto, & prædicato omnimodè identificatis, ut Petrus est Petrus, ubi nulla distinctionis umbra appetet.

### SECTIO III. *De oppositione propositionum absolutarum.*

76 **C**ommuniter definitur *oppositio logica*: *repugnantia duarum propositionum*. Dividitur *oppositio logica* in *contrariam*, *co-contrariam*, *subalternam*, & *subcontrariam*: *oppositio contraria* reperitur inter duas propositiones *universalis*, una *affirmativa*, & alia *negativa*: ut *omnis homo est animal*: *nullus homo est animal*.

77 *Contrarioria* est, quæ reperitur inter duas propositiones, quarum una est *universalis*, & alia *particularis*: ut *omnis homo est animal* aliquis homo non est animal. *Vbi* una est *universalis*, alia *particularis*; una *affirmativa*, alia *negativa*; una *vera*, alia *falsa*.

78 *Oppositio subcontraria* reperitur inter duas propositiones par-

particulares, quarum una est affirmativa, alia negativa, ut aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal.

79 Oppositio subalterna datur inter duas propositiones, unam universalis, & aliam particularem, vel affirmativas, vel negativas ambas: ut omnis homo est animal, aliquis homo est animal. Possunt exempla iuxta cuiuslibet oppositionis explicationem, ut lapidis contradictorum figuram vitens, que tantum deservit ad monstranda praedicta exempla.

SECTIO III. *An ista propositiones sint propriè opposita?*

80 **N**ota, quod ad hoc ut propositiones sint verè oppositæ debent constare eisdem terminis, cum eisdem circumstantijs, aliter enim non opponuntur: Circumstantiæ sunt eiusdem loci, eiusdem temporis, v.g. Petrus currit, Petrus non currit; si non intelligitur de eodem termino, de eodem subiecto, de eodem praedicato, de eodem loco, de eodem tempore, de eodem in reliquis circumstantijs, iam non est oppositio, nec contradic̄tio.

81 Sit prima conclusio: Propositiones contradictriorum sunt vere opposita. Probatur nam una affimat, quod altera negat, sive una est vera, & altera falsa; una universalis, alia particularis, una affirmativa, & alia negativa, &c. ergo sunt verè opposita.

82 Sit secunda conclusio. Propositiones contrariarum opponuntur in veritate, non vero in falsitate; id est, ambæ non possunt simul esse veræ; possunt tamen simul esse falsæ. Fundamentum primæ partis est, quia si hæc propositio: Omnis homo est albus est vera, etiam est vera hæc alia, Petrus est albus: & si hæc alia propositio, nullus homo est albus: est vera, similiter est vera hæc singularis, Petrus non est albus: sed impossibile est, has propositiones simul esse veras, ergo etiam est impossibile, quod illæ propositiones contrariarum, nempè: omnis homo est albus; nullus homo est albus: simul sint veræ.

83 Item, si hæc propositio: omnis homo est albus: est vera, etiam est vera: aliquis homo est albus: quod enim convenit omni, convenit cuilibet particulari sub illo contēto; at qui hæc propositio: aliquis homo est albus: opponitur contradictrorie cum ista: nullus homo est albus: ergo si hæc propositiones contrariarum: omnis homo est albus: Nullus homo est albus: sunt veræ, etiam sunt veræ hæc contradictriorum: aliquis homo est albus, nullus homo est albus: hoc implicat; ergo & propositiones contrarias esse simul veras.

84 Quod autem possint esse simul falsæ, manifestum est, quia, si unus

vnum homo non sit albus; propositio illa vniuersalis: omnis homo est: albus est falsa; & si alias homo sit albus, etiam hæc propositio vniuersalis: nullus homo est albus, est falsa; at qui possunt dari, immo de facto dantur, aliquis homo, qui sit albus, & alias qui albus non sit; ergo de facto vtraque hæc propositio contra:ia: omnis est homo est albus; nullus homo est albus, est falsa: ergo non opponuntur in falsitate, immo in ea conueniunt.

85 Sit tertia conclusio: etiam verè opponuntur propositiones sub cōtraria: si sunt de eodem subiecto. Prob. nam vna affirmat quod alte ra negat. Deinde in materia necessaria vna est vera & alia falsa: v.g. ali quis homo est animal: aliquis homo non est animal: non tamen erunt oppositæ, si carent eodem subiecto; nam in eo casu nec erunt sub cōtraria: De subalternis constat, non esse oppositas.

86 Obijcies 1. dantur istæ propositiones contradictoria: quæ am bæ sunt falsæ, nempè: chimera distat à me, chimera non distat à me; ergo contradictoria non pugnant in veritate & falsitate. Quod sunt falsæ ambæ probatur; nam quod non est, non potest distare, nec non distare à me: ergo ambæ sunt falsæ. Resp. has propositiones non esse cōtradictorias, nam ambæ efficiunt sensum hunc, qui est falsus: nempè chimera existit, & existit longè à me; & alia chimera existit, & existit pro pe me. Vnde ambæ sunt affirmativa:.

87 Obijcies 2. demus quod ego semper mentior, in me esset vera hæc propositio: ego semper mentior, nam semper mentiebar. Etiam esset vera hæc alia: ego semper non mentior: nam dum dicit, se semper mentiri, non mentitur: ergo essent simul vera: Resp. non esse simul veras, siquidem esset falsa illa prima: ego semper mentior, & ratio est, quia iam non mentitur tunc quando dicit, quod semper mentitur, quoniam est verum, quod semper mentitur, quam ob rem iam est vera illa propositio.

## SECTIO V.

### De equipotentia propositionum absolutarum.

88 **E**quipotentia definiri solet, similis sensus duarum propositionum eiusdem terminis constantium, ex diversa posizione particula: non, quod declaratur in hoc versu.

*Prae contradic: post contra: propositaque subalter.*

89 **P**rae contradic significat, quod propositiones contradictoriæ sunt

# Disputatio VI. De propositione.

funt equipolentes, addendo illis negationem non ante subiectum. Post contra significat, propositiones contrarias fieri & equipolentes, posita negatione non post subiectum. Præ postque subalter significat, quod subalternæ sunt & equipolentes, posita negatione non ante, & post subiectum, ut patet in his carminibus.

*Non omnis quidam non, omnis non quasi nullus,  
non nullus quidam sed nullus non valet omnis,  
non alius nullus, quidam non sonat omnis,  
non alter neuter, neuter non præstat uterque.*

## SECTIO VI.

### De conversione propositionum absolutarum.

**90** **C**Onversio definitur: mutatio unius propositionis in aliam, mutando subiectum in prædicatum, vel è contra, servando ramen eandem affirmationem vel negationem, falsitatem, vel veritatem, qui modus declaratur in hoc versu.

*Simpliciter feci, convertitur, Eva per acci-  
sto per contra & sic sit conversio tota.*

**91** In quibus carminibus reperiuntur tres dictiones, nempè *fecit* *Eva*, & *asto*, in quibus sunt istæ vocales, A, E, I, O: A significat propositionem universalem affirmativam, E, universalem negativam, I, particularem affirmativam, O, particularem negativam, ut indicant hæc earimina.

*Afferit, A, negat, E, sunt universaliter amba,  
Afferit, I, negat, O, sunt particulariter amba.*

**92** Sensus prioris carminis est; propositionem universalem negativam, & particularem affirmativam, quæ significantur dictione *fecit* converti simpliciter: propositiones universales significatas dictione *Eva*, converti per accidens, & propositionem universalem affirmativam, & particularem negativam, significatas per dictiōnem *asto*, converti per contrapositionem.

**93** Nota, triplicem dari conversionem: prima est simplex, quæ est mutatio terminorum, servata quantitate, & qualitate, ut ista: aliquis homo est animal: ergo aliquid animal est homo. Secunda est per accidens, quæ est mutatio terminorum, servata qualitate, & non quantitate, ut ista: omnis homo est animal: ergo aliquid animal est homo. Tertia conversio est per contrapositionem, quæ est mutatio terminorum

Sect. 6. & 7. & à 8. de opposit. & argum. 19

de finitis, in infinitos, servata quantitate, & qualitate, ut ista: omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo.

94. Nota etiam, nec aequipotentiam, nec conversionem posse reperiri in propositione mentali, nam essentialiter & per se actus significant, qua propter sunt incapaces mutationis, vel superadditionis notæ vel particulae.

SECTIO VII. De oppositione propositionum modalium.

95. Nam diximus, propositionem modalē, preter subiectū & prædicātū, dicere modū quo prædicatum convenit subiecto: modus est vna ex his particulis: *necessus*, *impossibile*, *contingens*, & *contingens non*. Quā obrem vt videatur, an propositio sit universalis, aut particularis, affirmativa, aut negativa, potius attenditur ad modum quam ad rem.

96. Advertē etiam, propositiones modales opponi quadrupliciter, eo modo, quo absolute, nempè contrariè, contradictoriè, subcontrariè, & subalterne, vt consideranti patebit.

SECTIO VIII. De Argumentatione.

97. Argumentatio est duplex; formalis, & materialis; formalis est quæ concludit ex vi formæ, sive artificij quod habet, & properea concludit in omni materia etiam impossibili: vt, omnis homo est leo: sed Ioannes est homo: ergo Ioannes est leo.

98. Materialis argumentatio est, quæ concludit, non vero id habet à forma, sed habet à materia, quæ ita se habet, & haberet, independenter ab artificio; v.g. hic homo est Philosophus: ergo est rex. Vnde vi formæ nihil concludit, in ea tamen materia, in qua ponitur, concludit, vt si arguas: Deus est possibilis: ergo est existens, quæ illatio in hac materia optima est, secus in alijs: Nam etiam mons aureus est possibilis, & non est existens: Quid ergo illius illationis valor provenit à materia, dicitur materialis, & quia valor alterius provenit à forma, dicitur formalis.

99. In syllogismo formalī dantur tres termini: maior extremitas, quæ est quæ datur in maiori propositione: minor extremitas quæ est, quæ datur in minori, & medium Verbum, quod est quod mediatur inter eas, & vis repetitur, & non ingreditur conclusionem.

(\*\*\*)

C 2 2

SE.

*Disputatio VI. De propositione.*SECTIO IX. *De figura, & modo.*

100 **A**rtificium syllogismi formalis est figura & modus: figura est dispositio medij verbi cum extremis. Triplex figura datur, quia tripliciter potest medium Verbum inverti: in prima figura est subiectum in maiori, & praedicatum in minori: in secunda est praedicatum in utraque: in tertia est subiectum in utraque, ut patet in presenti versiculo.

*Prima sub præ. secunda vis præ. tertia vis sub.*

101 Definitur modus: dispositio propositionum secundum quantitatem, & qualitatem, ad quarum varietatem variatur modus. Modi sunt decē, & nobem, quorum quatuor primi sunt perfecti, qui non solum certè concludunt, sed convincendo patenter quemlibet intellectum. Reliqui sunt imperfecti, qui licet concludant, non ita clare; in his versibus explicantur.

*Barbara, Celarem, Dari, Ferio, Baralipton  
Celantes, Dabitiss, Fapesmo, Frisesomorum  
Casare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti  
Felapton, Disamis, Datiss, Bocardo, Ferison.*

102 In quibus omnibus quatuor tantum vocales literae inveniuntur, nempe A, E, I, O. Et sic ubi est, A, ponenda est propositio universalis affirmativa; ubi, E, universalis negativa; ubi, I, particularis affirmativa; ubi, O, particularis negativa.

103 Ad primam figuram pertinent nobem priores: ad secundam quatuor sequentes: ad tertiam sex ultimi.

104 Reductiones horum syllogismorum omitto, aut ad alios cursus ubiores remitto; eius enim intelligentia est difficultis, eius usus infrequens, eius utilitas parva; quapropter eius omissio erit iusta, dum substantiae genuinae solum studemus.

## SECTIO VLTIMA.

*Aliœ voces pro distinguendis propositionibus explicantur.*

105 **M**aterialiter, est, cum praedicatum convenit subiecto, aut materie, v.g. album est dulce materialiter, id est, non quod albedo sit dulcedo, sed subiectum albedinis, v. g. paries est subiectum dulcedinis.

106 Formaliter cum praedicatum convenit ratione formæ, v. g. album

bum disgregat visum, id est, paries, v. g. disgregat visum ratione albedinis.

107 Reduplicative idem est ac formaliter, & abstracte, v. g. albedo reduplicative disgregat visum, id est albedo est disgregativa visus.

108 Specificative, seu identice, idem est ac materialiter, v. g. album specificative est dulce, non reduplicative; id est subiectum albedinis est subiectum dulcedinis, non albedo est dulcedo.

109 In communi, & ut sic, id est conceptus rei in communi, & confusae cognitae, v. g. homo ut sic est visibilis, id est homini confusae cognito convenit visibilitas ut sic. Aliquando idem est ac reduplicative, v. g. Petrus ut sic est homo, id est Petrus, ut Petrus est homo. Formaliter, & efficienter. Formaliter dicitur, cum praedicatum convenit subiecto ratione propriæ entitatis, seu formæ, v. g. materia prima formaliter est receptiva formarum, id est per suam entitatem.

110 Efficienter est, cum dat aliquid efficiendo aliud, v. g. ignis calefacit manum efficienter, id est introducendo calorem in manu, qui calor manus formaliter, id est per suam entitatem, calefacit. Item formaliter, virtutaliter, & eminenter. Formaliter est, dum res secundum proprium suum esse est in alia. V. g. albedo in pariete, calor in igne est formaliter. Virtualiter, quando causa habet virtutem producendi effectum, ut sol est virtualiter calidus, quia habet virtutem producendi calorem.

111 Eminenter late coincidit cum virtualiter; & strictè significat, effectum contineri in virtute causæ perfectioris, sic creatura in Deo.

112 Actu, & potentia. Actu, quando iam existit res, seu est producta. In potentia, cum non est producta, sed potest produci. Impotentia, cum nec est, nec potest produci. V. g. chimera.

113 Simpliciter, seu absolute, tunc dicitur, cum res in se expectata habet tale praedicatum. V. g. homo dicitur simpliciter magius, cum habet sufficiētem magnitudinem.

114 Respectivè, seu comparativè, cum in se illud non habet, sed solum si alteri comparetur. V. g. pusillus solum respectu minoris dicitur magius. Secundum quid est, quando solum secundum aliquam partem habet tale praedicatum, v. g. Etiops non dicitur simpliciter, sed secundum quid albus, quia solum secundum dentes, & non in reliquo corpore est albus.

115 Per se, cum ex ordine naturæ, & eius principijs convenient rei. V. g. homini esse bipedem. Per accidens, cum sorte, fortuna, & accidentario convenient, v. g. homini esse monstrum. Causa per se dicitur illa situs qua nequit esse effectus. V. g. Domus sine edificatore nequit fieri. Causa per accidens, sine qua potest fieri. V. g. sine musico potest construi domus, ut quo, & ut quod.

*Vt quod, id est res, que ab alio denominatur. V.g. paries dicitur vt quod albus, quia non a se, sed ab albedine denominatur albus. Vi quo, id est res, aut forma talem dans denominationem. V.g. albedo.*

116. *Possitivè, & negativè. Possitivè cum in re ponitur forma, aqua sic denominatur, vt albus ab albedine, videns a visione. Negativè, cu potius avertitur, quam in re ponatur forma. V.g. Cæcus a carentia visus.*

117. *In recto, & obliquo. In recto, cum concretum significat unum nomen in nominativo, & in obliquo, dum ipsum significat in alio casu. V.g. album, id est subiectum habens albedinem, subiectum dicitur in recto, & albedo in obliquo.*

118. *Directè, & indirectè. Directè, cum in se habet tale prædicatum, v.g. color in se videtur. Indirectè, cum est terminis alicuius respectus, in quo dicitur habere tale prædicatum. V.g. cum cognosco causam, cognoscitur effectus, quia cum eo habet connexionem causa.*

119. *Vnivocè, equivocè, & analogicè. Vnivocè est vt animal respectu inferiorum, quia res significata per nomen, prout significatur per nomen animalis, est omnino eadem (licet detur diversitas in illis differentijs, que non significantur, nec exprimuntur per nomen animal.) Equivocè est vt gallus homo, & gallus avis, que vt significantur per nomen gallus, sunt tam diversa, vt non convenient, nec in re significata, nec in significacione, sed solum in dici per illum sonitum vocis.*

120. *Analogicè est vt sanum, quod vt significatur per nomen est idem in animali, & vrina, sed est idem solum partim: & qua parte sanitas ab animali possessa, & ab vrina significata est eadem; sed sunt etiam partim diversa, vt significantur per nomen, quia animal est sanum a sanitate possessa, vrina ab illa vt solum significata.*

121. *Etenim tam in hac propositione animal est sanum, quam in hac vrina est sana, ly sanum summittur in concreto, id est pro subiecto habente sanitatem: totum enim hoc expressatur per nomen sanum. Si ergo significatum per nomen non est sola sanitas, sed sanum, id est subiectum habens sanitatem, & pro animali est, vt vere & physicè, & propriè, & inherenter habens, pro vrina vero, vt impropriè & solum in signo habens, tale significatum sani, prout significatum voce sani, est partim idem, & partim diversum, partim idem, quia sanitas est significatum partiale, & hæc est eadem: partim diversum, quia modus habendi est etiam significatum partiale, & hic est omnino diversus.*

122. *Simplicitè, & personaliter. Terminus summittur, & supponit personaliter, quando res significata summittur pro natura, vel re vt est: vt v.g. homo pro homine vt est. Summittur autem simplicitè quando non summittur pro*

ipsa se ut est, sed pro illa ut cognitæ, sive secundum statum quem habet per intellectum, ut in hac propositione: *homo est species*. Vnde syllogismus non bene concludit, si terminus varietur de suppositione una in aliam sic: *homo est species*, sed *Petrus est homo*: ergo *Petrus est species*. In maiori enim summittitur *homo* simplicitate, sive secundum intentionalitatem, & pro statu, quem habet intra intellectum. At in minori summittur personalitate. Et primò intentionaliter, sive pro statu à parte rei.

123: In actu signato, & in actu exercito, sive signatè, & exercitè. V. g. in hac propositione: *Petrus currit*, si falsa vel probabilis solum sit, cursus Petri specificat essentialiter propositionem signatè, quia solum specificat ut significatus per illam; non autem exercitè, quia quod verè exercitus & in re cursus Petri sit, vel non, est contingens tali propositioni.

124: Identificativè, vel inclusivè. Quādo prædicatum convenient alicui per identitatem dicitur de illo identificativè, ut rationale de homine. Quando convenient ut pars inclusa convenient inclusivè, ut anima rationalis homini. Quando dicitur: *Quæ sunt eadem unitatio esse idem inter se*, solum intelligitur de identificatis, non vero de inclusis. Vnde licet homo partialiter sit materia & partialiter anima rationalis; istæ non sunt idem inter se, sicut sunt animal, & rationale, quæ quia sunt idem cum homine, sunt idem inter se.

125: Intra essentiam, & extra essentiam. Intra essentiam rei sunt genus, differentia, species. Genus est ut animal, quod prædicatur de pluribus specie differentibus ut pars materialis. Differentia ut rationale, quod prædicatur de pluribus, ut pars formalis. V. g. de Petro, & Paulo. Species quod prædicatur ut tota essentia, v. g. homo de eisdem. Genus est triplex, supremum, ut ens vel substantia, insimum ut animal, medium sive interiectum, ut vivens. Extra essentiam est, quod convenient subiecto extra illam. Si convenient necessario est proprium, ut risibile. Si contingenter est accidens, ut albedo patieti.

126: Essentialiter dividitur in constitutivè, & connotativè. Illud est quod prædicatur, vel intrat in recto in essentiam rei, ut in essentiam hominis intrat in recto rationale, sive principium discursus. Connotativè essentialiter est, quod intrat in distinctionem de connotato, ut discursus respectu rationalis. Et est quid essentiale, quia nequit essentia rationalis sumpta secundum primarium, & primarissimum ipsius, esse, aut intelligi sine possibiliitate discursus, quem respiciat.

127: In distinguendis propositionibus dici solet, concedo. Vel nego antecedens, vel conseq. Quando autem propositio, importat, & supponit ali-

aliquid falsum, dicitur, nego suppositum, v.g. in hoc syllogismo: omnis homo est animal, sed rationale lapidis est homo: ergo rationale lapidis est animal, Concessa maiori, est negandum suppositum minoris, quia minor falso supponit, dari rationale lapidis.  
(†)

**Finis Summularum.**



# TOTIVS LOGICÆ SVMMA.

## DISPV TATIO VII. ET SECTIO I. *De obiecto.*

128 **O**biectum est quod obiectitur potentia, ut per illius actus attingatur. Pater in pariete qui est obiectum visus dum obiectitur oculo. Licet obiectum, & subiectum fere semper in re distinguantur (nam unam rem esse subiectum stat præcisè in subiecti, ut de ea aliquid prædicetur; esse vero obiectum stat in obiecti potentia, ut attingatur) eo non obstante, hic pro eodem summittur.

129 Dividitur obiectum in formale, & materiale: istud est quod attingitur ratione formalis à scientia; illud quod ratione sui, & est ratio qua scientia attingit materiale. Hæc obiecta se habent in metaphysicis, quasi materia, & forma in physicis: sicut enim materia est indifferens ex se ad quamlibet formam, & cum qualibet forma ad compositionem cuiuslibet compositi, ita qualibet res, quæ est obiectum materiale, ex se est indifferens ut pertineat ad hanc, vel illam formam & cum obiecto formalis sive metaphysicæ, sive logicæ, ad metaphysicam vel logicam pertineat.

130 Dividitur 2. obiectum in totale, & partiale: illud est cumulus omnium obiectorum, quæ à tota scientia attinguntur, ut in Medicina corpus sanabile secundum omnes suas partes: manus autem, caput, aut qualibet alia pars dicitur obiectum partiale. Dividitur 3. in magis præcipuum obiectum, & in minus præcipuum: illud est pars magis perfecta, & augustior inter reliqua obiecta, ut Deus in Theologia; & quodlibet aliud, de quo agit Theologia, dicitur obiectum minus præcipuum.

131 Dividitur obiectum materiale, in proximum & remotum: proximum est quod in se attingitur, ut color à visu: remotum est, quod attingitur mediante alio, v.g. substantia parietis, quæ attingitur à visu, non in se ipsa, sed mediante colore existente in ipso pariete.

132 Dividitur 4. obiectum in motivum, & purè terminativum. Motivum est obiectum quod attingitur à potentia movendo, adiuvando, influendo, aut habendo partem in efficientia, ut patet in pariete mitrente quantum speciei impressæ, quæ movet potentiam. Obiectum purè terminativum est quod attingitur à potentia absq; suo adiutorio, aut diligentia distincta ab ea quam ingerunt potentia vires, ut nos respectu Dei intellectus aut voluntatis.

133 Dividitur obiectum formale, in rationem formalem quæ, & sub quæ. Ratio quæ est illa ratio quæ attingitur, vt color, & lux quæ videntur. Ratio sub quæ est, quæ non attingitur, facit tamen, quod ratio formalis, quæ attingatur, v.g. visibilitas, quæ non videtur, sed tamē sub illa videtur color.

### SECTIO II. De conceptibus obiectivis.

134 **C**onceptus formalis est ipse actus repræsentans obiectum: conceptus obiectivus est ipsum obiectum repræsentatum, vt definitio hemicinis, est conceptus formalis; homo definitus est obiectivus. Dupliciter possunt conceptus obiectivi perpendi. Primo ut sunt in se, absque illa alia extrinseca additione denominationis subjecti, v.g. &c. Secundo, ut induuntur aliqua attingentia formalis artificiosa cadente supra esse, quod in se habent. Primo modo non ad logicam attinent; secundo modo est his, nempè, an ut taliter cogniti, & taliter repræsentari.

135 Sit conclusio contra omnes Thomistas, & plures Suaristas. Conceptus obiectivi nullo modo sunt obiectum materiale proximum logicæ, & omitto authoritatum ingentem copiam id probantem. Probatur ratione sic: logica primario immediate per se præcipue, & proxime agit de formalibus: ergo si postea agit de obiectivis, obiectivi erunt obiectum remotum logicæ, & formales proximum. Probatur antec. nam agit de definitione, propositione &c. Quæ sunt conceptus formales; ergo, &c.

136 Confirmatur: nam Cæsar pictus non est obiectum per se primarium artis, sed imago Cæsaris picta repræsentans Cæsarem: ergo definitio erit obiectum per se artis logicæ, & non homo definitus à definitione. Confirmatur: nam sicut in imagine reperitur totum artificium artis pingendi, ita in definitione: & sicut homo dicitur extrinsecè definitus, ita Cæsar extrinsecè pictus: ergo actus est obiectum proximum logicæ, & non obiectum: sicut Cæsaris imago artis pingendi, & non Cæsar.

137 Probatur 2. illud est obiectum materiale primarium alicuius scientiæ supra quod propriè cadit obiectum formale talis scientiæ; sed forma logica propriè cadit supra actus intellectus: nam in syllogismo mentali, v.g. verè & propriè repetitur artificiosa dispositio in modo, & figura iuxta regulas logicas: ergo erunt obiectum materiale primarium. Prob. 3. logica non docet facere conceptus obiectivos, sed for-

formales: ergo istos dirigit & non illos. Confirm. in *Animaistica*, quæ in actibus habet suum obiectum materiale & formale: ergo etiam logica.

### SECTIO III. *Argumenta solvuntur.*

138 **O**bijcies primò: Hæc est regula logica: *dispositio debet converti cum definitio;* sed hæc non regulat definitionem mētalem, sed obiectivam, nam sola hæc est, quæ conuertitur cum definitio, cum solum ab ista valeat consequentia ad definitum: ergo logica dirigit conceptus obiectivos.

139 Resp. hanc regulam (idem de alijs similibus) ita intelligi, nē pè: definitio formalis taliter debet disponi, vt habeat pro obiecto definitionem obiectivam talem, vt convertatur cum definitio. Unde licet prima facie talis regula videatur dirigere definitionem obiectivam; tamē bene intellecta non. dirigit primario, nisi mentalem, & solum per resultantiam obiectivam. Sicut ista regula: Cæsar debet depingi, hæc vel illa dispositione colorum: solum primario dirigit *imaginem Cæsaris*; secundario vero, & indirectè attingit Cæarem.

140 Obijcies secundo: spes quæ est virtus *Theologica* non solum habet pro obiecto materiali visionem beatificam per quam est videntus Deus, sed etiam habet pro obiecto ipsum Deum videntum: ergo logica non solum habebit pro obiecto materiali definitionem, sed obiectum definitum. Resp. concedo anteced. & nego conseq. nam æque gaudent ratione formalí speci Deus ac visio, siquidem eque sunt bona arduè, & difficultè consequibilia; conceptus vero obiectivi nō æque gaudent ratione formalí ac formales: illi enim medijs istis dispositionem logicam impetrant. Adde ly *Theologica*, esse de Deo.

### SECTIO IV.

*Quomodo conceptus formales sint obiectum logicae.*

141 **N**oto dari triplicem conceptum formalem. Primus est apprehensio, quæ est expressio unius tantum termini. Secundus est indicium, quod constat alligatione subiecti, & prædicati cum affirmatione aut negatione. Tertius est discursus, qui est oratio constans tribus propositionibus cum legitima illatione. Sit prima conclusio: apprehensio non est obiectum materiale logicae ut apprehensio est. Probatur, nam sic est tantum pura representatio vitalis

vnius tantum termini, absque illa denominatione logica: ergo erit potius animistica quam logicæ obiectum.

142. Dices: actus simplicissimus amoris Dei pertinet ad prudentialiam: ergo simplex apprehensio ad logicam. Resp. illum esse capacem admittendi in sua simplicitate honestatem moralem, quæ est ratio formalis prudentiae: apprehensio vero ut talis solum est capax admittendi vitalitatem, quæ est forma animistica.

143. Dices: logicam uti apprehensionibus: ergo sunt eius obiectū. Contra, nam etiam Architectura utitur lignis aut lapidibus, & hec non sunt illius obiectum secundum se: ergo neque apprehensio secundum se.

144. Obijcties: logica agit de genere, de differentia, de subiecto, &c. sed hæc sunt apprehensiones: ergo agit de apprehensionibus. Distingo conseq. agit de apprehensionibus in quantum sunt purè apprehensiones nego; in quantum sunt vestitæ cum denominationibus generis, differentiæ, &c. Concedo. Sed hoc propriè loquendo nō est ageare de apprehensionibus, sed de genere, differentia, &c.

145. Sit secunda conclusio: propositio, definitio, & divisio sunt obiectum materiale logicæ. Probatur, nam supra illas immediatè descendit directio de regulis: ergo. Probatur: nam logica docet modum quo debent construi, aut fieri, aut aptari ad concludendum: ergo pertinent ad illam ut obiectum. Idem dicendum est de syllogismo facto in modo, & figura, quia etiam est obiectum logicæ immediatum.

### SECTIO V. An voces sint obiectum logicæ.

146. **N**ON est quæstio de vocibus secundum se sumptis, vel ut grammaticè, aut rhetorice significantibus, sed ut sunt genus, aut differentia, aut constituent orationem vocalem logicam.

Sit conclusio affirmativa. Probatur primo, nam voces possunt disponi, ita ut sint definitiones, propositiones, &c. Sed hæc sunt obiectū materiale logicæ: ergo & voces. Probatur secundò, nam si oratio vocalis propter disposita sine solecismo pertinet ad grammaticam; propter persuasiva ad rhetoricam, cur propter definiens, & dividens non debet pertinere ad logicam?

147. Dices: grammaticam tradere voces logicæ, ut logica definiat & dividat, & sic ad grammaticam pertinebunt semper, & nunquam ad logicam. Contra, licet animistica tradat actus vitales logicæ, ut cum illis definiat, & dividat, hoc non obstanti, non solum pertinent ad illam,

Iam, sed ad logicam: ergo licet grammatica det voces, non solum pertinebunt ad illam, sed ad logicam. Confirmatur, nam habent diversum artificium. Pater, nam aliqua oratio vocalis potest esse conformis logicæ, & disformis grammaticæ: ergo sunt formæ diverse. Probat anteced. in hac definitione *animal rationalis*, quæ est iuxta logicam, & disonat grammatica: ergo ut est iuxta præcepta logicæ pertinebit oratio vocalis ad logicam, & ut est iuxta grammaticā ad grammaticam. Confirmatur etiam in prudentia, quæ non solum dirigit operationes internas, sed externas: ergo parvissim logica non solum dirigit orationem internam, seu mentalem, sed etiam externam, seu vocalem.

148 Obiecties primo, nulla scientia dirigit signa, & imagines sui obiecti, patet in medicina, quæ non dirigit corpus pictum: sed voces sunt signa, & imagines conceptuum: ergo non diriguntur à logica. Respond. distingo: nulla scientia agit de signo, & imagine sui obiecti si illic inuenit suam rationem formalem, nego: si non, concedo: cum ergo logica habeat suam formam in vocibus, & Medicina non inventat sanabilitatem in homine picto, non de illo ager, benè verò logica de vocibus.

149 Obiecties secundò: logica est Philosophia rationalis: ergo solum agit de operibus rationis, nempè de actibus internis, & non de vocibus. Resp. distingo anteced. est philosophia rationalis pro fama-sori, & principaliter, concedo: Secundum omne quod includit, nego: sicut Theologia dicitur scientia disputans de Deo, & non tollit quod habeat pro obiecto alia, minus tamen præcipue.

150 Obiecties tertio: deficiente obiecto scientiæ, vel artis deficit scientia, vel ars: sed licet deficiant voces non deficit logica: ergo non sunt illius obiectum. Minor probatur: nam in anima separata datur tanta logica, ac quando erat in corpore, & in Angelo tanta ac in homine, & tamen in illis non datur voces: ergo voces non sunt obiectū materiale logicæ, siquidem destrutis vocibus manet logica. Respon-deo distingo. Tanta logica datur in Angelo, & anima, ac in homine, tanta intensivè, concedo: extensivè nego. Distingo etiam primam maiorem: deficiente obiecto artis deficit ars, si deficiat in esse actuali, & possibili, concedo: si in esse exercito, aut actuali tantum nego: sicut licet nulla daretur imago actu existens daretur ars pingendi.

151 Obiecties quarto: licet aliæ scientiæ vtantur vocibus non ha-bent illas pro obiecto: ergo nec logica. Resp. anteced. esse falsum, nam grammatica & rhetorica habent illas pro obiecto materiali. Respon-deo

deo etiam, quod aliæ scientiæ non inuenient in eis suum obiectum formale, benè verò logica.

SECTIO VI. *An detur obiectum Attributionis.*

152 **S**It prima conclusio; demonstratio est obiectum perfectius, & nobiliss logicæ, maximè ex parte modi tendendi. Probatur: nam demonstratio attingit suum obiectum scientifico modo: sed hic est perfectior modus, quam modus quo definitio, propositio, & reliqua attingunt sua obiecta: ergo demonstratio est perfectior ex parte modi. Probatur, nam attingit demonstratio rem per suam causam: ergo scientifico modo. Deinde propositio definitio, &c. continentur in demonstratione; propositiones ut materia proxima, definitio ut medium demonstrandi, ergo erunt minus perfectæ.

153 Antequam de obiecto attributionis loquamur, nota esse, illud obiectum quod nulli subiicitur, & omnia cætera illi subiiciuntur, ut attributa, &c est obiectum in quod primario tendit scientia. Quidam dixerunt demonstrationem esse obiectum logicæ, nā est finis totius logicæ. Contra nam demonstratio facta in secunda, vel tertia figura ordinatur ad syllogismum perfectum, & directum præmisse figura: ergo demonstratio ut sic non est obiectum attributionis.

154 Dices: quod demonstratio est vitia perfectio, & ultimus finis, ac scopus totius logicæ. Contra, quia intra domum logicæ non est perfectior demonstratio, quam syllogismus probabilis factus in eodem modo, v. g. in Barbara: ergo non est ratio, cur à logica debet demonstratio omnibus alijs anteponi. Probat anteced. quia demonstratio non excederet illum syllogismum probabilem in forma, & artificio, cum sint sedci in eodem modo, sed soluunt in materia, quia nempe materia demonstrationis est necessaria, & syllogismi probabilis est contingens; sed excessus in materia non consideratur ab arte, ut patet in vase aureo, & argenteo: ergo à logica æquales reputantur.

155 Sit secunda conclusio: obiectum attributionis logicæ consistit in syllogismo perfecto, & directo, sive si probabilis, sive demonstrativus. Probatur primo: nam omnia quæ tractantur in logica reducuntur ad syllogismum perfectum, & directum: ergo est obiectum attributionis logicæ. Probatur, nam nihil datur in logica, quod non sit pars, vel effectus syllogismi perfecti, vel quod non conduceat ad eum, vel quod non possit reduci ad eum: ergo syllogismus perfectus est ob-

iectum attributionis logica. Ita Obiedo, & alij recentiores. Probatur secundò, nam syllogismi indirecti ordinantur ad syllogismum directum: ergo, &c. Probatur etiam de definitione, quæ ut pars, & ut medium conducens ad illius intelligentiam subordinatur: idem de reliquo instrumentis logicis: ergo &c.

156. Obiecties primò:ars dominicatoria non habet obiectum attributionis, nec potentia visiva: ergo nec logica. Respond. permitens anteced. nego conseq. nam in logica datur unicum obiectum cui cetera deserviunt ut inferiora relata, aut attributa, quod se habet quasi centrum in quod ultimo reliqua obiecta tanquam linea prospiciunt; non vero in arte fabrili, aut potentia visiva. Item, nam non valerent exempla posita ad negandum obiectum attributionis Theologia: ergo nec logica.

157. Obiecties secundò: postquam res est probata syllogismo probabilis, potest probari syllogismo demonstrativo: ergo probabilis, non est obiectum attributionis, siquidem reducitur ad demonstrativum. Resp. quod non est legitima sequela, siquidem etiam postquam res est probata syllogismo demonstrativo, potest probari probabilis, & non obstanti demonstrativus non refertur ad syllogismum probabilem: ergo nec è converso.

158. Ex his infertur, quod omnia obiecta præter syllogismū perfectum, & directum sunt obiecta secundaria, pater ex fundamētis probantibus syllogismum esse primarium.

159. Obiecties tertio: definitio habet specialem regulam, quæ per se agit de illa: ergo est obiectum primarium. Probatur, nam regula est logica: ergo si regula agit de illa, logica de illa agit. Concedo autem quod solum probat definitionem pertinere ad logicā; non verò primo & ut obiectum attributionis, ad hoc enim ulterius requirebatur, ut ad nullum referretur, & ut reliqua ad illam referrentur; cum ergo hoc non habeat, neque habebit esse obiectum materiale primarium, & attributionis.

### DISPUTATIO II. *De obiecto formalī logice.*

#### SECTIO I. *Variæ sententiæ.*

160. **N**ota quod directio est duplex, una extrinseca seu activa, & hæc est ipsa regula dirigens. Alia intrinseca, seu passiva, & hæc est illa dispositio, quam ponit regula in actibus directis, v.g. in syl-

## Disputatio II.

logismo, definitione. Similiter dirigibilitas vna est extrinseca, seu activa, & haec est capacitas quam habet regula, ut dirigat actus. Alia est intrinseca, seu passiva, & haec est capacitas, quam habent actus, ut dirigantur per regulam.

161 Quidam aiunt: obiectum formale logicæ esse ens rationis. Contra primò nam eo ipso, quod isti actus: animal rationale: explicet essentiam hominis, est definitio, et habent formam logicam. Sed id competit his actibus absque illo ente rationis: ergo obiectum formale logicæ non est ens rationis. Contra 2. nam oratio grammatica, & rhetorica habent sua obiecta formalia absq; illo ente rationis: ergo etiam logica. Cōtra 3. nā directio actuum est forma logica: sed hęc directio est quid reale, et non est quid fictum: ergo obiectum formale logicæ non est ens rationis.

162 Arguunt: contrariorum eadem est ratio: sed logica agit de ente reali: ergo debet agere de ente rationis. Retorquo argumentū: contrariorum eadem est ratio: ergo si Theologia agit de Deo vero, debet agere de Deo ficto. Id ergo axioma explicandū est sic: contrariorum eadem est ratio: idest scientia agens de uno extremo debet agere de alio contrario, quando illi est contrarium in ratione in qua agitur ab illa scientia, concedo: quando est contrarium solum in alia ratione distanti, & distincta, nego. Logica quidem quia agit de syllogismo benè disposito, etiam debet agere de male disposito, nā hęc malā dispositio est contraria rationi sub qua logica agit de syllogismo benè disposito: ens verò rationis non est contrarium rationi sub qua logica agit de suis obiectis materialibus, & ideo non comprehenditur sub axiomate, &c.

163 Alij dicunt: obiectum formale logicæ stare in conformitate actus cum obiecto, ut obiectum est à parte rei. Contra, nam hęc propositio: Deus est lapis: habet obiectum formale logicæ, & non habet talēm conformitatem cum obiecto: ergo, &c.

164 Alij dicunt: formam logicam stare in representatione obiecti ad concludendum de illo in modo, & in figura. Contra: nam id nō convenit forma logicæ quam habent definitio propositio, &c, ergo non comprehendit omnem formam logicam.

Alia sententia ait: stare obiectum formale logicæ in debita coniunctione partium apta ad modum differendi. Contra: nam in apprehensione, ut est subiectum, prædicatum &c. datur obiectum formale, & non debita partiam coniunctio, cum careat partibus: ergo &c.

SECTIO II. *Nostra sententia proponitur.*

165 **S**it prima conclusio: obiectum formale logicæ in cōmuni p̄cipiū ab obiecto formalis cuiuslibet actus logici, stat in directione intrinseca passiva, quam habent actus iuxta regulas logicas. Probatur: nam eo pr̄cīsē, quod actus habeant ralem directionem, statim habent rationem formalem propter quam tractantur à logica, ergo directio est obiectum formale logicæ. Ex hoc infertur, quod actus generis & differentiæ habent pro forma effici iuxta regulas logicas, si cut actus indiyisibilis prudentiæ habet obiectum formale pertinens ad talem virtutem, & stat in eo, quod fiat iuxta regulas prudentiæ: ergo etiam gēnus &c.

166 Dices: intellectus non potest errare circa effectiōnē generis, vel differentiæ, siquidem eo ipso quod producat hos actus: *animal rationale*, omni alio secluso, facit genus & differentiam: ergo absque regulis & arte. Resp. quod licet Deus non possit errare in productiōne Angeli, producit illum secundum suam scientiam: ergo etiam intellectus licet nequeat errare in efformatione generis, & differentiæ, efficiet illa iuxta regulas logicas.

167 Sit secunda cōclusio: obiectum formale propositionis vel definitionis intellectualis addit supra artificium formale generis, vel differentiæ subiecti vel prædicati aliquam coniunctionem formalitatum secundum regulas logicæ, & debitam illarum partium dispositiōnē, quæ est illarum essentia ut tales sunt. Hæc conclusio probatur eisdem rationibus, ac probanda est quæ sequitur.

168 Sit tertia conclusio: formale obiectum syllogismi intellectualis præter artificium propositionum dicit aliquā consecutionem minoris à maiori, sive conclusionis à præmissis. Probatur, quia hæc propositionum dispositio, illatio, & coexistentia est formalitas pertinens ad logicam, & ratione illius agit logica de syllogismo: ergo hæc dispositio, & consecutio propositionum, quæ datur in syllogismo erit obiectum formale actus syllogismi.

169 Sit quarta conclusio: in quolibet artificio logico externo distinguitur realiter forma logica ab ipsa materia. Probatur, nā quilibet vox, aut scriptura habet significare ad placitum, & est illis accidentalis dispositio quam habent: ergo potest illis deficere significatio & dispositio logicæ: sed hoc est forma: ergo distinguitur realiter.

170 Deinde quilibet syllogismus vocalis, & scriptus potest variari, ita ut maior fiat minor, & minor conclusio, & medium verbum

## Disputatio II.

minor extremitas &c. Idem probarur in syllogismo intellectuali: nam si haec propositio; homo est animal sit in uno intellectu, & haec alia; sed Petrus est homo sit in alio intellectu, & haec alia: ergo Petrus est animal sit in alio, non coalescit ex his syllogismus; sicut non resultat imago ex eo quod dentur omnes illius partes si dantur cum variatione, aut separatione: ergo sicut partes imaginis aut donus requiri: ut uniuersitatem debitam inter se ad constituendam imaginem, etiam partes syllogismi ad syllogismum.

171 Dices: hanc coniunctionem, aut dispositionem esse conditionem, & non formam. Contra: nam in arte pingendi, & dominicandi dispositio, & coniunctio partium non est conditio, sed forma; ergo nec in logica erit conditio, sed forma.

## DISPUTALIO III. Quid sit logica.

### SECTIO I. Definitiones logicae proponuntur.

172 **Q**uidam definient logicam sic: ars operum rationis directiva. Contra, nam speculativa logicae non convenit, siquidē haec non est ars, cum non sit rerum factibilium, sed factarum.

173 Alijs sic: entitas specialiter versans circa modum differendi. Contra nam omnis haec definitio convenit intellectui Angeli: sed non est logica: ergo convenit alijs à definito. Respondent non esse entitatem specialiter versantem circa modum differendi, nam est entitas potens versari circa hanc & illam scientiam universaliter. Contra, nam licet cognitio divina universaliter ad tot se extendat scientias, hoc non obstante etiam specialiter versatur circa modum differendi, & ideo est logica: ergo etiam intellectus Angeli, &c. Secundò, quia species impressa syllogismi specialiter versatur circa modum differendi, & tamen non est logica; ergo &c.

174 Sit conclusio: logica sic recte definitur: *recta ratio modi differendi*. Probatur, nam per ly recta ratio convenit cum logica actuali, habituali, practica, & speculativa, & cum omni arte. Deinde distinguitur per ly modi differendi: ergo est recta definitio.

### SECTIO II. Proponuntur divisiones logicae.

175 **D**ividitur primò in naturalem, & artificialem: naturalis est, quae acquiritur sine regulis Magistri: v. g. dum quis in se in-

invenit impressam hanc regulam: propositio debet, &c. Logica artificialis est quam adquirit aliquis dependenter ab instructione Magistri, ut quando ab alio scit, quod definitio debet explicare essentiam. Dubitabis; quomodo distinguantur istae logicae? Resp. solum accidentaliter. Probatur: nā vna & in divisibilis regula potest consequi dependenter, vel independenter à Magistro: Si primò modo erit artificialis, si secundò naturalis; ergo eadem logica, & indivisibilitè vna erit indifferens ut sit naturalis, & artificialis: ergo solum accidentaliter distinguuntur.

176 Dividitur secundò logicam naturalem, & supernaturalem. Illa est quæ viribus naturæ consequitur; ista quæ superat vires naturæ. Supernaturalis dividitur in supernaturalem quoad modum, & supernaturalis quoad substantiam supernaturalis quoad modum est illa, quæ licet in se non sit superna, modus tamen communicationis in subiecto est supernus, ut logica quam habuit Christus in primò instanti sue incarnationis. Quoad substantiam est quando in se, & in entitate excedit humanas vires, & nequit illis assequi.

177 Dubium est: an ad dirigendos actus logicos supernos sufficiat logica naturalis? Resp. affirmativè & probatur, nam regula dirigens syllogismum abstrahit à naturali, & superno, & tantum syllogismum ut talem comprehendit: ergo nihil impedier supernaturalitas.

178 Obijcies primò: scientia specificatur à suo obiecto; ergo si syllogismus supernus est obiectum logicæ, logica erit superna. Resp. distingo: specificatur à suo obiecto in ratione in qua est obiectū concedimus quæ non est, nego; cum ergo supernaturalitas ut talis non sit obiectum logicæ, non specificabitur ab illa; logica enim solum attingit syllogismum ut dirigibilem, & sic solum specificabitur ab eo, non ut supernaturali, sed ut directo.

179 Obijcies secundò: ad actus supernos prudentia datur prudenteria superna; ergo ad actus supernaturales logicos, dabitur logica supernaturalis. Resp. disparitatem stare in eo, quod voluntas est potentia cæca, & sic indiget illuminatione intellectus ad suos actus, ita ut quatenus cæca peret solum illuminationem, quatenus tamen cæca, & producens actus supernos peret illuminationem, & supernam. At logica præscindit ab eo, quod sint actus naturales, aut superni, & sic materialiter se habet supernaturalitas.

180 Obijcies tertio: inter actum & obiectum debet dari proportio: ergo logica naturalis nequit dirigere obiectum supernum. Resp.

## Disputatio III.

distinguere debet dari proportio entitativa, nego: adus, & obiecti, ut v.g. proportio scibilis, & scientis concedo; haec ergo iam datur in logica naturali, & obiecto superno.

181 Dividitur tandem logica: in vtentem, & docentem: docens est quæ instruit intellectum ad efficiendum aut contemplandum aliquod artificium logicum: at vero logica utens est illa, quæ utitur aliqua cognitione ut instrumento ad aliquid totum logicum formandum.

### SECTIO III.

*Dividitur logica in divinam, angelicam, & humanam.*

182 **N**ota non dari logicam divinam habitualem, nam haec est ad reddendum intellectum promptum, & expeditum ad actus logicos tollendo difficultatem quam ad illos habebat, & cum Deus careat hac difficultate, caret etiam logica habituali. Difficultas est utrum istæ logicæ differant in specie formalis per differentias metaphysicas essentialiter diuersas, ut homo, & leo, vel solum in specie materiali, nempè ratione subiecti in quo sunt, ut albedo quæ est in homine ab albedine quæ est in æquo.

183 Sit secunda conclusio: logica divina, angelica, & humana non solum materialiter, & ratione subiecti, sed etiam ratione formalis distinguuntur. Probatur: nam istæ logicæ habent diversum modum attingendi suum obiectum: sed diversus modus attingendi obiectum sufficit ad distinctionem formalem specificam: ergo tales logicæ formaliter in specie distinguuntur. Maior ex se patet; perfectiori enim modo Deus attingit suum obiectum, quam homo & Angelus. Minor probatur, nam scientia insuffit supernaturalis Christi, & scientia naturalis Christi specie distinguuntur propter diversum modum attingendi obiectum formale.

183 Patet, nam obiectum formale est unum, nempè cognoscibilitas rerum naturalium: ergo si distinguuntur, erit solum per diversum modum attingendi obiectum formale: ergo diversus modus attingendi dignit distinctionem specificam, & sic specie distinguuntur logica Dei, hominis, & Angeli. Patet etiam, nam apprehensio, & iudicium distinguunt species, sed non propter obiectum materiale, nam eadem formalitas entis potest attungi per apprehensionem, & iudicium, nec per formale, nam etiam possunt habere idem obiectum formale: ergo solum per modum tendendi. Confirmatur, nam possunt dari duo iuri-

dicia circa idem obiectum, distincta tamen specie propter diversum modum tendendi, unus etiam Angelus potest specie distingui per modum tendendi perfectiorem ab alio Angelo: ergo etiam logica.

184 Dices: diversum modum tendendi logicarum se habere materialiter, & extra rationem logice, quamobrem non erit sufficiens ad distinguendum eas. Contra, nam etiam diversitas modi apprehensionis & iudicij est extra rationem cognitionis, & diversitas modi scientiae naturalis, & supernæ Christi est extra rationem scientie, & hoc non obstanti hæc omnia distinguntur specie propter modum tendendi diversum, ut probavi: ergo etiam logice.

185 Probatur conclusio ultimo, nam licet ens ut sic, ut ens non dicat creatum, nec in creatum, & materialiter se habeant istæ differentiae enti; hoc non obstanti quando cum eis contrahitur, contrahitur per differentias metaphysicæ specie differentes: ergo etiam ratio logice ut sic, licet non dicat intra rationem logice rationem creatæ, & in creatæ, quando per has rationes contrahitur, contrahetur per eas, tanquam per differentias metaphysicæ specie differentes.

#### SECTIO IV. *Ad argumenta contraria respondeantur.*

186 **O**bijcies primò: differentia specifica contrahens debet constitue re speciem cum ratione contracta: sed hanc non constituit differentia logice divinæ: ergo &c. Prob. min. nā non constituit rationem praedicabilem de multis, logica enim divina de nullo alio praedicatur, nisi de Deo: ergo non &c.

187 Relp. distingo: differentia contrahens debet constituere speciem cum ratione contracta, speciem physicam, vel logicam concedo, speciem logicam semper, nego: & sic sufficit quod differentia logice divinæ constituat speciem physicam, quæ non requirit praedicabilitatem.

188 Obijcies secundò: istæ logice debent summere distinctionem ab obiecto formalis: sed non habent diversum obiectum formale: ergo nec diversitatem specificam. Resp. distingo anteced. debent summere distinctionem ab obiecto formalis semper, nego: aliquando concedo: id comprobant exempla proposita in conclusione, & etiam actus practicus, & speculativus qui possunt tendere in idem obiectum, & formaliter in specie distinguntur, non alia ratione, nisi propter modum tendendi diversum: ergo non semper per obiectum.

189 Obijcies tertio: licet fides Angeli, & hominis habeant diversum modum tendendi, tamen quia habent idem obiectum formate, nempe di-

## *Disputatio IV.*

vinam revelationem non distinguntur in specie: sed etiam logicae habent idem obiectum formale: ergo non distinguntur specie. Resp. quod fides Angelorum, & hominis non habent modum sufficientem ad distinctionem specificam, nam est eiusdem speciei habitus unus, ac alterius; si enim Angelus credit ut elevatus per habitum supernum, sic credit homo. Resp. 2. specie logica distingui, licet non specie Theologica.

### *DISPUTATIO IV. Qualis sit logica.*

#### *SECTIO I. An sit virtus mentis?*

190 **S**uppono virtutem habitualem sic recte definiri: habitus inclinans potentiam ad actus perfectos: virtus intellectus est: habitus qui residet in intellectu, & inclinat in illius actus veros: virtus voluntatis, quae residet in voluntate & inclinat in actus bonos. Virtus mentis dividitur a D. Thoma, & Aristotele, &c. in sapientiam, intelligentiam, artem, scientiam, & prudentiam. His positis.

191 Sit prima conclusio: logica partialiter, & secundum quid est virtus mentis. Ita D. Thomas. Probatur, nam logica inclinat ad plures actus qui sunt veri, v.g. iudicium constat subiecto copula, & praedicato. Non tamē est simpliciter, & secundum omnes partes virtus mentis, nam inclinat aliquando in actus opinativos, & falaces, & sic solum secundum quid erit virtus mentis.

192 Sit secunda conclusio: logica non est sapientia, nec prudentia. Probatur, nam sapientia est habitus rerum altissimarum difficultiorum, & quae vix possint percipi, nisi per altissimas causas, sed ut latet patet id non competit logica: ergo neque esse sapientiam. Probatur secunda pars, nam prudentia est habitus inclinans in operationes honestas, sed de hoc non curat logica, siquidem disponit suos actus praesciendo a materia utrum sit in materia honesta, vel in honesta: ergo logica non est prudentia.

193 Sit tertia conclusio: logica est intelligentia secundum aliquā partem. Probatur, nam intelligentia est habitus primorum principiorum, illorum temp̄e quae clare percipiuntur penetratis terminis absque alia probatore, & discursu, ut patet in hoc principio: syllogismus in Barbara concludit definitio explicat essentiam, &c. ergo logica est intelligentia.

194 Sit quarta conclusio: logica secundum aliquam partem est scientia. Probatur nam apud Aristotelem scientia est habitus per demonstrationem adquisitus, vel ad demonstrationem inclinans; sed in logica dantur isti habitus: ergo secundum hanc partem erit scientia.

Sic

195 Sit quinta conclusio: logica etiam est ars, nam apud Aristotelem:  
ar sest recta ratio rerum facibilium, & haec definitio convenit logica tam  
actuali, quam habituali.

196 Obiecties primò: scientia deberet habere obiectum determinatum;  
sed logica non habet, nam Aristoteles ait, logicam vagari per omnes res:  
ergo non est scientia. Resp. distingue: non habet obiectum determinatum re-  
motum, & indirectum, concedo; proximum, propinquum, & immediatum lo-  
gica, nego; id enim stat in actibus, & dispositione illorum in formam defi-  
nitionis, &c. remotum vero in re qua definiuntur, aut dividuntur, &c. & id est  
obiectum vaguum; cuncta enim possunt definiri à logica, & de hoc loqui-  
tur Aristoteles.

197 Obiecties secundò: scientia debet versari circa res æternas in ge-  
nerabiles, & incorrumpibiles: sed logica versatur circa syllogismos, quibus  
id non convenit: ergo non est scientia. Resp. ingenerabiles, & incorruptibi-  
les esse secundum essentiam, licet non secundum existentiam, & hoc non  
requiritur ad hoc ut posit dari scientia de illis.

198 Obiecties tertio: Aristoteles ait absurdum esse querere scientiam  
simil & modum sciendi; sed logica est modus sciendi: ergo non est scien-  
tia, alias esset absurdum dictum Aristotelis. Resp. Aristotelem intellexisse  
pro modo sciendi logicam, licet etiam sit scientia, in quo non est repugna-  
tia, & sic voluit dicere, incompositibile esse simul amplexari logicam, & com-  
prehendere aliarum scientiarum difficultates.

### SECTIO II. *An detur praxis in intellectu.*

199 **P**RAXIS DEFINITUR à Scoto ut refert Suarez: actus alterius potentiae  
ab intellectu. Sed contra, quia in intellectu dantur definitiones,  
qua regulantur per notitiam practicam, neimpè per regulam docentem,  
definitionem debere explicare essentiam pergenitus, & differentiam: ergo in  
intellectu datur opus directum per notitiam practicam; ergo & datur pra-  
xis, & sic ruit Scoti definitio. Respondent ad praxim requiri quod sit opus  
exclusus extra intellectum. Contra, nam hoc est respondere per questionem,  
siquidem questione est utrum requiratur hoc, vel non: ergo nulla est respon-  
sio. Deinde: ideo aliae virtutes sunt praxis, quia sunt opus directum per no-  
titiam practicam: ergo si intra ambitum potentiae intellectivæ datur opus  
directum per notitiam practicam, cur deneganda est praxis in intel-  
lectu?

200 Arguunt auctoritate Aristotelis sic: intellectus extensione fit pri-  
dictus: ergo intellectus non est practicus, nisi quando extenditur ad actus  
alii;

allarum scientiarum. Permisso, quod hæc verba sint Aristotelis, de quo dubitant quam plures Doctores, respondeo idem esse intellectum extensione fieri practicum, ac non sistere in mera contemplatione obiecti, sed regulare etiam actus ab ipso, vel ab alia potentia producendos: vndē.

201 Quæres quid sit scientia practica, & speculativa? Resp. practicam esse quæ dicit, & dirigit modum producendi aliquod obiectum, v. g. Architectura prout dirigit modum quo est construenda domus: speculativa est quæ contemplatur rem directam aut constructam, quin sub ratione qua contemplatur illam dicit, ut metaphysica quando ens contemplatur.

202 Quætes secundò, an ut aliqua cognitio sit practica debeat reperi-ri in illo, qui potest facere opus quod dicit? Resp. negativè, nam si aliquis haberet cognitionem modi quo efformatur rossa à rosseto, & ab omnipo-tentia, hæc cognitio esset practica, & reperta in subiecto omnimodiè inca-paci producendi rossam.

203 Obijcties: cognitio practica dicit illam habenti modum quo fieri debet opus: ergo semper reperitur in subiecto habente simul potentiam ef-ficiendi tale opus. Distingo anteced. dicit modum quo debet fieri opus à potente illud facere, concedo; à non potente nego. Vndē aliud est dicere ali cui opus, aliud fieri ab eo.

### SECTIO III. An idem actus possit esse simul practicus & spe-culativus?

204 **S**it prima conclusio: respectu diversorum obiectorum non implicat. Prob. 1. nam iste actus: Deus summè bonus est amandus, respectu Dei; quem contemplatur ut suminè bonum, est speculativus, & respectu amo-ris divini, quem dicit produeendum, est practicus. Prob. 2. nam iam da-tur actus, qui simul sit affirmatio, & negatio respectu diversorum: vt Petrus est homo & non leo; & actus voluntatis, qui simul sit amor Dei, & odium peccati, ut contrito: ergo, &c.

205 Obijcties: repugnat actus simul verus, & falsus, bonus, & malus, na-turalis, & supernus, adhuc respectu diversorum: ergo & simul practicus, & speculativus. Nego conseq. nam actus verus, & falsus conformaretur totali-ter cum suo obiecto utpote verus; & non conformaretur totaliter utpote falsus. Similiter actus bonus, & malus esset totaliter bonus, nam bonum ex integra causa; & non esset totaliter bonus, utpote malus. Et etiam actus na-turalis, & supernus superaret totas vires naturales, utpote supernus; & non superaret, utpote naturalis, quod totum est contradicatio, quæ non sequitur in actu simul pratico, & speculativo.

205 Sit secunda conclusio contra aliquos: implicat actus simul practicus, & speculativus circa idem obiectum. Probatur: nam actus speculativus ita debet contemplari obiectum respectu cuius est speculativus, ut nequeat dictare modum efficiendi illud: ergo nequit esse practicus respectu illius. Probatur anteced. ex communi axiomate omnium Philosophorum afferentium actum speculativum esse, qui sit in mera contemplatione obiecti: sed mere contemplari obiectum est nullo modo dictare, nam si dictat, iam non mere contemplatur: ergo actus speculativus esse aliter negat esse practicum.

### SECTIO IIII. Respondetur argumentis.

207 **O**bijcies primò: obiectum est simul speculabile, & regulabile: ergo actus erit simul speculativus, & regulativus, aut practicus. Retorquo: obiectum est simul affirmabile, & negabile, nam ad utrumque habet potentiam intrinsecam: ergo actus erit simul affirmativus, & negativus illius. Resp. ergo distingo anteced. idem obiectum est simul regulabile, & speculabile per eundem actum nego; per diversos concedo. Sicut idem obiectum potest simul esse affirmabile, & odibile, non per eundem actum, sed per diversos.

208 Obijcies secundò: unus actus potest noscere amorem Dei ut est ens reale, & ut factibile à voluntate: sed ut noscit illum ut ens reale est speculativus, & ut illum ut factibile noscit, est practicus: ergo &c. Resp. concessa mai. nego min. nam talis actus solum esset practicus, nam non sicut in mera contemplatione amoris, ut ens reale, sed transit ad eius factibilitatem.

### SECTIO V. An logica sit practica, vel speculativa.

209 **S**IT conclusio: logica partim est practica, & partim speculativa. Ex cuius probationibus manebunt impugnare sententia contraria. Probatur logicam esse partim practicam ex D. Thoma dicente quod ars, quæ dirigit opera rationis, est logica: ergo logica est practica. Probatur ratione, nam in logica dantur regulæ dictantes perfectionem syllogismi, propositionis, definitionis, &c. sed hoc est praticare: ergo logica est practica.

210 Probatur esse partim speculativam: nam in logica dantur isti actus: syllogismus factus in Barbara constat tribus propositionibus affirmatiis &c. Sed iste actus est speculativus: ergo logica est partim

## Disputatio IV.

speculativa. Confirmatur, nam hic actus: homo constat corpore, & anima: est speculativus: ergo etiam hic alter: syllogismus factus in Barbara habet medium Verbum pro subiecto: sed ad nullam aliam scientiam potest pertinere, nisi ad logicam: ergo, &c.

211 Dicunt contrarij: per supradictum actum tendentem in syllogismum factum, instrui intellectum sufficienter ad modum quo efficiendus est, & sic est practicus. Contra, nā licet hic actus per accidentes conduceat ad effectiōnēm syllogismi, tamen per se non est ordinatus ad illum efficiendum: ergo si per se contemplatur, per se erit speculativus. Patet, nam licet cognitio, qua quis contemplatur infernum moveat ad effectiōnēm virtutum, cognitio contemplans infernum nō est practica: ergo licet cognitio syllogismi facti moveat, & ducat ad effectiōnēm syllogismi non erit practica, sed speculativa.

212 Item, quia non instruitur immediatè, & directè intellectus à visione syllogismi facti, sed à regula quadam resultante ex ipsa visione in hunc modum: video syllogismum his constare: ergo ut ego efficiatum: his constaturus est: hinc secundum actum intentionaliter infert dimanatum à speculatione, & hic actus est practicus, & regulans immediatè, proximè, & directè; non speculatio illa à qua ortum habuit.

213 Obijcies primò: intellectus ex se nec est practicus, nec speculativus: ergo nec logica. Retorqueo: intellectus ex se nec est affirmatio, nec negatio: ergo nec in eo datur actus affirmas, nec negans. Falsa conseq. ergo licet, &c. Resp. tamen intellectui non convenire practicum & speculativum, nisi virtualiter, nam id solum competit actibus, non potentij.

214 Obijcies secundò: nullus datur actus in logica, qui non attingat factibilitatem obiecti; nam omne obiectum identificatur cum sua factibilitate: ergo si attingit illud, etiam illam. Resp. omnes actus attingere factibilitatem obiecti materialiter, non verò formaliter, quia nō omnes attingunt obiectum factibile sub formalitate factibilis; quod requirebatur ad actum practicum: sic peierans attingit Deum bonum & amabilem, & hoc non obstanti, non est actus bonus, quia non ut tales, nec sub tali formalitate attingit.

215 Obijcies tertio: ad experientiam atinet attingere syllogismos existentes: ergo non ad logicam. Resp. distingo: ad experientiam atinet attingere syllogismos existentes cum directione logica, nego: existentes sistendo solum in existentia physica, concedo.

SECTIO VI. *An logica sit simplex qualitas.*

216 NON est difficultas, an in logica sint plures actus distincti, hoc enim est indubitabile, sed an sint plures habitus realiter distincti in specie.

217 Sit conclusio: in logica dantur plures habitus realiter in specie distincti, & sic non est una simplex qualitas. Est contra Thomistas. Prob. in logica dantur plures actus specie distincti: ergo isti generabunt habitus specie distinctos. Probo conseq. habitus est semper reliquum ex actibus repetitis: ergo sicut platae specie distinctae relinquunt semina specie distincta, ita actus specie distincti relinquunt habitus specie distinctos. Confirm. experientia constat, quod potest esse quis facilis ad definiendum, & difficilis ad syllogizandum: ergo non sufficit unica facilitas. Confirm. 2. species impensa procedens a lapide non potest deservire ad cognoscendum leonem: ergo nec facilitas procedens ab actibus definiendi poterit deservire ad actus syllogizandi.

218 Sit secunda conclusio: logica est una unitate ordinis, seu aggregationis, sicut res publica, aut exercitus. Probatur: nam ideo in his invenitur haec unitas, quia aliquis splendet dux, vel princeps, cui reliqui omnes obediunt, referuntur, & subordinantur: sed in logica etiam datur unum caput respectu cuius omnia sunt inferiora, ut patet in obiecto attributionis: ergo in logica datur unitas ordinis aut aggregationis.

219 Obijcies primò contra primam conclusionem: idem intellectus, idem lumen gloriae, & idem habitus fidei producunt effectus specie distinctos: ergo idem habitus logicæ poterit producere distinctos actus. Resp: negando conseq. Disparitas est, quia lumen, & fides sunt habitus infusi, & intellectus est potentia congenita cum ipsa natura; ut verò habitus logici sunt adquisiti per actus logicos, specie diversos, & sic solum inclinant ad actus similes illis a quibus sunt geniti. Cumque habitus definiendi, v.g. solum sit genitus ex actibus definiendi, & non ex actibus syllogizandi, talis habitus solum inclinabit, & deserviet ad definiendum, & non ad syllogizandum. Si enim apud Thomistas, ut habitus definiendi faciliter ad syllogizandum, requiritur nova extensio ad syllogismos, cur non requiretur etiam unus habitus?

220 Obijcies secundò: licet detur maior difficultas ad amandum inimicum, quam ad amandum amicum, hoc non obstanti uno habitu

charitatis amantur amicus, & inimicus: ergo licet maior difficultas detur ad definitionem, quam ad propositionem, eadem habitu sicut. Resp. quod habitus charitatis, quia supernaturalis, datur per modum potentiae, & non per modum facilitatis, & sic sufficiet ad diversa objecta: at habitus logici producuntur ab actibus, & solum facilitant intellectum ad actus similes illis per quos sunt geniti. Insuper respond. quod habitus charitatis nequit conservari cum odio inimici; at habitus logicus facilitans ad definitionem, potest conservari cum errore enimematis.

SECTIO VII. *De necessitate logicae.*

221 **N**Oto: duplicitur vnam rem posse esse necessariam: vel simpliciter vel secundum quid. Tunc simpliciter vna res est necessaria, quando non potest assequi alia sine ista, ut vita sine respiratione, & ideo respiratio est simpliciter necessaria ad vitam. Secundum quid necessaria dicitur res, quæ non requiritur præcisè ad absolutè rem faciendam, sed ad commodius, ut equus ad iter faciendum.

222 Sit conclusio: logica habitualis non est simpliciter necessaria ad alias scientias. Probatur: nam habitus non est ad simpliciter operandum, sed ad faciliter operandum. Deinde nam prima demonstratio facta fuit sine habitu: ergo non fuit necessaria ad illam scientiam.

223 Sit secunda conclusio: logica actualis non est necessaria simpliciter, sed solum secundum quid. Probatur in hac demonstratione, cuius conclusio est scientia, & potest fieri absque logica actuali, nem pè: omnis homo est rationalis: sed omne rationale est risibile: ergo omnis homo est risibilis. Quod sit scientia patet, nam competit illi definitio scientie.

224 Dices istam conclusionem esse certam veram, & evidentem per quandam cognitionem reflexam, qua noscitur ipsa demonstratio. Contra nam ante cognitionem reflexam iam est illa conclusio talis, & ex talibus præmissis deducta: ergo ante cognitionem reflexam iam est scientia; aliter illa reflexio, quæ est extrinseca scientię daret illi certitudinem, & evidentiam intrinsecam, quod est intolerabile absurdum. Contra secundum, nam ut actus fidei sit certus non requiritur quod sit reflexus, nec à reflexione provenit illius certitudo: ergo nec in demonstratione.

Sit

225 Sit tertia conclusio: logica est secundum quid necessaria ad alias scientias, hæc conclusio est communis: nam licet possit conſequi plures demonstrationes sine logica, non tamen cum tanta facilitate, & melioritate, quam cum illa, & sic logica est secundum quid necessaria ad scientias adquirendas.

226 Obijcies primò: scientia est cognitio rei per causam: ergo conclusionis per præmissas: nam istæ sunt causæ conclusionis: sed nequit dari cognitio conclusionis per præmissas absq; logica: ergo nec scientia. Resp. distingo consequens: ergo conclusionis per præmissas, conclusionis obiectivæ per præmissas obiectivas concedo: cōclusionis per præmissas secundum artificium formale quod habent nego: cum autem hæc cognitio non requiritur ad habendam demonstrationem non requiritur logica.

227 Obijcies secundo: vt quis habeat logicam debet scire se sciē: ergo logica requiritur ad adquirendas scientias. Nego maiorem, nam vt quis videat obiectum, non requiritur quod videat se videre, nec vt noscat obiectum requiritur, quod noscat se noscere: ergo neque ad scire: Aliter erit de scire, sive scientijs, in statu perfecto.

### SECTIO VIII.

*Quomodo concurrat logica ad actus aliarum scientiarum.*

228 **D**Vplex datur concursus: efficiens, & directivus: efficiens est qui habet partem in opere, vt species cum potentia visiva producit concurrendo efficienter: directivus est, quando non physicè influit, sed suadendo aut movendo, vt magister docens discipulū, quem instruit per verba.

229 Sit prima conclusio: logica actualis non concurrit effectivè ad actus aliarum scientiarum. Probatur: nam logica actualis solum concurrit dictando, & instruendo intellectum ad hoc vt producat actus conformes regulis logicis: sed hoc est dirigere: ergo &c.

230 Sit secunda conclusio: logica habitualis genita per repetitionem plurium syllogismorum aliarum scientiarum, concurrit effectivè ad illas scientias. Probatur: nam talis logica habitualis concurrit ad similes actus per quos fuit genita: sed fuit genita per actus aliarum scientiarum: ergo concurrit effectivè ad actus illarum:

231 Obijcies: aliæ scientiæ sunt sub sphera logicæ actualis: ergo producuntur effectivè à logica actuali. Resp. distinguendo antecedens: aliæ scientiæ sunt sub sphera logicæ directiva, concedo, nam logica

dirigit intellectum ad omnes scientias : sunt sub sphera productiva, nego. Nam regulæ logicæ non efficiunt alias scientias. Sic regula architecturæ dirigit domum, sed non efficit, nec edificat domum.

## DISPUTATIO V. De ente rationis.

## SECTIO I. An detur.

232 **S**IT conclusio: datur ens rationis. Probatur : supponendo esse in quadruplici differentia ens rationis, subiectivum, effectivum, obiectivum tantum, & obiectivum non tantum.

233 Ens rationis subiectivum sunt omnes actus habitus, & species intellectus prout in illo subiectantur, seu recipiuntur. Ens rationis effectivum sunt eadem entia prout efficiuntur ab intellectu : Eas rationis obiectivum tantum, est quod non habet alterum esse praeter esse obiectum, ut alter Deus: obiectivū non tantum, est quodlibet obiectum quod in se habet, aut potest habere aliud esse, praeter quod illi dat intellectus, ut homo cognitus. His suppositis. Probatur conclusio sic; nam hic actus dicens: datur alter Deus: habet obiectum, quod tantum habet esse ab intellectu: ergo hoc est ens rationis.

234 Obiecties primò: cognitio fingens est actus realis: ergo debet habere terminum realem: ergo non potest formare ens rationis. Resp. distingo conseq. ergo debet habere terminum realem, si illum producat realiter concedo: si tantum illud producat metaphorice, & fictè nego.

235 Obiecties secundò: esse vnum, verum, & bonum sunt proprietates entis realis: sed omne ens est vnum, verum, & bonum: ergo omne ens est ens reale, & non rationis aut fictum, & sic non datur ens rationis. Resp. vnum, verum, & bonum sunt proprietates entis realis, si sunt talia radicaliter verè, & physicè, concedo: si solum metaphorice fictè, & intentionaliter, nego: cum ergo hoc modo ens rationis sit vnum, verum & bonum non erit ens reale.

236 Obiecties tertio: solum potest esse obiectum cognitionis illud quod est ante cognitionem; ergo nequit ens rationis esse obiectum cognitionis. Resp. negando anteced. nam cognitio se ipsam attingēs, attingit obiectum, quod non est ante cognitionem: etenim ipsamet cognitione est obiectum sui, & ipsa non est prior se ipsa: quod si altera obiecta solent præcedere cognitionem, ideo est, quia cognitione nō dat illis esse (imò accipit:) sed indepedēter ab illa habet illud. Verūtamen  
ens

ens rationis, si habiturum est esse, debet esse à cognitione, & consequenter ean nō potest præcedere, sicut nec terminus productus præcedere potest actionem, per quam accipit esse.

237 Instā: nulla res potest nosci, quin mittat speciem impressam sui: sed ens rationis non mittit speciem impressam: ergo nequit nosci. Resp. distin: o maiore, quin mittat speciem impressam propriam, vel extremon, concedo: propriam semper nego. Licet ergo ens rationis, in se, & de se non mittat speciem propriam potest cognosci per alienam tritis realis.

238 Obijcis quarto: nihil est in intellectu, quin prius fuerit in aliquo sensu: secundens rationis non præcessit in aliquo sensu: ergo non est in intellectu. Rsp. distingo antec. quin prius fuerit in aliquo sensu in se, & formaliter semper, nego: occasionaliter concedo: non enim requiritur quod prius sit factum ens rationis ab alio sensu: sed quod species reales ex quibus miscetur ens rationis, ingrediantur per aliquem sensum, qui det occasionem intellectui ut illud efficiat: quin inveniat factum ab alio sensu, & sic elaborato ente rationis ab intellectu, uit fundamentum contrariorum: sic Deus cognoscitur à nobis per species alienas creaturarum, & substantia per species accidentiū.

### SECTIO II. *Quid sit ens rationis.*

239 Prima definitio: sit: quod nihil intrinsecum ponit in re. Impugnatur, nam enim oculus videt parietem, nihil intrinsecum ponit in re visa, & tamen visio non est ens rationis. Secunda sententia ait stare in repugnantia formalis ad existendum à parte rei. Impugnatur, nam repugnantia formalis alterius Dei nihil est aliud quam carentia necessaria alterius Dei: sed hæc non est ens rationis, sed ens tam' reale ac Deus verus: ergo est mala definitio entis rationis. Tertia sententia ait, esse ens rationis, quod tantum haber esse obiectivè in intellectu. Impugnatur, nam sequeretur quod Deus ab æterno efformasset omnia entia rationis, quæ nunc in tempore sunt. Probatur, nam omnia hæc entia rationis, quæ facimus, præcesserunt ab æterno in Dei intellectu, nullum habentia aliud esse præter esse obiectum sui intellectus: ergo Deus ea fecisset, quod est falsum.

240 Sit conclusio: ens rationis definitur; quid situm ab intellectu repugnantia absolute existendi à parte, quæ definitio per partes explicatur: nam per particulam, quid situm ab intellectu convenit cū entibus, quæ sunt facta, & non sunt entia rationis: huius generis est;

Petrus est albus (si est niger): obiectum enim huius actus non est ens rationis, quia licet sit quid factum in re, nihilominus non repugnat rationis, quod requirimus ad ens rationis. Per particulari pugnantia absoluta existendi à parte rei, differt ab his casibus fictis, quae non sunt ens rationis, & ab omni illo, quod non est ens rationis, & sic maneat, quod ad hoc ut una res sit ens rationis, non sufficit, quod sit facta, sed facta cum repugnantia absoluta existendi. Quamobrem, mons aureus non erit ens rationis, nam licet existat sive fictione obiectiva, non habet ex se intrinsecam repugnantiam ad existendum, ergo est ens reale.

## SECTIO III.

*De existentia entis rationis, & de praedicatis quibus potest constare.*

241 **S**IT prima conclusio: ens rationis potest constare existentia secundum se reali, quae sit inadæquata re spectu entis rationis. Probatur, nam hoc est ens rationis: Deus existit idem dicatus cum lapide eadem existentia qua existit identificatus cum divinis personis: sed in hoc datur existentia realis inadæquata, siquidem datur existentia Dei veri, quae est realis: ergo potest datur ens rationis, existens existentia reali inadæquata. Dixi quod tali existentia est inadæquata, nam non est illa existentia sola, quae reddit ens rationis existens, sed illa cum praedicato quod fingit intellectus.

242 Obijcies: ens rationis nequit habere essentiam realem: ergo nec existentiam realem. Resp. distinguendu[m] anteced. non potest habere essentiam realem adæquatam conce[dit]o: inadæquatam nego, & sic etiam poterit habere existentiam inadæquatam realem.

243 Sit secunda conclusio: potest datur ens rationis constans extremis realibus. Probatur in hoc ente rationis: Petrus realis identificatur cum Panlo reali: hoc ens rationis constat Petro, & Paulo realibus, tanquam extremis sub formalitate, quae sunt reales: ergo &c.

244 Obijcies: si Deus à parte rei identificaretur cum lapide, iste esset Deus factus, nam esset Deus lapis. Ceterus; atque intellectus quando dicit: Deus in lapis, attingit quandam Deum identificatum cum lapide: ergo non attingit Deum verum, cum uero habemus, sed alterum factum. Resp. distinguendo attingit quandam in Deum identificatum cum lapide ex parte subiecti, nego. Ex parte complexi concedo, solum autem istud est factum: nam Deus, qui vere sit lapis, nec datur, nec dabilis est.

SECTIO IV. *Per quos actus efformetur ens rationis.*

245 **S**IT prima conclusio: per apprehensionem non efformatur ens rationis. Probatur, nam intellectus per apprehensionem nequit affirmare de aliquo subiecto praedicatum quod repugnet, nec negare aliud quod essentialiter illi conveniat: ergo nec poterit facere ens rationis.

246 Sit secunda conclusio: per iudicium & discursum potest fieri ens rationis. Probatur in hoc iudicio: Petrus est lapis. Deinde probatur in discursu, nam discursus componitur iudicijs: ergo si ista efformant entia rationis etiam discursus patet in hoc syllogismo: omnis homo est lapis: sed omnis lapis est leo: ergo omnis homo est leo.

247 Obijcies primò: per hanc apprehensionem alter Deus habet alter Deus esse obiectivè tantum in intellectu: ergo ens rationis. Resp. alterum Deum per apprehensionem habere esse obiectivè tantum in intellectu, non verò esse ens rationis: nam esse obiectivè in intellectu solum dicit denominationem extrinsecam provenientem à cognitione, sicut esse obiectivè in voluntate solum est denominatio extrinseca amati proveniens ab amore, & hoc nihil dicit de ente rationis quamobrem apprehensio non illud efformabit. Nota alterum Deum cognitum per apprehensionem, neque esse ens rationis, neque reale, sed quid impossibile medium inter utrumque. Non reale, vt ex se patet. Non rationis, quando per apprehensionem non contingit alter Deus, sed solum quod est impossibile representatur, quin esse, vel non esse, per illam decernatur.

248 Obijcies secundò: apprehensio facit universale: ergo etiā ens rationis. Concedo antec. & nego conseq. nam universale resultat ex actu intellectus praescientis, & ex obiectis praecisis, & cum hoc possit fieri sine figura, nam abstrahentium, & praescientium non est mendacium nec figuratum, hinc est, quod facit universale, non verò ens rationis, id enim requirit quod praedicatio det per determinationem aliquid quod repugnat, vel quod auferat quod convenit: cum ergo id non præstet apprehensio, inde est, &c.

SECTIO V. *Quæ potentiae efforment ens rationis.*

249 **S**IT prima conclusio: intellectus divinus nequit efficere ens rationis, nam vt vidimus ens rationis, est quid fictum ab intellectu, &c. sed Deo repugnat fingere: ergo & efficere ens rationis.

250 Sit secunda conclusio: voluntas nequit facere ens rationis. Probatur, nam licet voluntas amet alterum Deum, nunquam potest illi tribuere praedicatum disconveniens, nec auferre conveniens, semper enim fertur in obiecta repräsentata ab intellectu, & sic feretur etiam in entia rationis facta ab intellectu.

251 Dices: licet unus intellectus producat unum ens rationis, hoc idem potest reproducere alter intellectus, & efficiet ens rationis: ergo licet intellectus faciat ens rationis, voluntas poterit reproducere illud, & sic faciet ens rationis. Resp. esse longam disparitatem, valde enim per accidens est quod præcesserit factum ab alio intellectu ens rationis, quod meus intellectus facit, ob essentialē independentiam quæ mediāt. At non est de per accidens, sed de per se, quod ens rationis supponatur fictum ab intellectu ad hoc ut voluntas feratur in illud. Secundò, quando voluntas nec dat, nec aufer rebus praedicata repugnantia, sed solum extrinsecè denominat illas odio, vel amore affectas, quod non est quid rationis, sed reale, ut de apprehensione diximus.

252 Sit tertia conclusio: nulla potentia materialis interna, vel externa potest facere ens rationis. Probatur, quia nulla potentia potest si est materialis, percipere ens rationis; nam solum possunt percipere quod in re physicè est: ergo cum ens rationis in re physicè non sit, non poterunt illud percipere, & consequenter nec facere. Probatur secundò, nam licet imaginativa possit percipere aliquod compositū, quod sit homo, vel leo, solum percipit illud cum coloribus aut figura hominis aut leonis: sed id compositum non repugnat à parte rei, nam est possibile & producibile à Deo: ergo non faciet ens rationis. Deinde nunquam potest concipere, nec miscere substancialis hominis, & leonis, in quo iovenitur repugnantia, nam substancialis solum percipiuntur ab intellectu, non à sensu: hic enim solum tangit accidentia sensibilia: ergo nequit facere ens rationis.

253 Obijctes: potest canis fugere ab aliqua columna existimans esse hominem, à quo fuit percusus: sed repugnat quod illa columna sit homo: ergo tunc facit ens rationis. Resp. non existimat illam columnā esse hominem, sed viua columna excitatur illi species hominis, qui eum percusit, & sic imaginatur, illic esse hominem, à quo fuit percusus, quod non repugnat absolutè, immo est valde possibile.

254 Sit quarta conclusio: Deus noscit ens rationis mediate. Probatur, nam Deus noscit omnes actus humanos efformantes ens rationis: ergo Deus noscit mediate quodlibet ens rationis. Prob. conseq.  
nam

nam est impossibile quod quis infinita claritate noscat rem dicentem ordinem ad aliam, quin noscat illam aliam, cui refertur; sed nostrae cognitiones facientes ens rationis dicunt ordinem essentialium ad ens rationis, quod est obiectum earum: ergo Deus noscendo cognitiones noscit earum obiectum, quod est ens rationis: ergo Deus mediante noscit ens rationis.

255 Sit quinta conclusio: Deus noscit ens rationis in sua impossibilitate, & absque eo, quod mediet cognitio nostra. Probatur nam nihil latet divinam mentem; deinde quia Deus noscit non dari illud cognitionis obiectum, quia est fictum: ergo noscit ens rationis, licet illi negando existentiam. Probatur deinde: nam Deus noscit omnes eos omni modo quo est noscibile sine imperfectione, sed ens rationis immediate, & in se ipso est noscibile ut impossibile, sine imperfectione, ergo Deus noscit illud immedieate.

### SECTIO VI. Quotuplex sit ens rationis.

256 **D**ividitur ens rationis primo in chimericum inutile, & sine fundamento; & in logicum utile, & cum fundamento. Primum est, quod fabricatur ab intellectu sine fundamento, ut si quis pro libito apprehendat quod aer est terra. Secundum est quod fabricatur cum aliquo fundamento: v.g. quando paries visus concipitur tamquam si visio denominans illum visum, sit forma intrinseca ipsi parieri sicut ei est intrinseca albedo. Duplex est fundamentum. Aliud est ex ignorantia, ut quando concipitur quantitas in Deo ob immensitatem, & diffusionem, sicut in homine: aliud ex necessitate intellectus, qui ex proprio, & imperfecto modo cognoscendi habet unitate dispersa, vel separare identificata. Sic semper ob connata communia dat obiectis distinctis unitatem per actum ea confidentem, vel identificatis distinctione per connata diversa, & huiusmodi ens rationis est, quod admiscetur in obiectis logicis. Nec obest dictis quod qualibet res dat fundatum ut cognoscatur ut est; nam etiam dat fundatum, tum ut alia cognoscantur aliter ac sunt; (homo enim, & si exigat cognosci ut est dat etiam fundatum ut Angelus ad modum eius cognoscatur aliter ac est.) Tum ut ipse homo etiam semper cognoscatur aliter ac est.

257 Ens rationis cum fundamento adhuc est triplex: negativum, privativum, & relativum. Primum est carentia formae in subiecto inpetto, ut carentia visus in lapide, concepta tamen ut forma positiva. Se-

## Disputatio V.

cundam carentia formæ in subiecto apto: v. g. carentia lucis in aëre. Tertium relatio aliqua concepta in forma in qua non est ac si esset, v.g. in cognitione, quæ est de genere qualitatis, relatio ad obiectum, quam physicè non dicit. Explicatur sic ens rationis, per analogiam ad ens reale: nam hoc, vel est negativum, & sic privatio, aut negatio; vel est positivum, & sic, si cognoscitur ut est, est ens reale; si aliter ac est, per identitatem, aut unionem, est ens rationis relativum.

258 Obijcies primò, à parte rei dantur negationes. Secundò denominationes sunt ipsi actus reales. Tertiò repugnat identificari positivum cum negativo. Ad primum fateor negationes esse à parte rei, sed ut sic non sunt ens, sed non ens: dum autem concipiuntur ad modum entis, sunt ens, sed rationis. Ad secundum, denominationes extrinsecæ ut potentiam denominantes, actus reales sunt, quia verè insunt; at ut denominantes obiectum, entia rationis sunt, quia concipiuntur in ordine ad obiectum cum vero respectu quem non habent. Ad tertium, positivum, & negativum, si clare cognoscantur, non possunt identificari; bene verò si negativum confusè cognoscatur, nam sic potest attingi ut positivum; sicut eriam viride à longè visum, attingitur ut fuscum. De hoc latius N. Dionysius hic lib. 3. distinctione 9. ar. 2.

259 Sed nota valde aliud esse præscindere sive abstrahere, & aliud fingere sive facere ens rationis. Præscindere, noscit unam formalitatem sine alia: id est, quin ralis cognitio sit cognitio alterius formalitatis, & sic carentia quæ datur in præscindendo, non est carentia cognitiva in obiecto, sed in actu, quia actus noscens animal non noscit rationale.

260 Fingere autem est, in ipso obiecto cognito ponere quod non habet, vel tollere quod habet. Sic cognitio quæ cum rationali hominis coniungit rugibile, vel quæ à rationali hominis tollit animal, cōcipiendo in eo carentiam animalis, vel distinctionem ab animali, ista cognitio fingit, quia coniungit cum ipso obiecto quod ei repugnat, propterea ergo sunt ens rationis, quæ nuper assignavimus.

## SECTIO VII. Notabilia pro dictis.

261 **N**ota 1. quod quando dixi num. 241. Existentiam, & essentiam inadæquatas entis rationis esse reales, intelligendum est, non de existentia illa specialissima formalis entis rationis sive complexi, quæ illud actualiter constituit extra causas in ratione facti, sed de materiali propria extermorum. Nota secundò, dum dixi nu. 243.

Ex-

Extrema esse realia, intelligi de illis materialiter sumptis, quatenus entitas illa subiecti: v.g. Verbi Divini, de quo prædicatur entitas prædicti repugnantis; v.g. creaturæ, verissimè sunt à parte rei, nam Arrius dum dixit: Verbum Divinum est creatura: de vero Verbo Divino affirmabat. Patet, quia istæ sunt contradictoræ: Verbum Divinum est creatura, Verbum Divinum non est creatura: ergo sunt eiusdem de eodem, &c. Atqui negativa utpote definitio Ecclesiarum, negabat de vero Verbo Divino; ergo Arrius affirmabat etiam de vero Verbo Divino.

262 Obijcies primò: ergo etiam affirmabat veram identitatem, ac per cōsequens, totū erit obiectū existens realiter. Cōsequētia probatur, quia illam identitatem affirmavit, quam Ecclesiam negabat, & ista negabat realem ergo. Respondetur distinguendo cōsequens ergo etiam affirmabat idētitatē realem, ita ut unio realis affirmata, verè, & exercitè esset à parte rei inter illa extrema, nego: quæ verè non esse inter illa extrema, licet intelligibilitè, & signatè vera concipereatur ab Arrio, concedo consequētiam. Nego autem obiectum fore verū, & reale, quia cum illa identitas verè, & exercitè non esset, finiebatur ibi esse.

263 Obijcies secundò: ergo intellectus Arrij affirmabat esse, quod expressè cognoscebat repugnare. Verbum enim Divinum, & increatum, quivis intellectus iudicat impossibile ut sit creatum. Nego consequētiam, quia aliud est, quod Arrius affirmet creaturam de Verbo Divino, quod à parte rei est increatum; aliud de Verbo Divino quod concipiebat increatum. Admitto 1. nego 2. quia ad fictionem sufficit quod prædicatum affirmatum de subiecto, repugnet subiecto, propter inadæquatè concepto.

264 Nota 3. pro dictis num. 235. non omne unum, verum, bonum, esse proprietatem solius entis realis, sed unum verum, & bonum à parte rei; etenim hyrcocerbus etiam est unus hyrcocerbus, & est unum figmentum, & verum figmentum, & etiam bonum figmentum, ut sit exemplum fingibilium. Differentia ergo proprietatum realium, & rationis, non stat in formalī ipsarum, sed in radicali sive in recto, quatenus realia radicantur verè in ente à parte rei, rationis vero radican- tur etiam verè (nam de entibus fictis dabiles sunt propositiones vere de quo noster M. Lumbier à num. 764. de Visione) in ente ficto post quam fictum est.

## DISPUTATIO VI. De universalis.

## SECTIO I. Quid est quodPLEX sit.

265 **Q**uodPLEX est universalis. Primum in causando & est illud, quod plures producunt effectus, ut Deus aut Sol. Secundum est in significando, & est illud quod plura significat, ut vox leo, quae significat plures leones. Tertium in praedicando, & est illud quod de pluribus potest praedicari ut homo. Quartum universalis est in essendo, & est illud quod existit in pluribus, ut patet in ipso homine, qui est in omnibus hominibus.

266 In hoc tractatu solum est questio de universalis in tertia, & quarta acceptione, quae universalia requirunt quandam naturam unam communem multis, in quibus multiplicatur. Quamobrem licet natura divina sit una, & idem cum tribus divinis Personis, non est universalis, nam non est una extrinsecus, sed intrinsecus & munericus una & ad universalis requiritur unitas extrinseca, & multiplicitas intrinseca natura, quod deficit natura divina. Etiam licet una anima rationalis existeret in pluribus corporibus, non esset universalis, nam non possit praedicari per identitatem de illis, quod requiritur ad universalis.

267 Suppono: universalis esse quoddam concretum sive compositionem ex actu attingente obiectum, tanquam ex forma, & ex ipso obiecto tanquam ex materia.

268 Aliqui definunt universalum: totum intentionale existens in pluribus. Contra, nam ex natura divina, & cognitione resultat totum intentionale in multis existens, nempe in tribus personis, sed non est universalum ergo &c. Alij sic, unum intentionale in multis multiplicabile. Contra, nam ex eo quod sit multiplicabilis: debet a fortiori esse in multis: ergo super vacaneum est ly: in multis.

269 Sit conclusio: universalum recte definitur: unum existens in multis de quibus potest praedicari cum multiplicitate intrinseca sui. Probatur: nam per ly cum multiplicitate intrinseca: differt ab omni illo, quod non est universalis, sed singulare; ut a natura divina, &c. per reliquias particulas convenit cum illo, quod non est universalis. Deinde nullum est universalis cui non conueniat: ergo haec erit optima definitio.

270 Obiectio 1. unitas est proprietas entis; ergo non definitur bene per illam universalis. Nego conseq. quia quod est proprietas aliquis uno modo, potest esse de essentia alio modo, & sic de essentia na-

etur ut universalis, debet explicari clare, & explicitè unitas in definitione universalis.

271 Obijcies 2. ab animali, & rationali potest abstrahi ratio partis metaphysicę, & de illis potest prædicari ut universale; sed non est intrinsicè multiplicabilis, nam ad hoc requiritur prædicari de pluribus intrinsecè distinctis: ergo &c. Resp. tale universum iam esse intrinsicè multiplicabile, id est, ex parte obiecti propter distinctionem obiectivam, quam dicunt inter se animal, & rationale. Unde saltem fundamentaliter erunt intrinsicè multa.

### SECTIO II. *De unitate à parte rei.*

272 **V**nitas solet definiri: divisio in se, & divisio à quolibet alio: Vnitas dividitur in unitatem formalem, & materialiem. Vnitas materialis est ipsa singularitas, & differentia individualis, per quā unum individuum est individuum in se numerice, id est non multiplex in se, & distinctum in numero à quolibet alio individuo; v.g. Petreitas. Vnitas formalis est, qua aliqua sunt unum, & idem (vel saltim non distincta) in ratione specifica, quia hæc est qua vocatur ratio formalis, ut plures homines in ratione specifica hominis, per quam formaliter differunt à qualibet alia specie, v.g. leonis.

273 Affero ergo: dari à parte rei utramque unitatem. Probatur, nam Petrus independenter ab actu intellectus participat speciem hominis prout distinctam à qualibet alia specie animalis: sed hæc species est vnitatis formalis: ergo independenter ab intellectu datur vnitatis formalis: Deinde datur etiam vnitatis materialis, nam independenter ab intellectu quodlibet individuum est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio individuo, sed hæc est vnitatis materialis: ergo.

274 Nota, nos non dicere à parte rei dari vnitatem formalē universalem, illam nempe quam actus intellectus præscindendo format in hoc enim sensu tantum dicimus esse fundamentalem: dicitur formalis, nam cadit supra prædicata metaphysica specifica hominis, supra qua postea fundatur vnitatis formalis abstractiva. A parte rei autem potius dicitur vna specificè negative, id est non divisa, nec multiplex specificè.

## SECTIO III. Aliqua sententia circa unitatem à parte rei.

275 **N**ota illam naturam esse vniuersalem, quæ habet unitatem, & deinde proximam capacitatem ad prædicandum de pluri- bus, in quibus intrinsicè multiplicetur, vnde cum natura humana habeat iam hoc quod est multiplicari, si habet à parte rei unitatem hanc, à parte rei erit vniuersalis. Audiamus nunc Autores.

276 Prima sententia est Platonis afferentis species rerum (que duntur ideae in sua sententia) existere per se, & esse naturas vniuersales, & veluti exemplaria singularium. Ponebat enim essentiam hominis in communi, quam essentiam appellabat hominem æternum, & incorruptibilem, ex cuius participatione constituebatur quilibet alter homo, & ad ipsius similitudinē producebatur, ita ut ab illa idea habeat distinctionem formalem realem.

277 Contra nam illæ ideae sunt realiter separatae à singularibus: ergo nequeunt prædicari de illis per actum verum; ergo non sunt vniuersale, quod cù inferioribus debet identificari. Deinde quilibet ex illis ideis debet esse producta: ergo per aliquam actionem singulare, sed actio singularis exigit terminum singularem: ergo illæ ideae sunt singulares: ergo nequeunt habere vniuersalitatem formalem.

278 Secunda sententia ait, à parte rei dari vnam indivisibilem naturam humanam, & plures differentias hanc naturam contrahentes, v.g. in Petro, & Paulo solum dari vnam naturam humanam, quæ ante differentias erat indifferens ad hoc ut contraheretur cum hac vel illa differentia, & propter hanc indifferenciam dicunt esse vniuersalem.

279 Contrarium nullum prædicatum singulare quod est in Petro, datur in Paulo, nam realiter omnimoda distinctione numerica differunt: ergo etiam in natura. Deinde, hoc esset secundum mysterium Trinitatis. Probatur, nam in omnibus individualiis esse vnam naturam intrinsicè identificatam cum quilibet individuo, & ista individua intrinsicè distingui est quod in Trinitate superat omnem captum humanum, immo, & angelicum ob ingenitam arduitatem, quam claudit hic in terminabilis nodus. Unitatis & distinctionis realis: ergo indignum & intollerabile absurdum erit in creatis tantum mysterium concedere.

280 Tertia sententia est Patris Fonseca habentis naturam esse vniuersalem non ut productam: sed ut producibilis est. Quia ut producibilis differens est, ut eam Deus in hoc, vel in illo individuo imprimit;

mat; secūs vero ut producta, nam sic iam est determinata ad hoc, & illud individuum.

281 Contra 1. quia natura Petri; v.g. antequam per productionem illi appropriateatur, licet esset indifferens ad essendum in hoc vel illo individuo *disiunctivè*; non tamen ad essendum in hoc & illo individuo *copulativè*, quod requirebatur ut esset universalis. Contra 2. quia illa natura nunc est identificata cum Petreitate: ergo & etiam antequam produceretur, nam quæ semel identificantur, semper identificantur: ergo in nullo statu fuit indifferens, ut esset natura Petri, vel Pauli &c. sed semper fuit, est, & erit natura Petri determinata.

#### SECTIO IV. De distinctione Scotica, & unitate negativa reali.

282 **S**COTUS cum suis ponit à parte rei in naturis quandam unitatem communem, quæ non est positiva, nam hæc solum convenit per positionem actus præsidentis; est tamen negativa, quia stat in eo quod natura hominis, quæ est in quolibet individuo, non petat ex se esse in illo, sed ex se habeat quandam non repugnantiam ( si à differentia non impediretur) ad esse in Petro, vel in Paulo &c. & ideo est negativa: nam non est una, quia excludit singularitates, sed quia eas ex se non includit.

283 Sed impugnatur hæc sententia; nam est impossibile, quod aliquid conveniat physicè, & realiter alicui, quin etiam conveniat omni illi, cum quo identificatur: ergo si hæc unitas non convenit Petreitate, neque naturæ, siquidem mutuo identificantur physicè. Secundo impugnatur, quia nequit verificari de natura, quod careat realiter prædicato cum quo identificatur; sed identificatur cum differentijs; ergo nequit verificari quod careat realiter illis: sed aliter nequit esse una: ergo nequit verificari; quod sit una realiter.

284 Sed ad 1. respondetur, benè posse convenire naturæ, quin conveniat differentiæ, nam in statu, in quo convenit naturæ non esse singularis, non est idem cum singularitate; & sic infringitur huius argumenti, & aliorū vis: nā in sphera reali datur duo status: status nempè realis absolutus, & status realis ex natura rei; in hoc statu 2. distinguuntur; in 1. identificantur. Quid ergo mirū quod in hoc 2. cōveniat naturæ aliquid, quin conveniat differentiæ, à qua distinguitur, neutrum quam vero in 1. nempè in reali absoluto, quia in hoc identificantur.

285 Ad secundum argumentum respondetur etiam sic: non potest verificari de natura humana, quod realiter careat illo, cum quo

identificatur, distingue: in statu in quo identificatur est verissimum: in statu i. quo rō identificatur, est falso: cum ergo in statu in quo poterit hæc unitas, distinguantur ex natura rei, in illo erit una, sed forma aliter, & negative. Dites: natura humana, adhuc prout distincta ex natura rei à differentia, est producta per actionem physicam; sed cumne quid producitur à parte rei per actionem physicam est singulare: ergo est quid singulare illa natura.

286 Respondeo: distinguendo: sed omne quod producitur per actionem physicam est singulare, singularitate sumpta à differentia cū qua nascitur contracta, concedo: est singulare singularitate sumpta à se, nego; nam semper est una cum alijs, prout distincta ex natura rei à differentia individuali. Sed instabis; si daretur hæc unitas, natura Petri, prout distincta à Petreitate, esset una & eadem cum natura Pauli, prout distincta à Pauleitate; si esset eadem realiter, Petrus & Paulus haberent unam & eādem naturam, & illi inter se distinguerentur, sed hinc sequeretur alia Trinitas, vel æqualis difficultas: ergo &c.

287 Respondetur, verum esse naturam Petri prout distinctam à petreitate esse unam ex natura rei cum natura Pauli, non vero hæc unitas paritermis currit cum unitate Trinitatis, hæc enim est una positive & immultiplicabilis in differentijs individualibus distinctis; unitas vero ex natura rei nec est positiva sed negativa; nec immultiplicabilis, sed multiplicabilis in plura individua: ergo &c.

288 Arguitur 3. sic ab absurdis: ex hac sententia sequeretur quod destruto Petro destruerentur omnes homines, nam destrueretur natura, quæ erat indentificata realiter cum omnibus hominibus, & quod non destruerentur, nam manerent: ergo &c. Deinde sequeretur, si esset una natura in omnibus, quod eadem natura constarent Iudas, & Christus, & quod eadem natura esset in Cœlo, & in inferno.

289 Respondetur ad primum, negando quod destruerentur omnes homines, nam licet ex se & negative non distingueretur natura Petri à natura Pauli & reliquorum, distinguetur tamen realiter absolu: tè, quæ est robustior distinctio, & sufficiens, vt licet Petrus destrueretur, non cæteri destruerentur. Ad secundum respondetur quod eadem esset natura Christi & Iudæ negative ex natura rei, non vero positive realiter absolu: tè, & hæc est ratio quare eadem non est in Cœlo, & in inferno, sed distinctæ distinctione abso-

luta positiva.

\* \*

## SECTIO V.

*Proponuntur aliæ rationes in favorem prædictæ sententiae.*

290 **P**robatur insuper vñitas à parte rei negativa: nam si Petrus à parte rei non haberet vnitatem specificam ex parte naturæ cum natura Pauli, non distingueretur à bruto magis quam à Paulo, si quidē numericè à Paulo, & solù numericè à bruto distingueretur: ergo necesse est ut realiter ex natura rei natura Petri, & Pauli vnitate specifica negativa concilientur, ne æqualiter excludatur Petrus à Paulo, ac à bruto. Confirmatur, nam id per quod Petrus est homo, est idem cū prædicato per quod Paulus est homo; sed non potest Petrus esse homo per idem prædicatum per quod Paulus est homo, quin habeant vnitatem à parte rei ad minus negativam: ergo habent illam. Probatur, nam Petrus non distinguitur à Paulo, quia est homo: ergo convenient in hoc per vnam naturam humanam, saltim vnitatem negativa: & sic danda est talis vñitas.

291 Resp. Petru esse hominē per prædicatum simile prædicato, per quod Paulus est homo, nō per idē prædicatū re aie, sed per idē fundamentaliter, & nō idē ex natura rei: nā in illo priori naturæ, quo natura præcedit suā singularitatē, non habet aliquid per quod determinetur ad hanc, vel illam singularitatē: ergo pro illo priori est indifferens, vt contrahatur ad hanc, vel illam singularitatē: ergo habet vnitatem negativam. Probatur, nam ad quamlibet entitatem in suo conceptu consideratam sequitur sua vñitas: ergo ad illam naturam prout est prior natura ipsa singularitate, etiam debet sequi sua vñitas; sed non alia nisi negativa: ergo independenter ab intellectu habet vnitatem negativam. Confirmatur, nam licet materia prima sit conjuncta cū forma, secundum se appetit reliquas: ergo etiam licet sit contracta natura cum differentia, secundum se erit indifferens ad reliquas.

292 Resp. naturam non esse vnam adhuc ut distinctam à differentia individuali, nam in hoc statu adhuc est individualis natura, siquidem perit suam differentiam individualem, quam non petit alterius hominis natura: quamobrem talis natura saltim incomplete erit individualis ob ordinem quem dicit ad tale individuum distinctum ab individuo, ad quod dicit ordinem altera natura. Ad exemplum de materia prima dico, non esse ad rem, nam materia prima distinguitur à forma & potest habere duas, & potest amittere propriam &c. quæ

omnia repugnant naturę respectu differentię : ergo non est ad rem. Combinatis utriusque partis rationibus allegatis, quodlibet contradictionis extreum amplexabile declaro, & problematicè defendo.

## SECTIO VI.

*De distinctione graduum superiorum, & inferiorum.*

293 **V**T cum distinctione loquamur : Nota, distinctionem ut sic, sic definiri id per quod unum non est aliud.

294 Datur distinctio realis, quæ facit à parte rei unum non esse aliud, & distinctio rationis & est, quā intellectus ponit inter ea, quæ independenter ab eo nullatenus distinguntur. Distinctio enim una est adaequata, seu excludentis ab excluso, alia inadæquata, seu includentis ab inclusu. Prima datur inter extrema ad invicem se excludentia, secundum totum quod dicunt, ut corpus & anima. Secunda inter extrema, quorum unum includit aliud, ut homo, & corpus, & generaliter omne totum respectu partis.

295 Datur etiam distinctio rationis ratiocinantis, quæ est quam ponit intellectus absque fundamento in obiecto ; ut si intellectus distingueret Petru à Petro, dicēs: Petrus nō est Petrus. Distinctio rationis ratiocinatæ est, quam ponit intellectus in una tantu entitate reali, cum fundamento tamen, ut ab actu mentali dividatur in formalitates; v.g. hæc entitas hominis secundum esse metaphysicum secati solet ab intellectu in unam formalitatem, quæ est animal ob similitudinem cum bruto, & in aliam, quæ est rationalis.

296 Hæc distinctio rationis ratiocinatæ est duplex: una obiectiva & alia formalis: obiectiva est quæ reperitur inter duas formalitates realiter idētificatas, quarum una est obiectum cognitionis, quin ullo modo alia noscatur, ut in sententia communī, animal est obiectum cognitionis, quin sit rationale obiectum talis cognitionis, licet realiter identificantur.

297 Nota, à Patronis huius sententiae non dici nullo modo attingi rationale, quando cognoscitur animal; nam hoc est impossibile, si quidem materialiter entitative, & identice si attingit animal, attingit etiam rationale, licet non attingat illud ex vi formalis representationis, sicut qui noscit herbam aliquam, ignoratam virtutem continentem, materialiter noscit virtutem. Distinctio formalis est quæ ponit intellectus noscendo clare unam formalitatem, & confusse aliam

aliam, ut apud aliquos animal perfectè & clare noscitur, & rationale  
valde confusse.

**SECTIO VII. De distinctione virtuali.**

298 **D**istinctio adhuc dividitur in distinctionem realem virtualē,  
& in distinctionem realem actualē: distinctio realis actualis  
repetitur inter res quarum yna à parte rei absolute, & actualiter  
non est alia, ut musca & arbor.

299 Distinctio virtualis reperitur inter formalitates realiter a-  
equaliter identificatas, & ita se habentes ac si realiter, & à parte rei  
distinguenterunt, ut distinctio quæ datur inter divinam essentiam, &  
Paternitatem, quia licet essentia divina sit realiter identificata cum  
Paternitate, tamen inter divinam essentiam, & Paternitatem mediat,  
Paternitatem non communicari, & essentiam cōmunicari, filium ge-  
nerari, & non essentiam. Hoc distinctionis genus fere ab omnibus ad-  
mittitur in divinis: in creatis est quæstio.

300 Sit conclusio: hæc distinctio stat in præstare munus distinctio-  
nis realis, constituendo res identificatas distinctas virtualiter maxi-  
mè, & inducendo prædicata, quæ repugnarent si ipsa non intercede-  
ret. Probatur: nam si daretur distinctio realis actualis inter essentiam,  
& Paternitatem, rectè fundaret formam, & carētiā inter eas: sed hoc  
idem fundat distinctio virtualis maxima: nam verificatur de uno ge-  
nerare, & de eodem parentia generandi: ergo distinctio virtualis facit  
vices distinctionis realis.

301 Sit secunda conclusio: non darur in creatis. Probatur: nā alias  
posset dici, animal produci, & rationale non produci, quod est mani-  
festum absurdum. Probatur deinde, nam deficeret in creatis vis syllo-  
gistica. Probatur: nam ideo deficit in divinis, quia in illis datur talis  
distinctio: ergo si hic daretur, deficeret hic, quod est contra rationem.  
Deinde, non valeret: quæ sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se;  
& quod admittitur in divinis ob necessitatem, & ob perfectionem in-  
finitam Trinitatis, deberet admitti in creatis, quod est indecens, & in-  
dignum. Maior difficultas est, an in creatis detur distinctio virtualis  
alia, quæ dicitur obiectiva.

**SECTIO VIII. An detur distinctio obiectiva.**

302 Sit conclusio: gradus superiores, & inferiores distinguuntur  
for-

## Disputatio VI.

formaliter obiective. Probatur: nam si non mediaret talis distinctio, quando concipitur animal, deberet concipi homo, & deinde omnes species animalis. Pròbatur, nam animal àque identificatur, & prædicatur de his, ac de homine: ergo àque nosceretur cum his ac cum homine: sed hoc est falsum: ergo & quod non detur talis distinctio. Probatum amplius: nā potest nosci animal à longè, ita ut nullo modo possit iudicari esse rationale: ergo si potest dari in eodem certitudo animalis, & non certitudo rationalis, poterit dari etiam cognitio animalis, & non cognitio rationalis: àque enim implicat unum ac aliud.

303 Respondent, verum esse non nosci rationale, hoc tamen provenire ex defectu connotati rationalis, quod non apparet; non ex parte cognitionis. Contra: sensatio solum est connotatum animalis, & non est connotatum rationalis: ergo cognitio solum erit expressio animalis, & non expressio rationalis. Deinde tantum implicat eandem rem nosci, & non nosci, ac iudicari, & non iudicari: sed tunc potest iudicari esse animal, & non iudicari esse rationale: ergo potest tunc nosci esse animal, & non nosci esse rationale.

304 Obijcies 1. quando obiectum est indivisibile nequit attingi aliquid illius, quin totum illius attingatur, nam indivisibile aut totum aut nil: sed animal, & rationale sunt obiectum indivisibile: ergo &c. Resp. distingo minorem: sed animal & rationale sunt quid indivisibiles, realiter & entitative concedo formaliter obiective nego.

305 Obijcies 2. quando duo sunt identificata nequit produci unum, quin aliud producatur: ergo nec nosci unum, quin aliud noscatur. Resp. negando conseq. Disparitas est, quia cognitio est præcisiva & sic ex duobus identificatis potest attingere unum, relinquendo aliud; in quo stat præcisio; at vero actio physica non est præcisiva, & sic terminatur ad rem prout illam reperit à parte rei, & secundum totum quod à parte rei habet.

306 Instant: ergo iam verificantur contradictionia, nosci, & non nosci. Resp. non esse contradictionia: quia sunt respectu diversorum non pro libito, sed reali fundamento movente, & occasionante præcisionem: unde produci, & non produci sunt de linea physica, & nequeunt dici de physice uno: nosci & non nosci sunt de linea rationis in qua animal, & rationale non sunt unum.

307 Obijcies 3. ut sit distinctio obiectiva, debet esse distinctio in obiecto: ergo non debet esse ex parte actus. Resp. debet esse in obie-

Quod fundamentaliter concedo, formaliter nego: & sic diligenter est ad-  
vertendum non dici obiectivam hanc distinctionem, quia intellectus  
habeat valorem distinguendi physicè obiecta inter se; sed quia fun-  
damentum ad hanc distinctionem resideret in obiecto, & quia animal  
est, quod dicitur obiectum cognitionis, & non rationale.

## SECTIO IX. De distinctione ex natura rei.

308 **D**icitur ex natura rei, quia est distinctio in essentijs & natu-  
ris rerum; dicitur distinctio media, nam est media inter rea-  
lem, & rationis, non enim est tam magna ac distinctio realis absolu-  
ta, nec tam levis, aut tenuis, ac distinctio rationis, & hanc sententiam  
problematicce etiam defendimus.

309 Impugnatut hæc species distinctionis, nam eo modo quo da-  
tur esse, datur distingui: sed non aliud datur esse præter esse reale, &  
rationis: ergo nec alia distinctio præter istas. Resp. distinguendo: sed  
non datur aliud esse præter reale, & rationis, præter reale ex natura  
rei, & reale absolutum concedo: præter reale absolutum tantum, ne-  
go. Quod argumentum etiam destruit distinctionem virtualem, que  
non est realis absoluta, nec formalis, sed est virtualis & realis, sic no-  
stra distinctio est ex natura rei, & realis.

310 Impugnatur deinde: nam ex eo quod animal distinguatur à  
rationali ante intellectum, animal ante intellectum non est rationale:  
ergo ante intellectum animal habet à parte rei carentiam identitatis  
cum rationali sed carentia identitatis à parte rei nequit dari, nisi in-  
ter res realiter distinctas: ergo vel animal, & rationale non sunt idem  
realiter, vel non datur talis distinctio.

311 Resp. hoc argumentū & carentiā inclusionis, nō vero idētitatis  
absolutæ, solum probare, animal dicere carentiā idētitatis realis ex na-  
tura rei à rationali, & per cōsequens dicere distinctionem realem ex na-  
tura rei, & dum non probent distinctionem realem absolutam aut  
carentiam identitatis absolutæ inter animal, & rationale, non periclit-  
abitur conclusio.

312 Defenditur sic distinctio Scotica: in primis homo convenit  
cum leone per esse animal, & disconvenit per esse rationale: ergo ani-  
mal & rationale distinguntur ex natura rei. Respondeatur tamen, ho-  
mo convenit cum leone per esse animal distingo: convenit realiter a-  
ctualiter, nego. Realiter fundamentaliter, concedo: & sic solum habe-  
bit fundamentum ut conveniat, cum veniat intellectus, qui abstrahat,

& distinguat illud à rationali: non vero ex natura rei distinguetur ab eo: vnde realiter non convenit, nisi cum illis, qui suae rationales, nā suae formaliter idem animal & rationale.

313 Defenditur 2: animal ex natura rei habet diversam essentiam: ergo distinguitur ex natura rei à rationali. Probatur antecedens, nam habet distinctam definitionem: ergo & distinctam essentiam. Distingo antecedens. Animal habet distinctam essentiam à rationali, propter distinctum ex natura rei ab illo, nego antecedens, & etiam suppositū, nempe quod ex natura rei à rationali distinguitur: propter formulicer, aut virtualiter minime distinguitur, concedo. Realiter enim tā principium discursus est animal, ac rationale. Et hæc sunt problemata. In sequentibus communem sententiam sequemur.

### DISPUTATIO VII. De Universo.

#### SECTIO I. Quæ sit forma, & materia universi.

314 Sit prima conclusio: forma constitutiva nature universalis est cognitio attingens rationem hominis, quæ est in omnibus inferioribus una, unitate extrinseca proveniente ab intellectu, & multiplex multiplicitate intinēca individuali. Probatur, nā natura humana: v.g. per actū præscindētē fit una, sive cōmuni pluribus, & per multiplicitatem individuorum gaudet multiplicitate à parte rei, quæ essentialis est universo: ergo &c.

315 Sit secunda conclusio: actus qui efformat universale terminatur ad omnem collectionem inferiorum, ita quod omnia inferiora, quæ convenienter in ratione communi, noscantur per modum vias in ordine ad coenarata, aut effectus convenientes omnibus naturis. Probatur, nam actus efformans universale est, qui habet pro obiecto aliquid, quod à parte rei est multiplex, & fit unum per ipsum actum; sed hoc nihil est aliud, quam singularia, vel collectio singularium: ergo in his stat materia. Hæc intellige iuxta dicta n. 298.

316 Obijcies 1. collectio individuorum non potest prædicari de quolibet individuo contento sub universali: ergo universale non dicit pro materia collectionem omnium individuorum. Probatur, nam si universale debet prædicari de quolibet individuo contento sub illo, & collectio nequit de quolibet prædicari, non erit universalis. Rsp. distinguo: collectio individuorum nequit prædicari de quolibet, individuo secundum se totum concedo; secundum partem nego: &

ne-

nego conseq. Et distingo eodem modo probationem, nam vniuersale non debet prædicari secundum omne, quod includit de quolibet individuo, sed de quolibet individuo secundum naturam, quam inclu-debat illius individuum in illo confusso aggregato, quod fit vnum ex trinsece per cognitionem confudentem: sola enim hæc est vnitas, quia sola hæc vnit plura in illo confusso aggregato.

317 Obijcies 2. in hac prædicatione: Petrus est homo: solum præ dicatur natura singularis Petri: ergo non est prædicatio vniuersalis. Resp. concessio anteced. negando conseq. quia prædicatio dicitur vniuersalis, quando talis natura continebatur antea in collectione vniuersali, & sic si prædicatur, erit vniuersaliter.

318 Instant: ergo pariformiter dicemus esse vniuersalem prædicationem hanc; Petrus est hic homo. Resp. negan. conseq. nam prædicatum: hic homo: limitatum cum illa nota particulari hic non includebatur in ratione vniuersali, qua parte erat vniuersale, ideo non efficiet prædicationem vniuersalem, bene vero absque nota illa particuliari. Vide infra n. 321.

319 Obijcies tandem: datur obiectiva præscisio inter hominem, & Petrum ex nu. 297. ergo cognitio homo faciens vniuersale præscindit à Petro, & à collectione. Distinguo anteced. obiectiva idest fundata in obiecto concedo; obiectiva, idest noscens vnum, omnino non noto, & tacto alio, nego antec. & conseq. Vide supra nu. 307.

## SECTIO II. Per quas potentias fiat vniuersale.

320 SIT prima conclusio: iatlectus potest facere vniuersale per apprehensionem. Satis patet hoc, nam sæpè omnes rationes vniuersales fiunt per illam.

321 Sic secunda conclusio: etiam per iudicium & discursum. Probatur in hoc iudicio: homo est animal rationale: in quo noscitur natura humana communis omnibus, de quibus potest prædicari. Per discursum etiam. Probatur in hoc: omnis homo est animal rationale, sed omne risibile est homo: ergo omne risibile est animal rationale; sed per hunc discursum fit vniuersale, nam repræsentatur natura communis multis capax prædicari de illis: ergo &c.

322 Sic tertia conclusio: per sensus internos, & externos nequit fieri. Probatur ex D. Thoma afferente: omnis potentia sensiti a est noscitur singularium tantum: sed hoc non est efficere vniuersale nam cognitionis singularium, ut postea dicemus, potius est destruacio, quam

*Disputatio VII.*

constitutio vniuersalis: ergo per sensus internos, & externos non potest fieri. Ratione probatur, nam sensus externi, & interni attingunt obiectum media specie producta, sed haec representat obiectum singulare, siquidem species representat illud obiectum à quo est producta, & semper producitur ab obiecto singulari: ergo.

323 Probatur 2. nam potentia visiva quando videt à longè multos colores, quin discernat eorum differentias, non facit vniuersale: ergo nulla potentia. Probatur anteced. nam licet videat tres qualitates, tria entia, vel tres colores, non videt illos in ratione alicuius effetus, vel connotati communis, nec facit vnum quid, commune prædicabile de illis: ergo nequit tribuere illis coimunitatem, vel unitatem extrinsecam: ergo nec efficiet vniuersale.

324 Sit quarta conclusio: voluntas facere potest vniuersale. Probat, potest præscindere: ergo & facere vniuersale. Probat. antec. potest attingere naturam sine differentijs; sed hoc est præscindere: ergo potest præscindere. Prob. maior. voluntas solum potest attingere illud, quod intellectus ei proponit, cum sit potestia cæca; sed intellectus potest illi proponere naturam sine differentijs, vt v.g. hominem ut sic: ergo potest attingere naturam sine differentijs: Tunc autem illa dat eis unitatem per actum confundentem.

325 Dices: licet Deus attingat naturā à me præcisam, non præscindit: ergo idem de voluntate respectu intellectus. Nego cōseq. Disparitas est, quia Deus quando cognoscit naturam verè præcisam, etiā cognoscit simul differentias identificatas cum tali natura; quas ramen voluntas nec attingit, nec potest attingere, cum illi non represententur ab intellectu. Vnde voluntas præscindit, cum attingat naturam sine differentijs, secūs Deus.

## SECTIO III.

*An per prædicationem destruatur vniuersale.*

326 **S**IT prima conclusio: per actualem prædicationem generis de specie destruitur vniuersalitas, quæ erat in genere respectu specierum, non vero vniuersalitas, quæ erat in specie respectu individuorum. Probatur in hac prædicatione: homo est animal: leo est animal, vbi licet noscatur animal in ordine ad differentias hominis, & leonis, non ramen noscitur homo, vel leo in ordine ad differentias huius, vel alterius hominis, vel leonis: ergo destruitur unitas & tollitur

tar confessio, quæ animal reddebat vniuersale. Licet autem destruatur vniuersalitas animalis, non tamen destruitur vniuersalitas, quæ est in homine & leone respectu individuorum.

327 Sit secunda conclusio: Per hunc actum: Petrus est homo: destruitur vniuersale, nam per talem actum noscitur natura humana cū differentia individuali clare cognita: sed per actum, per quem clare noscitur individualitas plurificativa, destruitur vniuersalitas: ergo &c. Dices: licet per talem actum clare appareat differentia Petri, non tamen patent differentiae aliorum hominum, quamobrem respectu illorum erit vniuersalis. Contra, nam si hoc esset verum, nunquam esset vera haec prædicatio: Petrus est homo: siquidem si homini correspondent naturæ omnium hominum, redderet hunc sensum, Petrus est omnis homo: ergo ex parte prædicati solum correspondet natura humana Petri, & hac ratione iterum manet roborata prima pars conclusionis antecedentis.

328 Sit tercia conclusio: Prædicabilitas est de essentia vniuersalis. Probatur, supponendo dari prædicabilitatem proximam, quæ datur in natura postquam est præcissa, & aliæ, quæ est remota, quæ datur in naturis singularium prout habent fundamentum ad hoc ut actus præscindens elevet illas ad statum abstractionis, vnde proxime prædicantur.

329 Probatur: quia vniuersale est totum intentionale in multis multiplicabile: ergo prædicabilitas est illi essentialis. Anteced. constat. Conseq. patet: quia esse totum intentionale multiplicabile, nihil aliud est, quam esse prædicabile: ergo &c.

330 Obijcies: vniuersale est indifferens ut sit prædicabile, vel prædicatum: ergo non est essentialiter prædicabile. Anteced. patet in hac prædicatione: homo est animal rationale, in qua ly animal rationale in differens est, ut de suis inferioribus prædicetur, vel ut prædicetur de homine: ergo &c. Resp. quod licet vniuersale posit esse prædicatum alterius vniuersalis; tamen ut vniuersale, quale est respectu suorum in inferiorum, semper est prædicabile radicaliter: nam semper est totum intentionale in multis multiplicabile, quod, licet sit prædicatum, tamen non ideo deperdit essentialiam vniuersalis. Vnde licet sit indifferens ut sit actualiter prædicatum, vel non, quia hoc est contingens illi: non tamen ut posit, vel non posit prædicari.

331 Pro maiori intelligentia nota: duplex esse vniuersale, nempè metaphysicum, & logicum. Illud est: *xpum in multis*, nam multa sunt vnum extrinsecè per unitatem cognitionis coniuncti. Istud est: *vnu*

## Disputatio VII.

comparabile ad multa, vel prædicabile de multis, in quibus multiplicetur: prædicabilitas ergo, quæ est de definitione vniuersalis logici, propter distinctiæ metaphysico, est proprietas metaphysici, illi radicâliter conveniens. Sic intellige quæ dicta sunt.

Nota 2. adversarios obicere posse, quod modus prædicationis adiutus num. 316. potius sit divisio, & partitio vniuersalis, dans vnicuique partes suas, quæ prædicatio vniuersalis. Sed noto: vniuersum, licet ex parte obiecti dicat differentias includendo eas, tamen ita confusse, ut solum exprimat prædicata metaphysica; v. g. animalis; quæ sumpta præcisso secundū, quod exprimunt, sunt vnu, & convenire potest tali vnu expressatum secundum totū expressatum homini, & similiter leoni per identitatem; licet ergo attenta inclusione ex parte obiecti, sit divisio, secundū expressatum tamen est identificativa prædicatio, vniuersalis propria.

### SECTIO IV. De potentia Naturæ ad effendum in multis.

332 **S**ermo potest esse de potentia naturæ vniuersalis abstractæ à multis individuis, vel naturæ abstractæ ab uno individuo. Itē, de potentia essendi realiter in multis, vel de potentia essendi per rationem, prædicandique de illis iuxta tales potentias. Dico 1. in natura vniuersali non datur potentia ut realiter sit, & prædicetur de individuis tota de quolibet, sed quævis natura de suo individuo. Probatur, quia prædicatio vniuersalis debet esse vera ergo de vera identitate; at qui solum habet veram identitatē cum quovis individuo natura propria ipsius: ergo sola illa potest de illo prædicari. De hoc latius supra nu. 327.

333 Secundò, quia iuxta illud principium: dici de omni, & dici de nullo: quidquid affirmatur de Petro, negatur de omnibus distinctis ab illo. Tertiò, qui hic syllogismus concludit: omnis homo est animal, omne rationale est animal: ergo omne rationale est homo: iste vero non: omnis homo est animal, omnis leo est animal: ergo omnis leo est homo: cuius ratio est, quia in primo vere datur vnuinterium, secus in secundo, quia in 1. idem animal prædicatur de homine, & rationali: non vero in 2. de homine, & leone.

334. Dico 2. Natura vna præcisa ab unico individuo solum potest prædicari de illo positive, & non de alijs. Probatur, quia solum cum illo uno habet veram identitatem: ergo solum de illo poterit prædicari. Dices: illa natura sic præscissa nullum habet impedimentum, ut identificetur, & sit in Paulo, quia impedimentum erat Petreitas, &

hæc

hæc metaphysicè, & per rationem est sublata : ergo potest prædicari de Paulo. Distinguo antecedens, nullum impedimentum stans in positivo, permitto; stans in carentia, nego. Nam non datur in tali natura vera identitas, sed carentia identitatis cum Paulo : ergo si affirmatur identitas cum Paulo, falso affirmatur, quia affirmatur quod non est.

335 Dico 3. nec in illis datur potentia identitatis per rationem. Probatur, quia ratio, & cognitio affirmans positivam identitatem illius naturæ cū Paulo, vel debet esse vera, vel falsa? non falsa, quia prædicatio falsa non est prædicatio vniuersalis; vera autem nequit esse, cum affirmet identitatem illius naturæ cū Paulo, quæ tamen non est: ergo.

336 Dico 4. in natura vniuersali vere datur potentia ex parte modi ad essendum vel predicandum de multis. Ratio est, quia potentia ex parte modi est potentia ad habendam cognitionem prædicantem vel comparantem; sed posita cognitione præscidente, iam in intellectu datur talis potentia, & non ante: ergo. Hæc autem potentia non est per modum exigentia, sed per modum non repugnantia, & est illa quam habet quævis natura, & conservat post abstractionem, ut prædicitur de suo individuo.

337 Maior est difficultas, an talis natura sic præscissa ab uno, sit prædicabilis quoad sufficiētiā de multis. Thomistæ affirmant de natura Michaelis præcisa à Michaelitate. Recentiores negant, quia cum apud Thomistas repugnat illi naturæ plura individua, repugnat illi multiplicitas, quæ est de essentia vniuersalis.

338 Dico 5. si sermo sit quoad solam sufficientiam, illa natura secundū quod exprimit, prout præcisa, potest esse prædicabilis de multis quoad puram sufficientiam. Probatur, quia quod exprimit præcise non dicit repugnantiam ut sit in multis si dentur; natura enim Petri sumpta secundum quod exprimit, præcisa Petreitate, solum dicit animal rationale, hoc autem qua tale potest esse Paulus. Idem dic de natura Michaelis, præcisse secundum quod exprimit ut natura. Dixi: secundum quod exprimit: nam si summatur secundum quod confusse dicit, nequit, quia ex parte obiecti semper imbibit Petreitatem, quam tamen non exprimit.

339 Dices 1. adhuc sic non habet identitatem cum Paulo. Fateor, sed dicit non repugnantiam ad illam, & ut adveniat illa, & tunc prædicaretur, licet non posit nunc. Dices 2. ergo Deitas ut præcisa à Per sonis erit vniuersa quoad sufficientiam. Nego, quia per essentiam est

in multiplicabilis in prescindibilibiter à singularitate, adhuc secundum quod exprimit; secus animal rationale Petri, & natura Michaelis.

340 Ex dictis infero: non dati naturam secundum se, sive statum medium inter naturam universalem, & singularem, nisi summatur natura præcisæ secundum quod exprimit. 1. pars probatur, quia vel illa natura est abstracta à multis, vel ab uno? Si à multis: ergo est universalis, cum sit una prædicabilis de multis. Si ab uno, est singularis, cum imbibat singularitatem, & solum posit vere de singulari prædicari. 2. pars etiam patet, quia sumpta præcisæ secundum quod exprimit, neque exprimit universale, nec singulare, & purè sumpta in illa linea neutrum importat.

Infero ex dictis: multiplicitatem intrinsecam inferiorum in universali absoluto, & quoad efficaciam, solum salvari in individuis veris, non in fictis, quia ista carent identitate vera cum totali natura. Sufficiunt tamen facta pro universo quoad sufficientiam, sub conditione tamen, quod essent vera, & adveniret eis identitas vera. Infero 2. etiā sufficere pro universali absoluto inferiora distincta solum fundamentaliter à parte rei: nam ab animalitate & rationalitate bene potest abstrahi ratio formalitatis, metaphysicè se excludentis, & ratio virtutis ad operationem vitalem, & ab attributis Dei ratio entis divini.

### DISPUTATIO VIII. *De Genere primo prædicabili.*

**V**Oces prædicabiles sunt quinque, Genus, Differētia, Species, Præsumptum, & Accidens. Duæ priores convenient subiecto essentialiter; duæ vero posteriores extra essentialiam.

#### SECTIO I. *Quid sit Genus.*

341 **O**Mitto aceptiones quibus genus solet summij; sunt enim ad præsens institutum impertinentes, nam acceptio qua logici agunt de genere, est solum prout est ratio communis pluribus speciebus.

342 Nota, multipliciter prædicari rationem communem de suis inferioribus, in quid, in quale, & in quale quid: In quid prædicatur illud, quod dicitur absolute de subiecto tanquam pars essentialis & intrinseca, & ad modum per se stantis, ut animal de homine, & leone: in quale prædicatur, quando aliqua ratio est accidentalis subiecto, de quo prædicatur, & prædicatur de illo per modum formæ alteri adia-

cen-

centis, ut album quando prædicatur de pariete. Tunc ratio aliqua prædicatur in quale quid, quando est essentialis subiecto, & dicitur de illo per modum formæ adiacentis, ut rationale quando prædicatur de homine. Adiacet enim animali.

343 Hoc supposito, Porfirius sic definit genus logicum. Quod de pluribus specie differentibus hoc ipso, quod quid est prædicatur: quæ definitio potest admitti, supposita prædicta explicacione. Sed brebius potest definiri genus in hunc modum: universum ut pars materialis essentiæ communis: per particulam universum convenit cum differentijs, & reliquis; per particulam ut pars differt à specie, quæ est tota essentia, per particulam materialis differt à differentia, quæ est pars formalis: per particulam essentiæ communis differt à differentis individuorum, quæ sunt partes formales essentiæ particularis.

344 Obijcies: genus nequit definiri: ergo. A nteced. probatur, nam illud per quod genus definiretur esset genus, ut supponimus, & non esset, siquidem conveniret cum reliquis prædicabilibus, & reliqua prædicabilia non sunt genus: ergo esset, & non esset genus. Resp. se qui esse genus, nam reliqua prædicabilia convenient cum illo in aliqua ratione communi, & universaliter illis, & inclusa in illis; non vero convenienter in suo proprio, & formaliter prædicato, partis materialis respectu parti formalis; & sic licet includant universum, quod est genus, ipsa non sunt genus, sicut homo, & leo in suo esse formaliter non sunt genus, sed sunt, & convenient in ratione animalis. Non autem est idē includere genus, & esse genus.

345 Instant, si genus definiretur, constaret genere, & differentia, & esset species: ergo &c. Resp. distinguendo, esset species respectu unius versi, ut sic concedo. Respectu inferiorum, ad quæ se habet ut pars materialis, nego.

## SECTIO II. Aliqua dubia declarantur.

346 **P**rimum dubium est, quid sit definitum in definitione generis? Resp. esse naturam in recto, connotando actum intellectus in obliquo. Probatur, nam illud definitur per talem definitionem quod prædicatur de multis ut pars materialis; sed hoc est natura animalis; v.g. non secundum se sumpta, sed ut terminans cognitionem: ergo quod definitur in recto est natura, &c. Confirmatur à paritate omnis concreti accidentalis in recto dicentis subiectum, & in obliquo formam: ergo si actus est forma, & materia sunt naturæ coadunatae, istæ definitur in recto, & actus in obliquo.

Se-

*Disputatio VIII.*

347 Secundum dubium est, an definitum sit genus abstractum à generibus realibus, & rationis? Resp. affirmative, nam omnia conveniunt in esse partis materialis essentia. Confirmatur, tam definiuntur genera, quorum subiecta seu inferiora sunt substantia, quam quorum subiecta sunt accidentia, quia omnia conveniunt in esse partis materialis? sed etiam realia, & rationis conveniunt in hoc: ergo.

348 Tertium dubium est, quomodo genus prædicetur. Nota 1. genus posse summi ut totum multipliciter. 1. ut totum actuale. 2. ut totum potestativum. Summitur ut totum actuale quando summitur secundum id quod actu habet & includit. Ut sic autem adhuc potest summi dupliciter. Vno modo ut totum actuale in ratione universi, & sic claudit actu naturam & cognitionem, sive naturam prout identificatam, & affectam cognitione confundente. Alio modo summitur prout totum actuale naturæ, id est, secundum quod dicit de natura confusse cognita.

349 Summitur autem ut totum potestativum, quando summitur nō in ordine ad se, & ad actum, nec secundū, quod habet in se, sed in ordine ad inferiora, à quibus præcissum est, qua quidem in illo præcissionis statu non habet actu, sed potestate quatenus est potens esse, & prædicari de illis.

350 Nota 2. animal abstractum, licet sit simul totum actuale, & potentiale (actuale in ordine ad se, potentiale comparative ad inferiora) sortiri tamen denominationes, & munera valde diversa. Primo in ordine ad se est vnum simplex individuum generis, nam sicut Petrus est vnum homo, animal abstractum est vnum numero genus, & nō duplex. Secundo, ut totum actuale universi nequit de ullo inferiori prædicari, licet posit ut totum actuale naturæ, quia homo vere est animal pro natura, sed non est animal genus.

351 Nota 3. genus ut totum actuale sumptum dupliciter posse esse obiectum alicuius scientiæ. Primò ut totum actuale in ratione universi, & prout sub notione generis. Secundò, prout totum actuale in ratione naturæ, sive secundum quod actu dicit de prædicatis naturæ, cognitis in cōfusso, & in abstracto per talēm scientiam: Primò modo est obiectum formale logicæ animal ut genus. Secundò modo est obiectum formale metaphysicæ ens ut ens, sive sub ratione præcisa entis. Nam ens, ut est totum potestativum, non est obiectum Metaphysicæ, quia non est vnum obiectum vniuersitatis scientiæ, sed potius est obiectum commune communitate vniuersitatis, abst: atum ab omnibus obiectis omnium scientiarum, contrahibileque per singula obiecta singularium scientiarum.

352 Vnde non sic se habet respectu Metaphysicæ, nam hæc cum sit una scientia singularis aequalis, habet actualiter unum obiectum, sub unica attingibilitate, & hoc est ens ut totū actuale, sive ut actū dicit prædicata in esse naturæ entis: at ut contrahibile ad singula obiecta omnium scientiarum, non ad Metaphysicam sed ad cumulum pertinet scientiarum, quarum qualibet summat partem illius obiecti, (sed sub diversa, & propria attingibilitate) quæ ad eam pertinet, & erat inclusa in toto potestativo.

353 Tertium: ergo dubium est: quomodo genus prædicetur? Resp. 1. animal non prædicari ut totū actuale universi de inferioribus: bene vero ut totum actuale naturæ respectu eorum. Probatur, nam non ut universum, sed ut vivens, & sentiens convenit cuilibet inferiorum: ergo secundum solam hanc rationem potest de illis prædicari.

354 Arguunt: ergo de illis prædicatur ut species. Probatur, nam prædicatur ut includens vivens, quæ est ratio generica, & ut includens sentiens, quæ est ratio differentiæ. Resp. non prædicari ut species, nam vivens sentiens non est tota essentia communis inferiorum, v.g. hominis, siquidem deficeret rationalis: quamobrem solum ut genus prædicaretur, nam prædicaretur, ut pars materialis essentia communis, & non ut tota essentia.

355 Dico 2. etiam prædicatur ut totum potestativum, nam prædicari potest de inferioribus speciebus, ut est abstractum ab illis; sed hoc est prædicari ut totum potestativum: ergo &c.

356 Dico 3. potest genus prædicari ut pars: nam dum prædicatur de homine, vel leone, non prædicatur ut tota essentia: ergo ut pars. Sed adverte quod quando prædicatur genus de inferioribus dictis modis, non manet genus, nam ut diximus prædicatio privat universalitate.

357 Dico 4. prædicatur etiam ut totum actuale naturæ respectu aequalium. Prob. quia vivens sentiens est animal, & animal est aequaliter viventi, & sentienti: ergo prædicatur ut totum de aequali.

358 Obiectus 1. implicat quod animal prædicetur ut pars, & ut totum: ergo ruit conclusio. Resp. implicat, quod prædicetur ut pars, & ut totum, si prædicetur ut pars respectu hominis, & leonis, & ut totum respectu viventium sentientium, nego: aliter concedo. Vel 2. resp. implicat quod prædicetur ut totum actuale naturæ, id est, quod in statu in quo est totum actuale, habeat prædicabilitatem respectu inferiorum, vel quod tota illa prædicata expressata predicentur, nego. Quod predicetur ut totam, id est, quod sit totum, quod reperitur in inferio-

ribus, et credo implicare, quia in hoc sensu solum est pars inferiorum, cum habeant alia praedicata, scilicet sit totum equalium.

359 Obiectus 2. nulla pars potest praedicari de toto: ergo nec animal de homine: sicut materia nequit de homine praedicari, quia est pars. Resp. distinguendo: nulla pars metaphysica, nego; physica concedo, & cum materia sit pars physica, & animal metaphysica, istud poterit, & illud non, nam pars metaphysica dicit identitatem cum toto: physica dicit distinctionem.

360 In fine neta, quod quando dixi animal praedicari ut totum naturae de inferioribus, intelligitur, non de toto ex parte obiecti (nam sic quodvis inferiorum solum assumit partem illius totius, quae ad illum attinet) sed de toto secundum praedicata expressata. Hec enim sumpta metaphysicè secundum totum expressatum, de quovis praedicantur inferiori. Vide n. 331.

### S E C T I O III. De quibus praedicetur genus.

361 **S**IT 1. conclusio: genus praedicatur immediatè de speciebus. Prob. quia nihil mediat inter genus, & ipsas, ergo.

362 Sit 2. conclusio: etiam potest praedicari de individuis immediatè. Probatur, supponendo dari individua completa, quae dicuntur completa, quia continent omnes esseceitates, & individualitates, ut Petrus continet esse hoc ens, hec substantia &c. Individuum incompletum est quilibet ex his individualitatibus incompletis. Probatur ergo nunc, quod praedicetur genus de his individuis incompletis immediatè. Nam animal potest immediatè abstrahi ab hoc, & illo animali, siquidem hoc, & illud animal immediatè & per se ipsa conveniunt in ratione animalis: ergo est ratio abstracta communis & conveniens illis, sed nihil aliud requiritur ut praedicetur immediatè de illis: ergo. Secundo, nam praedicari nihil est aliud, quam iudicari identificatum hoc individuum cum animali, sed hoc possum noscere, quin recorderet hominem: ergo immediatè poterit praedicari animal de individuis incompletis.

363 Dubium nunc est, quando praedicatur, an sit ut genus an ut species? Resp. ut species. Nam in hac predicatione, hoc animal est animal, praedicatum dicit totum, quod dicit subiectum, excepta illa differentia individuali: ergo ut tota essentia. Probatur, nam viuens & sentiens dicit praedicatum, & viuens & sentiens dicit subiectum: ergo. Dices: praedicatum non dicere rationale. Resp. non debere dicere, quia

nec

nec subiectum dicit illud: ergo respectu individui incompleti non erit genus animal, sed species: sicut risibile respectu omnis risibilis non est proprietas, sed species.

364 Dices: animal ut sic praedicatur de hoc, & illo animali, quæ specie distinguntur: ergo non praedicatur ut species, sed ut genus. Resp. praedicari ut speciem, nam praedicatur ut tota essentia communis, quod requiritur ut sit species, & sufficit ut non praedicetur ut genus. Nec differunt specie ut expressatè sunt hoc & illud animal.

365 Obijcies: genus supremum potest praedicari de individuo incompleto, dicendo: hæc substantia est substantia: ergo praedicaretur tunc species sine genere, siquidem nulla esset ratio superior ad talem speciem, & sic nec genus. Resp. concedendo forum, nam species solù dicit ordinem ad genus, in esse subiectibilis, non vero in esse praedicabilis.

366 Sit tertia conclusio: genus potest immediatè praedicari ut genus de individuis completis. Probatur, nam vlna potest dividi immediatè in quatuor palmos, licet immediata divisio illius sit in dimidias vlnas: ergo & animal in individua, licet immediata divisio illius sit in species. Probatur etiam eadem ratione qua probavimus de individuis incompletis similem conclusionem.

#### SECTIO IV. An requirat plures species.

367 **D**ubium est, an impossibili bus omnibus speciebus, excepta specie hominis, animal esset genus.

368 Sit conclusio negativa cum Suarez, Obiedo &c. Probat. quia tunc animal tam determinatum esset ad constituendum hominem, ac nunc est rationale: ergo non esset genus, nam non esset pars materialis essentiae communis, siquidem non haberet indifferentiam, à qua habet hunc conceptum. Vide n. 395.

369 Dices: tunc esse animal partem materialē, quia esset quid prīus, & imperfectius rationali. Contra, nam licet apprehensivum sit quid prius, & imperfectius iudicative, & iudicativum discursivo, tame nec apprehensivum est genus respectu iudicativi, nec iudicativum respectu discursivi: ergo nec animal, licet hoc haberet, esset genus &c. Deinde, genus non esset universale respectu speciei, nam non esset superior, siquidem ad tantas species extenderetur, ac genus. Deinde genus non multiplicaretur in species: ergo non esset universale, genericā universalitatē.

370 Obijcies 1. materia prima est pars materialis, licet esset determinata ad vnam formam: ergo etiam animal tunc ad vnam speciem. Retorque omnia materia potest esse determinata ad vnam formam; ergo, & genus potest esse determinatum ad vnum individuum. Resp. quod materia prima est substantia essentialiter, & id conservat cum vna forma; genus autem cum vna specie non conservaret esse partem materialem specierum, ut dictum est de apprehensivo, & iudicativo, que non alia ratione non sunt genus, licet sint priora, & minus perfecta, quam discursivum, nisi quia non sunt indifferentia ad plures species, que indifferentia tolleretur ab animali, in casu supposito.

371 Obijcies 2. homo haberet idem animal, ac nunc habet: ergo esset genus. Resp. idem animal secundum praedicata realia, & primo intentionaliter sumpta, concedo: secundum formalia, & secundo intentionaliter sumpta, nego. Dubium est, quid esset tunc animal? Resp. esse mixtum praedicabile ex genere, & differentia partiali. Probatur, nam tunc conveniret per formalitatem viventis cum plantis (si forte vivant) per sentiens differret a plantis: ergo esset mixtum ex genere, & differentia.

372 Dices: ergo esset species. Resp. quod tunc sentiens non esset differentia completa, & adaequata, quia adhuc dabatur rationale ultimo adaequativum, sicut non esset species animal apprehensivum, quia talis differentia non esset adaequata.

373 Dices: ergo rationale tunc non esset de essentia hominis, si quidem illi adveniret iam ultimo constituto per sentiens. Probatur, nam illud constituit, quod distinguit; sed tunc homo satis distinguebatur per sentiens ab omni, quod non est homo: ergo &c. Resp. quod adhuc esset de essentia metaphysica hominis, secundum quod est vera ipsius essentia primo intentionaliter: quia ad hoc ut praedicatum aliquod sit plena differentia alicuius rei ultimo constitutiva, non sufficit ut per tale praedicatum distinguitur illa res ab alijs, sed requiriatur praeter hoc, quod illud praedicatum habeat nobilitatem principaliatis inter reliqua, quod haberet rationale, & non sentiens.

### DISPUTATIO IX. De Specie.

#### SECTIO I. De veraque Specie.

374 **T**riplex est praedicatum universale. Supremum, interiectum, & infraenum, i. respicit tantum inferiora. 2. & 3. ref-

respicit inferiora, & superiora. Quatenus inferiora respicit, praedicabilis vocatur; subiectibile quatenus superiora. Species ergo, & subiectibilis est & praedicabilis.

375 Porfirius explicat sic speciem subiectibilem: quæ subiectitur generi, vel quæ sub assignato genere colocatur. Sed contra, nam hæc omnia convenient cuilibet individuo, sed non sunt species subiectibiles: ergo &c.

376 Definienda ergo est species subiectibilis: universale ut tota essentia sub ratione superiori collocatum. Probatur nam distinctivum subiectibilis speciei à praedicabili, est quod hæc respicit inferiora, & illa superiora: ergo sic est definienda.

377 Obijcies: species potest subiecti differentiæ propter constituit seriem prædicamenti, in hac propositione homo est rationalis; ergo non semper subiectitur superiori. Resp. disting. mai. species potest subiecti differentiæ, subiectione ad seriem prædicamenti aut prædicabilis speciei nego: subiectione subiecti ad prædicatum concedo: hic autem loquimur de specie propter constituit prædicamentum, quod resultat ex genere supremo, & alijs inferioribus, non vero de specie propter absolutè potest subiecti prædicato prædicationis.

378 Dubium est an species subiectibilis sit prædicabilis vel universalis?

379 Sit 1. conclusio: species subiectibilis ut subiectibilis non est formaliter universalis, nec prædicabilis. Probatur: nam ut sit universalis, debet respicere inferiora: ut subiectibilis nullo modo respicit formaliter inferiora, sed superiora: ergo ut subiectibilis non est prædicabilis, nec universalis.

380 Obijcies 1. ut subiectibilis non est singularis: ergo universalis. Resp. quod ut talis nec dicit unum, nec aliud, nam quod subiectitur, tamen potest esse universale, quam particulare, siquidem individuum etiam subiectitur, & sic ex præcisâ ratione subiectibilis, nihil dicit de universalis, & particulari, sed præscindit: solum enim dicit in tali conceptu respicere superius.

381 Obijcies 2. talis species est prædicabilis, sed ratio universalis est conveniens omni prædicabili: ergo speciei. Resp. distinguendo: species est prædicabilis, in quantum est species prædicabilis, concedo: alter nego. Vel distinguo: est prædicabilis, & universalis materialiter concedo: in quantum subiectibilis, nego.

382 Obijcies 3. quod est inferius participat rationem superioris: sed species est inferiori universalis logico: ergo est universalis. Resp.

distinguo: participat rationem superioris quoad prædicata essentia-  
lia, concedo, quoad extrinseca ut est vniuersalitas nego. Materiali-  
ter enim est vniuersalis, sed nō formaliter, nec sub formalitate subiecti  
bilis, nisi solum præsuppositive.

383 Sit alia conclusio: datur aliqua species prædicabilis, quę non  
sit species subiectibilis strictè. Probatur in ratione substantię, quę est  
species, & non subiectetur strictè generi; deficit enim genus superius  
cui subiectiatur.

384 Sit 2. conclusio: optimè definitur species prædicabilis: vniuer-  
sale vt tota essentia communis. Probatur, nam sola species i ter reli-  
qua prædicabilia prædicatur vt tota essentia communis, & licet hæc  
definitio conveniat animali rationali, nihil mirum, quia sic sunt tota  
essentia hominis.

385 Obiecties: ergo homo & Deus sunt eiusdem speciei, nam ra-  
tio totius essentie, est prædicabilis de illis. Resp. distingo conseq. sunt  
eiusdem speciei logicę concesso; physicę nego, nā species physica pe-  
tit inferiora solum physicę, & numero distincta, ut homo respectu Pe-  
tri, & Pauli. Deus autem, & creatura plusquam numero differunt per  
esse creatum, & increatum, &c.

## SECTIO II. Vtrum natura immultiplicabilis sit vniuersalis.

386 **C**VM Thomiste defendant, naturas Angelicas essentialiter es-  
se immultiplicabiles numericè, quia multiplicabilitas pro-  
venit à materia, quę eis essentialiter repugnat, defendunt nihilominus  
naturam cuiuslibet Angeli, præcissa singularitate, esse speciem prædi-  
cabilem.

387 Sit conclusio 1. Nulla species prædicabilis, vel vniuersalis  
potest conservari in unico individuo. Probatur ex D. Thoma dicenti:  
Ideo Deus non est species vniuersalis, quia non est multiplicabilis secun-  
dum rem, sed secundum opinionem singularem plures Deos: Sed eodem  
formalissimo modo dicendum est, naturam Angeli esse immultiplica-  
bilem: ergo non est vniuersalis.

388 Confirmatur: nam ut natura sit in re vniuersalis, requirit,  
quod in re sit multiplicabilis; per vos non est in re multiplicabilis,  
nam per vos in re desunt individua: ergo in re non est vniuersalis.  
Respondet, dari multos Michaeles factos, respectu quorum est multi-  
plicabilis. Contra, nam ratio vniuersalis debet esse vniuoca ad inferio-  
ra, & a que participari ab illis: Sed natura Michaelis non est vniuoca  
ad

ad verum & fidem: ergo neque est vniuersalis.

389 Respondent alij Thomistæ: absolute repugnare plura inferiora, non vero repugnare ex parte naturæ Michaelis. Contia: ergo si ab solutè repugnant inferiora, repugnat quod absolutè sit vniuersalis; & si est vniuersalis ex parte naturæ, est idem ac dicere, quod esset vniuersalis natura, si poneretur essentiale requisitū: ergo est dicere, quod non est nec potest esse, siquidem nec ponitur, nec potest ponи tale requisitum essentiale. Deinde, nam in sententia Thomistarum, eo ipso quod repugnet pluralitas specierum, repugnat genus, ergo eo ipso quod repugnet pluralitas individuorum, repugnabit species, nam sicut genus petit esse vniuersale ad species, ita species ad individua: ergo &c. Nec est facilis disparitas.

390 Obijcies 1. potest natura Michaelis nosci sine differentia individuali, que est impedimentum vniuersalitatis: ergo potest nosci vere vniuersalis. Resp. non esse impedimentum solam differentiam, nam vniuersalitas impeditur à differentia, & à carentia identitatis cum inferioribus, & ab incapacitate ad inferiora, & sic, licet deficiat impedimentum differentiæ, dum non deficiant hæc alia inmultiplicabilitatis, &c. non erit vniuersalis.

391 Obijcies 2. concepta sine differentia non esset singularis: ergo vniuersalis. Resp. distinguendo: non esset singularis complete, & ultimate concedo; incomplete nego. Nam adhuc concipitur cum singularitate incompleta naturæ particularis. Vel resp. 2. quod erit singularis identice, & sic non erit prædicabilis de multis vere, & realliter.

392 Obijcies 3. licet individua sint multa, possunt concipi ad modum vnius sine fictione: ergo licet individuum sit vnum, potest concipi ut multiplex sine fictione. Resp. Disparitatem esse, quod ad prium datur fundamentum, non vero ad secundū: illa enim plura convenient in uno effectu connotato, vel respecto; vnum vero individuum nullum præbet fundamentum, ut fiat multiplex. Immo & si per intellectum naturæ Michaelis fieret multiplex, nequaquam fieret vniuersalis; quia per intellectum vniuersale de multiplici debet fieri vnum: ergo ruunt adversantia.

393 Vel 2. resp. concessu antec. nego conseq. Disparitas est, quia ut plura siant vnum per actum confudentem, sufficit sola præcisio à singularitatibus. Ut autem vnum fiat multiplex, non sufficit præcisio, sed riquiritur positiva identificatio, quæ quidem est impossibilis, & ens rationis.

394. Dicta in hac Sectione intellige de universalis absoluto, & pre-dicabili quoad efficaciam; nam de universalis conditionato, & præ-di-cabili quoad sufficientiam, sive quantum est ex parte ipsius naturæ, iam diximus supra num. 338. reperi posse absque vera, & absoluta multiplicitate, dāmodo natura unius individui præscindatur à singularitate, & ut sic dicat metaphysicam nō repugnātiā ex parte sua, vt possit esse in multis, eo quod multiplicitas, & identitas cum mul-tis, quam non habet, sit prædicatum non ci repugnans.

395. Sed cur datur species quoad sufficientiam, & non genus? Quia genus est imperfectum in se, & solum per speciem fit perfectum. Solius autem perfecti est, esse communicabile quantum est ex se.

## DISPUTATIO X. De individuo.

## SECTIO I. De eo primò, &amp; secundò intentionaliter sumpto.

396. Individuum 1. intentionaliter sumptum, est secundum prædi-cata, quæ à parte rei continet. 2. intentionaliter sumptum, est secundum prædicta, quæ ab intellectu derivantur illi. Porfirius sic definit individuum: cuius collectio proprietatum alteri convenire nō potest. Proprietates quas assignat Porfirius sunt sequentes.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis.

Patria; sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Sed hæc definitio est accidentalis, nam per accidentia traditur, vt patet ex illa. D. Thomas sic explicat illud: quid in se indistinctum, ab alijs vero distinctum: quæ est optima definitio, quam Obredo, & alij Suaristæ libenter amplexantur. Alij tamen definit: ens ultimo terminatum.

397. Objicies: Aristoteles ait, quod individuum nequit definiri: ergo male definitur. Resp. Aristotelem dixisse, non posse definiri, non ob defectum intrinsecum provenientem à propria incapacitate eorum, sed ob extrinsecum, nempe à defectu notitiæ in nobis: si enim sciremus eorum essentias, facilime definiremus ea, & sic nolluit dice-re, ea non posse definiri, sed nos non posse ea definire, & hoc secundū peculiares rationes; non autem secundum rationem communem in dividui.

398. Individuum secundo intentionaliter est duplex. Prædicabi-le, & subiectibile. Subiectibile, cum subiectatur generi, differentiæ, &c. non bene definitur: quod subiectur speciei; nec quod subiectur uni. Sed:

ultimo terminus potentialitatis universalis. Prædicabile solet definiri: quod de uno tantum prædicatur, ut Petrus: Dispicet aliquibus, quia Petrus prædicatur de hoc homine, & de individuis incompletis, v. g. hoc animali, hoc rationali. Sed ruit hoc argumentum si addatur: quod prædicatur de uno ut immultiplicabili à parte rei.

## SECTIO II. De individuo vago.

399 Dividitur individuum in vagum, & certum. Istud est triplex. Certum, absolutè significans determinate ut Petrus. Ex hypotesi, significans ex suppositione, ut filius virginis Christum, supposito, quod alius non est natus ex virgine. Ex demonstratione, significans medio pronomine demonstrativo, ut hic homo. Illud, nempe vagum est obiectum indeterminatum actus vitalis, v. g. & tale est, quod certè, & determinatè non demonstratur per cognitionem illud attingentem, ut cum dicimus: aliquis homo currit. Vnde non datur à parte rei, vbi omnia sunt determinata, sed sit medio actu vitali intellectus, cuius est attingere sub disiunctione.

400 Voluntas autè fortè non potest illud facere, quia fertur in illud prout ab intellectu sub disiunctione propositum. Sed si velis dicere, facere, quia fertur volendo indeterminate, sicut aliqui dicunt facere univ ersale, quia etiam fertur actu confusso, non multum carabo. Sicut nec de eo, quod Deus illud faciat, quando natura rei ita postulat. ut v. g. quādō dicit: aliquis equus requiritur ad equitandum; que indeterminatio provenit ex natura obiecti, & non ex confusione actus. Item potest decernere ut Petrus convertatur aliqua conuersione sufficienti, quin determinet specialem actum pro tunc. Sed hæc Theologis relinquamus, & disputemus modo, an individuum vagum sit univ ersale.

Difficultas ergo est an individuum vagum sit univ ersale? Conclusio est negativa cum sententia communiori. Probatur, quia non est univ ersale illud, cui ita convenit singularitas, ut repugnet multiplicitas realis, atqui dum dico: aliquis homo currit: ita exprimitur singularitas, licet vague ut illi significato repugnet simul multiplicitas realis: ergo non est univ ersale. Deinde probatur; nam ista opponuntur contradictiones: aliquis homo currit: nullus homo currit: sed nullus homo est subiectum univ ersale: ergo aliquis homo, debet esse subiectum particularē. 3. quia ly aliquis disiungit singulare ab alijs: ergo.

401 Dices: individuum vagum est unū potens prædicari de plu-

# Disputatio X.

ribus: ergo vniuersale. Resp. negando anteced. nam significatur differentia individualis, licet indeterminatè, & non est ratio multiplicabilis, & vniuoca multis, de quibus potest prædicari: ergo non est vniuersale, nec prædicabile de multis. Deinde ad vniuersale requiritur, quod determinatè abstrahatur, & dicatur de pluribus cum quibus in re identificetur: sed hoc non competit individuo vago: ergo non est vniuersale.

## SECTIO III.

*An posít abstrabi ratio communis vniuoca individui.*

402 **M**aius dubium est: an posít abstrahi ratio individui ab omnibus individuis, ita ut illa ratio abstracta sit vniuersalis? Probatur sententi a affirmans. Primo ex D. Thoma aiente, quod licet hoc singulare, vel illud definiri non posít; tamen id quod pertinet ad rationem communem singularitatis potest definiri; sed ratio communis singularitatis est ratio individui, & posse definiri est habere ratio nem vniuersalis: ergo. Secundo, nam omnia individua strictissimè conveniunt in ratione individui: ergo est ratio vniuersalis, quia una & multiplicabilis in illis.

403 Dices 1. individuationes esse disconvenientias: ergo nequit surgere ex illis vniuersalis convenientia. Contra, licet homo sit disimilis bruto, & è contra, convenient in esse disimiles, & ipse differentiæ essentiales reddentes disimile conueniunt vniuocè in ratione vniuersali differentiæ: ergo etiam &c.

404 Dices 2. quod ratio ultima disimilis nequit esse convenientia, & talis est ratio individui. Contra, nam quādo definitur individuum, comprehenditur omnis individualitas, sicut cum definitur homo, omnis homo comprehenditur: sed definitio est ratio vniuersalis: ergo si de omnibus individuationibus datur definitio, de omnibus ultimis, & non ultimis dabitur ratio vniuersalis.

405 Hęc sententia est valdè probabilis, præcipue si non admittatur transcendentia entis; sed cum nos amplexemur istam in metaphysica, probabilior videtur contraria. Quamobrem contrarijs fundamentis defendam illam, & propugnabo, vt quam malueris contradictionis partem, pro libito eligere valeas.

406 Resp. ergo pro negante sent. quod nequeunt convenire individua in ratione significata, quin aliquo modo exprimantur differentiæ ipsorum, sicut nec ratio Petri potest convenire, nec potest pres-

cindi à pluribus, qui vocantur Petrus, quin Petreitales differentiales significantur. Ad reliqua eodem modo resp. insistens semper in paritate entis & Petri, cuius paritatis vis ingētem parturiet difficultatem intelligentibus.

407 Pro negante ergo sententia arguitur primo: individuatio nequit esse ratio conveniendi, & disconveniendi simul: ergo nequit dari ratio universalis. Resp. pro 1. sentent. sub eadem ratione concedo: sub diversa nego; nam ut talis individuatio est ratio disconveniendi, ut individuatio praeceps est ratio conveniendi, & hoc non implicat.

408 Obijcies 2. ratio individui est essētialiter incomunicabilis: ergo nequit concepi ut univoca, quia ex hoc sequitur, quod esset, & nō esset ratio individua. Resp. distinguendo si sumatur ut tale individū, concedo: si praeceps ut individuum, nego. Vel aliter distinguo anteced. ratio individui est essentialiter incomunicabilis. Si ratio individui sumatur pro natura, idest pro ratione individua, concedo. Si sumatur 2. intentionaliter, & pro ratione individui abstracta, & sumpta, ut est totum potestativum nego. Etenim tunc licet sit ratio individui, sed non est ratio individua, & potest cōvenire multis. Ecce vtriusque partis rationes, prorrige manum ad quamcumque volueris.

## DISPUTATIO XI. De differentia.

## SECTIO I. Quid sit.

409 **D**upliciter summitur differentia nempè 1. intentionaliter, si ve ut à parte rei reddit unum alteri disimile: & 2. intentionaliter, sive secundum statum quem habet per intellectum.

410 Dividit autem Porfirius: differentiam in communem, propriam, & maximè propriam, differentia communis est quam habet res ab accidenti, ut differentia quam habet Etiops per nigredinem, differentia propria est quam habet quis per proprietatem ut homo per risibile: differentia maxima, vel maxime propria est differentia essentialis, ut homo per rationale.

411 Dividitur differentia in unam quæ facit alterum, & aliam, quæ facit aliud: Prima est quæ constituit diversam speciem ut rationalis. Secunda est, quæ res relinquunt in eadem specie, ut Petreitas. Ita rum ergo differentiarum 1. est metaphysicè diversificativa. 2. vero solum est physicè, & entitatè distinctiva, sequiturque proprietate entis faciendo distinctum, & aliquid sive aliud quid.

412 Datur differentia separabilis, v.g. sanum, & inseparabilis, v.g. rationale. Datur etiam differentia inseparabilis essentialiter, ut rationale, & inseparabilis accidentaliter, ut cæcitas, & de hac ait Porfirius posse magis & minus suscipere, nā potest unus esse cæcior alio. Deinde datur differentia divisiva generis, quæ est rationale, dum dividit animal, & datur etiam differentia constructiva speciei, ut idem rationalē, dum constituit hominem.

SECTIO II. *Aliqua dubia.*

413 **D**ubium 1. quid dividatur vel definiatur in hoc praedicabili? Resp. idem quod in genere, naturam nempè in recto, & cognitionem in obliquo.

414 Dices non dari differentias proprietativas, & accidentales, nam supponunt rem iam distinctam essentialiter. Resp. non supponere rem distinctam in genere aut ratione, in qua illæ eam novo modo diversificant.

415 Nota, quod ut una res differat ab alia, non requiritur, quod alia existat, sic Deus differt à Deo factō. Quinque munera assignat Porfirius differentiæ essentiali: afficere genus; illud dividere; illud contrahere; speciem constituere; & distinguere speciem ab alijs: quæ munera solum secundo intentionaliter competunt differentiæ, nam pertinet distinctionem formalem à genere, & hoc deest à parte rei.

416 2. Dubium est: an detur differentia composita ex duplice partiali differentia, quarum quilibet constitutat disiunctim suam speciem distinctam?

417 Conclusio est affirmativa, & probatur in actu, qui simul est practicus, & speculativus, qui differt à mere speculativo per esse practicum, & à mere pratico per esse speculativum: ergo ex duplice partiali differentia potest una integra consurgere. Deinde, nam potest quis ieunare propter obedientiam, & ad punienda peccata: sed talis actus haberet differentiam compositam ex formalitate obedientiæ, & penitentiæ, quæ faceret differre hunc actum ab alio actu, qui fieret solum per obedientiam: ergo &c.

418 Obijcies 1. formalitates practici, & speculativi sunt differentiæ oppositæ dividentes rationem actus: ergo non possunt componi in uno actu, nec unam integrare differentiam. Probatur: nam ideo nō constitut̄ unam totalem differentiam rationale, & irrationalē, quia sunt differentiæ oppositæ dividentes rationem animalis; sed id etiam sunt practicum, & speculativum: ergo

Resp.

419 Resp. distinguendo, differentiae practici, & speculativi sunt differentiae oppositae dividentes rationem actus, quando taliter se habent, ut quilibet constituant suum actum distinctum adaequate concedo: quando coniunguntur in unico actu, distincto a quolibet nego.

420 Ad aliud resp. rationale, & irrationale non contingi, nam sunt semper differentiae adaequatae oppositionem mutuam dicentes ad simultaneum concursum, vel ad constituendam unam tertiam speciem distinctam, quia important essentialē op̄ositionē: at practicum, & speculativum respectu diversorum solum important disparitatem. Unde non semper sunt differentiae adaequatae practicum, & speculativum, nec obedientia, & punio.

421 Obijc̄ies 2. duplex differentia debet constituere duplēcēm speciem: ergo ruit conclusio. Resp. distinguendo, duplex differentia adaequata concedo: inadaequata nego.

422 3. Dubium est, an differentia recipiat magis & minus: non est dubium de differentijs physicis, nam id est certum, patet in calore iā intenso, iam remisso. De differentijs metaphysicis essentialibus est dubium. Cui negativē resp. nam stant in indivisibili: ergo repugnat magis, & minus; aliter enim divisibiles essent. Deinde essentiæ varientur, nam differentia est essentialis: ergo si adderetur magis varientur.

423 Obijc̄ies: differentiae Metaphysicæ sumuntur ab essentia physica: hæc potest magis, & minus suscipere: ergo & etiam differentia Metaphysica distingo mai. sumuntur ab essentia physica id est a parte physica secundum id, quod talis pars importat de essentiali concedo. Secundum quod importat de graduali, vel materiali, nego. Eodem modo disting. min. & nego conseq. Assigno ergo disparitatem: nam essentia physica si accipit magis, est per adventum unionis, si perdit, per defectum unionis, quæ sunt quid contingens differentijs. Tamen hoc proveniret per identitatem, vel defectum illius. En ergo absurdum, quod esset identificari cum aliquo gradu rationalis, & amittere illum durante rationali, cum quo identificabatur: hoc ergo sequentur, si acciperent magis, & minus.

424 4. Dubium est, an differentia sit perfectior genere? Resp. formaliter esse perfectiore. Probatur, nam rationale est perfectius animali, sed illud est differentia, & istud est genus: ergo. Deinde, genus se habet ut materia perfectibilis per differentiam, quæ se habet ut forma perfectiva: ergo, &c.

*Disputatio XI.*SECTIO III. *Quid sit differentia, & alia dubia?*

425 Sit conclusio: differentia definitur: universale ut pars formalis essentiae communis.

426 Dico 1. differentia infima, nempè rationale, non est universalis respectu generis, nec speciei. Probatur, quia non est superior respectu eorum: ergo nec universalis. Dices: Potest praedicari de specie, v.g. homo est rationalis: ergo est universalis respectu speciei. Respond. distinguendo: praedicatur de specie cum multiplicitate intrinseca illius subiecti, & ut ratio superior respectu eius, nego, ut et qualis, concedo. Dices: differentia ut talis est, contrahit speciem: ergo est de illo praedicabilis ut superior. Resp. negando anteced. quia non contrahit speciem, sed ad speciem. 2. Respon. negando conseq. nam etiam contrahit genus, & non est de illo praedicabilis ut superior.

427 Sit alia conclusio: genus summittur à tota entitate essentię physice, & differentia etiam summittur à tota entitate essentię physicę; nam si animal summeretur à materia, & rationale à forma, animal & rationale distinguerentur, sicut distinguntur forma, & materia: ergo genus non summittur à sola materia, & differentia à sola forma. Unde animal summittur à materia, & ab anima ut sensitiva. Rationale à materia, & anima, ut per conversionem ad phantasmata intellectiva; verum enim est quod genus habet, quandam metaphoricam similitudinem cum materia, & differentia cum forma in indifferentia, & determinatione, &c. non vero in esse rei.

DISPUTATIO XII. *De Proprio.*

428 **P**roprium potest summi, & 1. intentionaliter, & 2. intentionalem. ut dictum est de differentia. Datur quadruplex proprium. Primum est quod convenit speciei, vel est proprium speciei, sed non convenit omni individuo eius, ut esse Medicum convenit homini, sed non omni. 2. est, quod convenit omni homini, non tamen soli, ut esse bipedem. 3. quod convenit omni, & soli, non tamen semper ut ridere actu in homine. 4. est, quod convenit omni, soli, & semper, ut risibile homini. Solum 4. est in rigore proprium, nam primū, & 3. possunt adesse, & abesse absque subiecti destructione: ergo ad accidens spectant. 2. vero est commune.

429 Nota etiam, proprium pro natura esse, quod convenit subiecto extra essentiam necessario; proprium vero ut praedicabile gene-

rice sumptum, ut volitivum respectu hominis, & Angeli, definitur stri-  
ctè, & rigorosè: universum prædicabile extra essentiam necessario. Per  
universum convenit cum reliquis, quæ proprium non sunt. Per reli-  
quas particulas differt ab illis, & præcipue per ly *necessario* differt  
ab accidenti.

430 Dividitur, in proprium physicum, & metaphysicum, quæ duo  
conveniunt in derivari ab essentia; differunt tamen, in eo quod phy-  
sicum derivatur, vel convenit essentiæ cum distinctione reali ab ea, ut  
calor ut octo ignis metaphysicum cum formalis aut metaphysica distin-  
ctione. De physico non est quæstio, nam ut notat Suarez, non est pro-  
prie prædicabile de essentia, ut patet in hoc actu: ignis est calor ut  
octo.

431 Dubium est, respectu quorum proprium sit universum? Resp.  
esse universum respectu individuorum, à quibus abstractur, ita ut sit  
proprium universale respectu subiectorum, v.g. risibile prædicatur de  
Petro, & Paulo ut universale, quia de multis, ut proprium, quia est ex-  
tra essentiam. Vnde terminus talis prædicationis sunt sola subiecta;  
at respectu huius risibilis, & illius risibilis, ut talium risibilium, etiam  
prædicatur ut universale, sed ut species, quia est rotæ essentia eorum  
ut talium.

### D I S P U T A T I O XIII. De Accidenti.

432 **S**IC definit Porphyrius accidens: *quod potest adesse, & abesse  
absque destructione subiecti*. Sed impugnant hanc definitio-  
nem sic, nam mors est accidens; sed non potest adesse absque destru-  
ctione subiecti viventis: ergo non convenit omni accidenti. Sed res-  
pondere potest, mortem non destruere essentiam respectu cuius est ac-  
cidens, sed existentiam physicam.

433 Definitur ego accidens pro natura, quod convenit contin-  
genter; prædicabile vero: universum extra essentiam contingenter.  
Probatur à paritate aliorum. Dividit Porphyrius accidens in separa-  
bile ut albedo, & in inseparabile ut nigredo corvi, advertens nō esse  
inseparabilem per intellectum, sed separabilem, licet in re sit ab eo  
immobili: si tamen est verè accidens, inseparabilitas non proveniet  
ex exigentia subiecti, sed ex alio capite. Nota duplex accidens, physi-  
cum & logicum, illud est quod inhæret, ut albedo parieti. Logicū est,  
quod in se est substantia, vel ens alterius prædicamenti, in modo ta-  
men denominandi se habet ut accidens, ut videri potest in hac præ-  
di-

dicatione: homo est vestitus, vbi licet vestes sint in se substantia, accidentaliter de homine praedicantur.

434 Dico 1. quod accidentis respectu inferiorum non praedicatur, ut accidens, v.g. coloratum de albo, nam essentialiter dicitur de illis, & sic tantum respectu subiecti nude sumpti, sive essentiae, est accidentis ut dictum est de Proprio disput. præterita.

435 Obijcies 1. quod est univ ersale, debet essentialiter esse unum in multis; sed album non est essentialiter unum in multis respectu subiecti de quo est accidentis, nam accidentaliter de illo dicitur: ergo. Resp. quod si ly essentialiter cadat supra esse unum in multis, est verum, non vero si cadat supra convenientiam ad inferiora, sive ad subiecta. Nam essentialiter est in illis qua parte est univ ersale, non vero essentialiter convenit subiectis, quorum est accidentis.

436 Obijcies 2. hoc univ ersale non identificatur cum subiectis: ergo non est univ ersale. Distinguo antecedens, secundum rectum nego antecedens; secundum obliquum, & formam denominantem concedo antecedens, & nego consequentiam, quia concretum dicitur de multis, licet dicatur contingenter.

437 Dubium est, an accidentia requirant subiecta existentia ut praedicantur? Resp. non omnia id requirere: calor, nigredo, humiditas & alia similia requirunt existentiam, & adiacentiam in subiecto, ut verificetur praedicatio; amor vero vel cognitio sunt accidentia rei amata, & possunt amatam aut cognitam rem non existentem reddere.

## DISPUTATIO XIV.

*De his que sunt communia quinque Prædicabilibus.*

### SECTIO I. De Numero eorum.

438 **D**ico 1. non esse immediatam hanc divisionem prædicabiliū in genus, differentiam, speciem, Proprium, & accidentis. Nā immediatus divideretur in prædicabile intra essentiam, & extra essentiam; & postea prædicabile extra essentiam in propriū, & accidentis; & intra essentiam in genus, speciem, & differentiam.

439 Dico 2. dari alia prædicabilia præter quinque assignata. Probatur, nam tot sunt prædicabilia, quot sunt modi prædicandi; datur alij modi prædicandi præter quinque ut patet in hoc, nempè homo est animal visibile, quod est mixtum de genere, & proprietate: ergo, &c.

&c. Confirmatur, nam mixtio ex genere, & differentia, nempè species, est prædicabile distinctum à genere solo, & differentia sola: ergo mixtio generis, & proprietatis, erit etiam distinctum prædicabile à genere solo, & proprietate sola. Dices, quod Philosophi solum assignarunt quinque: ergo quia non dantur plura. Resp. quod ex eo quod non assignaverint nisi quinque, non sequitur, quod negaverint plura. Dices omnes prædicationes vel esse intra essentiam, vel extra: ergo præter huc non alię dantur. Resp. posse esse mixtum de intra, & extra, ut mixtum ex genere, & proprietate.

440. Obijcies pro afferentibus solum dari quatuor prædicabilia: prædicari extra essentiam ut totum non distinguitur à prædicari extra essentiam ut pars: ergo nec prædicari intra essentiam ut tota essentia non distinguitur à prædicari intra essentiam ut pars essentiæ: ergo genus quod prædicatur ut pars essentiæ non distinguitur à specie quæ prædicatur ut tota essentia: ergo genus & species non sunt duo prædicabilia distincta: ergo solum dantur qua tuor. Probatur primum anteced. in his prædicationibus: Verbum Divinum est homo. Verbum Divinum est animal; quæ prædicationes pertinent ad quintum prædicabile, licet in una prædicetur totus homo, & in alia prædicetur pars hominis.

441. Resp. negando totum entimemam: nam in prædicationibus偶然的 non datur prædicari ut totum, sed omnia quæ prædicantur偶然的 prædicantur ut pars, nam aliud est quod illud, quod prædicatur sit totum: aliud, quod prædicetur ut totum, primum est verum, & secundum falsum: nam licet homo in se sit tota essentia ipsius hominis respectu Petri, & Pauli, non prædicatur ut tota essentia in hac prædicatione: Verbum Divinum est homo: quia non est tota essentia Verbi, sed aliquid illi superadditum.

## SECTIO II. An universum sit genus ad prædicabilia.

442. Sit conclusio affirmativa. Probatnr quia universale est pars materialis essentiæ communis in omnibus prædicabilibus, siquidem est, in eorum definitionibus id, quod contrahitur per differentias proprias, speciei &c. ergo est pars materialis.

443. Obijcies: sequeretur quod genus contineretur sub genere, & reliqua prædicabilia essent species generis. Resp. distingo: sequeretur quod genus contineretur sub genere sub eadem ratione, nego: sub diversa. Concedo. (si est ut totum actuale sub toto potestativo.) Dices

lequeretur, quod genus & alia prædicabilia essent species generis distinguo generis id est. Vniversi quod est genus concedo. Generis id est, ut i. vocis vel ut vniuersi tanquam pars materialis, nego. Pro quo.

444 Nota 1. sicut supra distinximus animal genericum quatenus totum potestativum sive secundum naturam confusam ; & ut totum actuale, sive secundum aggregatum ex ipsa & cognitione confundente, sic etiam modo dicimus, quod genus prædicabile summi potest vel ut totum potestativum, sive secundum naturam generis abstractam ab omni individuo generis, prædicabilemque de illis : Et ut totum actuale, sive pro aggregato ex natura generis, & actu confundente omnem genus. Hoc secundo modo, est genus quodam individuum, & individuum generis, comparaturq; vt individuum ad genus ut est pars materialis, potestative sumptum sive ad naturam generis prædicabilem de multis: Vnde simul est individuum generis & species vniuersi, diversa ab alijs speciebus: sed diversimode, nam ut totum actuale est in dividuum ; sumptum vero ut totum potestativum est species vniuersi ut sic.

445 Nota 2. quodlibet ex quinque prædicabilibus habere proportiona sua characterica specialemodum prædicandi de suo inferiori, v.g. ut pars materialis, vel ut pars formalis, vel ut tota essentia, & pro his omnibus datur ratio communis prædicandi de multis. Ista secunda ratio facit vniuersalitatem ut talem, prima vero contrahit illam ad diversam vocem prædicabiliam, sive ad diversam speciem. Quando ergo inquiritur, an ratio communis vniuersi sit genus ad quinque prædicabilia, idem est ac querere: an prædictetur de quinque modo proprio generis, sive ut pars materialis de illis tanquam de multis specie diversis?

446 Et ad hoc respondemus affirmativè. Vnde si vniuersum sumatur ut totum actuale aggregatum ex natura vniuersi, & ex actu confundente omnia vniuersa est individuum generis, id est individuum primæ vocis prædicabilis. Ratio est quia licet ut individuum nequeat prædicari de multis, quia ramen illud individuum importat in recto naturam vniuersi potestative prædicabilem de multis ut pars materialis, convenit illi ratio specifica propria primæ vocis, & sic est genus respectu omnium quinque vocum, quibus convenit & de quibus dicitur ut totum potestativum.

447 Nec obest quod hoc pacto erit superius quinque vocibus, & simul inferius, cum sit individuum primæ vocis. Distinguo: sub una, & eadem consideratione nego: sub diversis concedo. Nam ut totum actua-

actuale est inferius, ut totum potestativum sive secundum naturam, quam importat in recto, erit superius: in quo nullum est inconveniens.

448 Obiectio: vniuersale ut sic includitur in differentijs generis, speciei, &c. ergo non est genus. Probatur anteced. nam tales differentiaz sunt vniuersales: ergo. Nego antec. nam differentia generis, speciei &c. formaliter non sunt vniuersales, in hoc enim munere solum continent facere differre, præscindendo ab esse vniuersali, & particulari sicut rugibile in munere differentiaz facit solum differre leonem, licet posit esse vniuersale. Hæc intellige afferendo differentias omnino excludere à se genus.

**DISPUTATIO XV. De Prædicationibus.**

449 Prædicatio est actus iudicativus quo aliquid prædicatum tribuitur subiecto. Duplex datur prædicatio identica. Una formalis quæ sonat & explicat identitatem ex parte rei significata, sed per voces expressivas formalitatum, v.g. ut rationale est animal. Alia quæ ita sonat identitatem, etiam formalem, ut ex parte vocum significantium, nihil explicet, sed dicat idem per idem, ut homo est homo.

450 Nota 1. Concretum duo dicere, subiectum, & formam; daturque duplex concretum. Vnum adiectivum, ut album, quod semper sumitur ut adiacens alteri, v.g. parieti. Aliud substantivum, quod exprimitur per modum per se stantis, ut homo, leo, Persona.

451 Nota 2. concretum substantiale dicere utramque partem in recto, ut homo, qui non solum dicit in recto naturam humanam, sed etiam ipsam subsistentiam, licet pro formaliori dicat illam partem, quam exprimit, ut vox homo significat. V.g. homo naturam humanam, leo naturam leoninam; persona vero dicit formalius personalitatem. Concretum ergo substantivum est vnum vel multiplex, iuxta unitatem vel multiplicitatem formæ, formalius, & expresius significata. Adiectivum vero iuxta unitatem, vel multiplicitatem subiecti, quod solum significatur in recto.

452 Dico 1. potest vnum concretum accidentale prædicari de alio concreto accidental. Prob. in hac prædicatione: album est dulce.

453 Dico 2. concretum accidentale potest prædicari de abstracto substanciali ut in hac prædicatione materia prima est alba, sive humitas est alba, ubi materia 1. est abstractum, & alba est concretum; & quod sit vera hæc prædicatio probatur nam facit hunc sensum mate-

ria 1.est subiectum albedinis, sicut hæc est vera, Petrus est albus , quia sensum similem facit.

454 Dico 3.aliquid concretum accidentale potest prædicari de abstracto accidental i ut in hac prædicatione, color est visus, in qua prædicatione color est abstractum accidentale, & visus est concretum accidentale.

455 Dico 4.vnum concretum substantiale potest prædicari de alio concreto substanciali ut pater in hac prædicatione, homo est Persona, vbi subiectum & prædicatum sunt concreta substancialia.

456 Dico 5.aliquid concretum substantiale potest prædicari de abstracto substanciali Patet in hac prædicatione , humanitas est subsistens, vbi humanitas est abstractum substantiale, & prædicatur de illa subsistens, quod est concretum substantiale. Sed fortè tunc concretum hoc summittur adiectivè, & more concreti adiectivi. Secus si sumatur substantivè. V.g.humanitas est homo.

457 Dico 6.concretum substantiale potest prædicari de concreto accidental,quia hæc est vera prædicatio:hot calidum est ignis, qui est concretum substantiale, & prædicatur de hoc calido, quod est concretum accidentale.

458 Dico 7.quando concretum substantiale dicit formam distinctam realiter ab abstracto substanciali, non potest concretum prædicari de tali abstracto, ut patet in hac prædicatione humanitas est homo in qua prædicatum homo includit Personalitatem distinctam ab ipsa humanitate: benè tamen potest fieri prædicatio, quando totum, quod includit concretum realiter est idem cum abstracto, ut in hac prædicatione. Paternitas est Deus,in qua Deus non dicit aliquid realiter distinctum à Paternitate.

459 Dico 8.vnum abstractum substanciali potest prædicari de alio abstracto substanciali. Probatur nam hæc est vera prædicatio humanitas est animalitas, sed hæc sunt abstracta substancialia:ergo, &c. Dico ultimo,non potest prædicari abstractum accidentale de concreto substanciali,probatur nam hæc prædicatio est falsa ; homo est albedo:ergo &c. Adverte tamen has prædicationes propositarum conclusiohum, solum esse veras, quando saltim rectum prædicati identificatur cum subiecto. Falsas vero quando non identificatur, Et hæc de Logica.

**F I N I S.**

# DISPV TATIONES META- PHYSICÆ.

460. **M**etaphysicam aggredimur scientiarum omnium vniuersalissimam. Est enim facultas sub cōmuniſſimis forma-  
litatibus res omnes attingens. Eius obiectum ens in communi, attri-  
buta, & prædicamenta. Scientia est inter naturales prima: immo &  
Intelligentia; quippe quæ principijs rationis lumine notis nititur:  
dignitate & certitudine, si Theologiam excipis, nulli secunda. Reli-  
qua de eius natura, & perfectionibus, quæ hic non permittit brevi-  
tas, sub ſimilibus terminis in Logicæ Proemialibus dedimus.

## DISPV TATIO XVI.

### SECTIO I. De vniuocis, & equivocis, & Analogis.

461. **S**cientia vniuersalis vniuersalibus vtitur notionibus, quartū  
notitia ad obiectum scientiæ ſpeculandum iuvat: ideo in  
Metaphysica de vniuocis, & equivocis, &c. disputatio p̄mittitur,  
quia huiusmodi notiones ſunt entis, propter vniuerſalissimè ſumpti,  
& quia earum notitia valde ad tractatum de Prædicamentis pro-  
ficit.

462. **E**quivoca definiuntur ab Aristotele: quorum nomen eſt  
commune, ratio vero ſubſtantia nomini acommodata eſt omnino  
diverſa. Nota 1. dari equivoca equivocantia, & equivocata: equivoco-  
cantia ſunt nomina, quæ de pluribus dicuntur: equivocata ſunt illa  
plura de quibus nomina dicuntur: ut nomen *canis* eſt equivocans,  
& ſyndus & pifcis eſt equivocatum.

463. Nota 2. per ly ſubſtantia in definitione non intelligi ſubſta-  
tiān vt diſtinctam ab accidenti, ſed ſummitur pro eſſentia rei ſig-  
nificatiæ, ſive ſit ſubſtantia vel accidens. Sit cōclusio: equivoca equi-  
vocantia definiuntur ſic: Nomina quæ de pluribus dicuntur ſecun-  
dum diuersam rationem eſſentiæ, vt hoc nomen *Gallus*. Nota 3. quod  
licet nomen habeat plures ſignificationes, ſemper eſt vnum; vt ho-  
mo habens multas artes dicitur vnuſ artifex; & ex D. Thoma vni-  
tas concreti accidentalis, in quo plurimæ ſunt formæ, ſummitur à  
ſubiecto, quod ſemper eſt vnum.

464 Dices 1. nomen habet multas significaciones: ergo est multa signa; nam inde oritur esse signum. Resp. nomen semper supponere pro voce; & cum vox sit una, est unum nomen, licet, si res formaliter distinctas significet, erit multiplex in significacione, sed non in concreto signi.

465 Obijcies 2. ex Aristotele constat, equivoca non posse definiiri, nam definitio debet esse univoca in inferioribus. Resp. non possunt definiri prout significantur per nomen equivoce convenientis illis, concedo: prout significantur per nomen equivocum, in quo univoco convenient, nego. Patet in differentia, quæ licet nequeat definiiri prout una est diversa ab alia, nam sub hoc non convenient una & alia; tamen potest definiri cum alia, prout cum illa convenient in ratione differentiarum. Idem de equivocis.

466 Dices 3. equivocum semper equivoce convenient: ergo nunquam univoco: ergo nequeunt definiri. Distinguo antec. semper convenient equivoce sumptum in ratione equivoca, concedo. In ratione equivoci, nego, quia convenient in equivocari.

467 Dices: ut equivoca, sunt omnino diversa: ergo ut equivoca non convenient. Distinguo antec. Sunt omnino diversa in omnibus particularibus, in quibus unum distat ab alio concedo; in ratione habendi unum nomen commune, & quod sicut unum omnino differt ab alio, etiam aliud differat ab isto, nego; siquidem in hoc convenient, & in hac ratione definiuntur. Sicut bonitas divina, & peccatum disconveniunt in esse bonitatis divinae, & in esse peccati; in hoc autem quod est disconvenire, convenient; siquidem sicut bonitas disconuenit cum peccato, ita peccatum disconvenit cum bonitate: ergo ambae participant rationem disconveniendi; Quid igitur aliud est convenire duo in una ratione, nisi illam pariter participare?

468 Dubium est, an in intellectu dentur equivoca. Resp. affirmativa; nam dantur actus quorum substantia obiectiva significata per aliquem actum, sit omnino diversa: ergo dantur equivoca in intellectu.

469 Dices: actus intellectus significant semper determinate: ergo non possunt esse equivoci, nam nomen, haec significat in determinate. Resp. distinguendo: actus intellectus significant determinate, id est non possunt variare significacionem, concedo; id est non significant taliter, quod non possint sumi nunc pro uno significato, & postea pro alio, nego. Cum ergo illud non requiratur, & istud sufficiat

ciat ad essentiam equiuoci, dabuntur in intellectu. Quod sufficiat probat ex D. Thoma aiente, non requiri ut indifferenter equivocē significet, sed quod natura significata sit omnino diversa, quod iam admittitur in actu intellectus. Qui velit tenere oppositū, dicat in intellectu non verificari nomen commune entitative & saltim in resto, sicut eadem entitas vocis est communis equivocatis, licet non significatio importata in obliquo.

470 Dantur equivoca à casu, & à consilio. A casu sunt quando non habent respectum ad alium significatum propter quod imponantur, ut canis. A consilio sunt quando cum aliqua intentione, aut cum aliquo fine est impositus voci ille respectus, ut quando imponitur Regi Hispaae nomen Philippus, ea intentione, ut imiteretur antecessores Philippos..

## SECTIO II. *De univocis.*

471 Univoca definiuntur: quorum nomen est commune, ratio vero substantiae significata per nomen est omnino eadem. Per hanc definitionem solum definiuntur univoca univocata. Quamobrem, univocantia sic definiti poterunt: nomen significans plura ut omni no eadem: quæ definitiones sunt tenenda.

472 Obijcies: Animal est univocum Petro, & Paulo, & ratio animalis non est omnino eadem, nam refat rationale & alia prædicta. Resp. non dici esse omnino eadem, idest quod talis ratio sit omnia prædicata, in quo sunt idem; sed quod illud prædicatum quod significatur, sit pœnitus, & omnino idem in inferioribus, prout significatur per tale nomen. Quod iam habet animal in ordine ad sua inferiora.

473 Dubitabis: An ut aliquod nomen sit univocum, requiratur, quod ratio significata per tale nomen sit abstracta, & proprie universalis? Resp. negative. 1. nam non constat ex aliqua particula definitionis: ergo essentialiter non requiritur. 2. nam nomen Deus univoco dicitur de tribus Personis: sed deitas non est ratio abstracta, nam est unica, indivisibilis, & immultiplicabilis essentialiter in alias naturas: ergo non requiritur universalitas.

## DISP. XVII. ET SECT. *De Analogis.*

474 Sic communiter analogia definiuntur: quorum nomen est

commune, ratio vero substantiae significata per nomen, partim est eadem, & partim diversa.

475 Analoga dividuntur in attributionis: in proportionalitatis, & transcendentiae. Analoga attributionis sunt partim eadem, & partim diversa propter aliquem ordinem, vel attributionem vnius ad aliud, ita ut ratio significata conveniat vni intrinsece, & alijs extrinsece. V.g. sanum, quod est analogum respectu animalis, cui intrinsece convenit, nam sanitas in eo subiectatur, & extrinsece vrina, cui tribuitur sanitas, quia eam significat & indicat.

476 Sit conclusio: non dantur talia analogia. Probo, nam non distinguuntur ab equivocis: ergo sunt equivoca & non sunt analogia. Probatur antecedens: nam nomen significat substantias omnino diversas: ergo est equivocum. Probatur antecedens, nam vrina dicitur sana propter ordinem ad sanitatem: ergo distinguitur realiter ab illa, siquidem nulla res dicit ordinem ad se ipsam: ergo si significat sanitatem & vrinam sanam, significat res ut realiter distinctas, & relatas.

477 Confirmatur, nam licet homo significet intrinsece hominem verum, & extrinsece hominem pictum, tamen non est analogum, sed apud Aristotelem est equivocum: ergo etiam sanum. Sed est advertendum nos non negare, quod nomen sanum significet unam sanitatem singularem, & diversos modos participadi illam, sed dicimus, quod si analogia sunt quid medium inter univocum, & equivocum, non dantur, quia sunt equivoca, siquidem significant naturas omnimode diversas. Dicuntur autem ab Aristotele & commuo (cum quibus loquendum.) Analoga, quia vis nominis sonat illam rem unam, nempe sanitatem; sed quia illam significat in concreto, & ut sic datur plena diversitas, ideo sunt potius equivoca in re.

478 Analoga proportionalitatis sunt, quorum ratio significata partim est eadem & partim diversa per comparationem vnius rei ad aliam, v.g. vnius quantitatis ad aliam, aut vnius numeri ad alium ut cum dicitur, sicut se habent duo ad quatuor, ita se habent quatuor ad octo.

479 Sit 2. conclusio: non dantur talia analogia proportionalitatis. Probatur: nam si dareatur, ex his aliquod esseret Rissus: Rissus non: ergo non dantur. Min. probatur: nam rissus hominis & rissus prati, nempe amoenitas, omnimode distinguntur; nam titulus quem habet ut sit partim idem, est similitudo metaphorica: sed haec est argumentum infallibile distinctionis realis: ergo significat res realiter, & om-

nimode distinctas: ergo est equivocum, & non analogum.

480 Confirmatur; nam licet nomen *canis* significet canem terrestrem, & marinum cum aliqua similitudine, saltim in constare sensibus similibus, &c. non est analogum hoc nomen, *canis*, sed equivocum: ergo nec rassis; & sic analogia omnia reducuntur ad equivoca & non dabitur in rigore tertia species distincta ab univocis, & equivocis. Confirm. in homine, qui significat hominem verum & piatum cum aliqua proportione inter illos, siquidem similibus partibus constant, & hoc non obstanti, quia sunt naturae omnino diversae, non est analogum, sed equivocum: ergo similiter rassis, & sanum.

481 Analogia transcendentiae sunt ens & eius attributa: quæ analogia stant in eo, quod concepta qualibet differentia entis, concipiatur & ens, aut aliquid, & aliunde differant inter se per diversum modum participandi talem rationem, & hæc est analogia transcendentiae.

482 Sit 3. conclusio: hæc analogia etiam reducuntur ad equivoca: Nam etiam significant naturas omnimode distinctas. Probatur: nam licet substantia & accidens sint ens, & ens ea comprehendat, comprehendit tamen, non solam rationem entis nudam à differentijs, sed cum suis distinctivis; quoniamobrem non habet ratio significata esse partim eadem, nam est omnimode diversa, siquidem ratio significata ab hoc nomine *ens*, non solù est: potens existere: sed potens existere per se, & existere ab alio, cum suis differentijs proprijs: nam hæc omnia formaliter sunt ens.

483 Confirm. nam si hoc nomen *animal* significaret essentiam adæquatam hominis & bruti, animal non esset analogum, nec univocum, sed equivocum, licet homo & brutum convenirent in animali; ergo si etiam hoc nomen, ens, significat essentias adæquatas omnium entium, nequaquam erit analogum nec univocum, sed equivocum.

484 Alij dividunt analogia physica, & logica in metaphorica & propria; quæ quidem analogia eisdem rationibus, ac prædicta refutantur. Quoniamobrem eas omitto, ne bis repetam, quod satis semel probavi.

485 Qui nollit discedere à sententia communi, dicat analoge, & equivoca convenire in eo, quod significantur per unam entitatem unam, inquam, entitative, & in recto, differre vero in significacione importata in obliquo, in eo quod in equivocis significatio

## Disputatio XVII.

tio sit omnino, & totaliter diversa sine vlo sapore uirtutis & convenientiae; qui sapor significatur per nomen: nam significatio stellæ in voce, canis, nihil habet de significatione piscis. Dixi de significatione, nam convenientia in aliquo non significato per nomen non attenditur in his. At in significatione sani in animali & vrigha, nō est tanta diversitas, vt non detur aliquis sapor similitudinis in ratione sani, licet detur plus de diversitate: idem & potiori iure de ente, nā in existere datur sapor cōvenientiae in omni ente, vt significatur per nomen.

## DISPUTATIO XVIII. De Ente.

## SECTIO I. An transcendat differentias,

486 ENS est quod potest existere absque contradictione. Transcendere ens differentias est, conceptū entis formaliter includi in conceptu cuiuscumque differentiae.

487 Sit conclusio contra Scotum & suos: ens formaliter transcendent differentias. Ita D. Thomas, Aristoteles, Suarez, Bazquez, & innumeri Recētores. Probatur, rationale formaliter non est nihil, sed aliquid constituens hominem: ergo formaliter est ens, quia esse aliquid & esse nihil opponuntur contradictorie: ergo si rationale formaliter non est nihil, est formaliter aliquid: sed si est aliquid est ens: ergo transcendent.

488 Respondent: rationale formaliter solum esse quid differentiale, & sic nec dicit esse ens, nec dicit esse nihil, sed esse quid præcisive se habens ab ente, & non ente. Contra: nam rationale formaliter est principium discursus: ergo non præscindit formaliter ab esse ens. Probatur conseq. nam si est principium discursus, est potens dare esse discursu: ergo est potens habere esse: si est potens, est ens: ergo non præscindit ab ente. Confirm. quia conceptus includens prædicata specialia, que non includit alter conceptus, est distinctus ab illo: sed conceptus rationalis includit esse principium discursus, que prædicata non includuntur in illo ente, quod est purum nihil, vel in ente, quod præscindit ab esse ens reale: ergo distinguitur à non ente, & sic est ens.

489 Contra 2. quia rationali, vt tali, repugnat esse nil: ergo vt tale habet oppositionem cum nil, sed conceptus oppositionis cum nil est formalissime ens: ergo rationale vt tale est ens.

490 Obijcties primo: rationale habet pro connotato discursum; ens

ens existentiam: ergo formaliter distinguntur. Prob. conseq. in animali, & rationali, quæ non alia ratione distinguntur metaphysice. Resp. non habere distincta connotata; nā rationale connotat discursum, & existentiam, licet verum sit, quod rationale clare & expressive solum connotat discursum, & ens rationalis clare solum connotat existentiam, tamen rationale inclusive etiam connotat existentiam. Vnde, non quod non connotat clare existentiam, non est ens; siquidem homo apud vos, est ens formaliter & clare non connotat existentiam, sed sensationem & discursum.

491 Obijcies secundo: animal est formaliter ens: sed animal non est formaliter rationale: ergo neque rationale est formaliter ens. Resp. distingo conseq. ergo nec rationale est formaliter ens: ens animalis concedo: ens rationalis distinctum ab animali, nego. Semper enim salvatur, quod ens nunquam deficit in illo rationali.

492 Obijcies tertio: si formaliter omnis differentia esset ens, se queretur, quod differentia substantiæ diceret tantum, quantum dicteret tota species substantiæ; nam differentia est, per se: atqui hæc dicit ens: ergo hæc differentia dicit ens per se: ergo dicit totam speciem substantiæ. Quod hoc sit absurdū, patet in rationali, quod non dicit tantum ac homo. Resp. quod non repugnat differentiam dicere confusè tantum quantum species, vel in conceptu implicito, sicut dicit differentia substantiæ. Ad illud de rationali. Resp. quod non dicit tantum, quantum homo, quia rationale non transcendent animal, ens vero transcendent differentias.

## SECTIO II.

*An ens sit genus ad substantiam, & accidentem, ad Deum & creaturas.*

493 **S**IT conclusio: ens non est genus nec univocum. Ita D. Thomas, & Aristoteles cum alijs, & ambo fundantur in hac firma ratione: nullum transcendent in quantum transcendent potest esse genus: sed ens communissime sumptum est transcendent: ergo non potest esse genus.

494 Confirm. nam ut esset genus, debebat esse abstractum à differentijs: sed implicat quod transcendent differentias abstractas à differentijs: ergo implicat quod ens sit genus. Prob. mi. nam abstractio à differentiis est formalis exclusio differentiarum: sed transcen-

den-

dentia differentiarum est formalis inclusio differentiarum: ergo implicat quod transcendat & abstrahat: sed hoc requirebatur ut esset genus: ergo implicat quod sit genus.

495 Respondent aliqui, quod ex eo quod ens transcendat differentias, solum sequitur, quod ens formaliter includatur in differentijs; non vero sequi, quod differentiae formaliter includantur in ente, & sic bene potest esse genus. Confirmant hoc in animali, quod licet transcendat hominem, solum sequitur, quod animal imbibatur in homine formaliter, non vero quod homo imbibatur in animali.

496 Contra; quia ideo potest cōcipi animal sine homine, quia animal metaphysice constituit hominem, ut prædicatum distinctū ab alio prædicato hominis, nempe rationali: sed ens non constituit substantiam ut prædicatum distinctum ab alio prædicato substantiæ; siquidem nullum est prædicatum in substantia, quod metaphysice non sit ens, & sic hæc erit disparitas. Ad illud, nempe quod ens imboluebatur in differentijs, & differentiae non in ente, dico quod est contra vim identitatis; siquidem est impossibile quod ego idētificer cū alio, & aliud distinguatur à me: ergo est impossibile quod si per identitatem differentiae nectantur cum ente, ens non nectatur cum differentijs: patet in vnione, quæ est laqueus fragilior idētitate, & non obstanti nequit materia vniri cum quantitate, quin quantitas maneat vñita cum materia.

497 Obijcies primo: si idem esset ens ac differentiae, esset falsa hæc propositio: substantia est ens; nam esset idem ac, substantia, & accidentis, &c. nā accidentis imbibetur in ente: ergo ruit conclusio. Resp. in illa propositione non reperiri ens secundum conceptum ad quatuor, sed solum secundum inadæquatum, nempe ens substantiæ, sicut modo prædicatur vere Petrus est homo, nam in ly homo solum includitur homo Petri.

498 Obijcies secundo: ens est vñivocum, ut pars materialis essentiæ: ergo genus. Prob. antec. nam ens non est tota essentia substantiæ, nec accidentis: ergo est pars. Deinde est materialis, nam est perfectibilis per differentias: ergo est genus. Resp. nego antec. Ad probat. distingo: ens non est tota essentia substantiæ & accidentis explicite, & clare, seu expresse concedo: implicite in eo imbibita & inclusa, nego; licet enim ens non aperie signifiet illas differentias, eas intra se continet, quod sufficit ut non sit ab eis abstractum.

499 Obiecties tertio: omnia entia convenienter essentialiter in ratione entis, & differunt per suas differentias: ergo potest abstrahi ratio entis ab omnibus convenientibus in illa. Resp. distinguendo: omnia entia convenienter essentialiter in ratione entis, simpliciter & absolute sineulla differentia signata in illa, nego: Convenient secundum quid in nomine cum diversitate inclusa in re significata, concedo.

## DISPUTATIO XIX.

ET SECTIO I. *De Attributis entis.*

500 **A** lia sunt attributa physica, alia metaphysica. Physica sunt, quæ oriuntur ab essentia physica cum distinctione reali ab illa, ut calor ab igne. Metaphysica sunt, quæ manant ab essentia, cum distinctione tamen ab illa, obiectiva & formalis, aut quæ secundum explicitum & implicitum.

501 Sit conclusio: ab ente fluunt proprietates. Probatur: Nam ubique detur conceptus primario constitutivus, datur conceptus secundario subsecutus, qui est proprietas: sed datur primarius dum conceptus in ente: ergo & secundarius: ergo proprietates.

502 Nota, quod licet Verum & Bonum dicant implicite potentiam ad existendum, ac per consequens sint imbibite, & formaliter ens (vt iam diximus) tamen clare solum dicit Verum potentiam ut noscatur, & Bonum ut ametur: ergo nihil deficit his conceptibus ad esse proprietates. Nam iam habent hanc distinctionis umbram, ob quam aliquo modo iudicatur, verum & bonum subsequi, & dimensionare ab essentia entis; siquidem ab illa distinguuntur, non formaliter (ita quod attingatur unum intacto alio, nam ita non transcederet) sed distinguuntur secundum clarum & minus clarum: quæ distinctione sufficit inter essentiam & proprietates.

503 Sit secunda conclusio. Ita proprietates non realiter distinguuntur ab ente, nec consistunt in praedicto obiectivo distincto ab ente. Probatur, nam si starent in praedicto obiectivo distincto ab ente, iste proprietates distinguerentur ab ente, & non essent ens: sed hoc nequit dici in nostra sententia: ergo. Probatur min. nam in primis sunt proprietates metaphysicæ: ergo repugnat quod realiter distinguantur ab ente. Nec stare possunt in praedicto obiectivo distincto ab ente; nam ut obiectivo distinctum ab ente, illud praedicatum est ens: ergo repugnat quod stet in distincto ab eo, & id pater

in transcendētia: ergo sicut non datur distinctio obiectiva inter ens & differentias, nec inter ens & eius proprietates; siquidem ut distincti ab ente debent à fortiori esse ens.

504 In fine nota, quod si nomine proprietatis intelligitur conceptus secundarius excludens essentiam & formaliter ab ea distinctus, non dantur propriè proprietates entis: nam ens importat rationem veri & boni formaliter: ergo non erunt propriè proprietates entis: diximus tamē esse, quia saltim in cōceptu claro eas nō includit. Si hæc quasi negativa exclusio sufficit ad proprie esse proprietates, erunt propriè proprietates; si non, non erunt; sicut tamen lato modo distinguntur ab essentia, etiam lato modo saltim sunt proprietates.

### SECTIO II. Explicatur attributum vnum.

505 Vnum definitur à D. Thoma: indivissum in se, & divissum à quolibet alio. Auctores quidam constituant unitatem in negatione plurium unitatum. Alij in positivo, nempe in ipsa entitate rei, connotantis parentiam illam, quam prima sententia ut essentiam Vnius ponebat.

506 Sit conclusio cum secunda sententia: unitas entis positivi non stat formaliter in parentia multitudinis, sed in ipsa entitate positiva connotante prædictam parentiam. Probatur ex D. Thoma aiente, quod quilibet res est una per suam substantiam. Et in alia parte ait, quod licet Deus non stet, ut in corporeus, in parentia corporis, nec ut infinitus consistat in parentia limitationis, tamen à nobis concipitur per modum parentiarum; & ait quod eodem modo se habet unitas entium: ergo non stat in parentia, licet concipiatur à nobis per modum parentiarum pluralitatem. Probatur 2. Nam omnis parentia, quæ fundatur in aliquo ente, supponit aliquam prioritatem ens in quo fundatur: sed talis parentia non fundatur in ente, prout est multiplex: ergo fundatur in eo, ut est vnum. Sed ipsum ens quatenus est fundamentum parentiarum, supponitur ante illā: ergo etiam unitas dabitur ante parentiam: ergo non stat in ea.

507 Probatur 3. Nam identitas non est parentia distinctionis: sed prædicatum presuppositum ad illam parentiam: ergo nec unitas erit parentia multitudinis, sed prædicatum presuppositum ad eam. Confirmatur, nam quodlibet ens independenter ab ipsa parentia est vnum, & etiam ipsa parentia multitudinis prout distincta ab ente: ergo si parentia est una, independenter ab alia parentia multi-

itudinibus, etiam ens independenter à carentia ut constitutivo.

508 Probatur tandem; nam unitas Dei est perfectio intrinseca, & simpliciter simplex: sed hoc non esset, si primario staret in carentia: ergo si datur unitas que non stat in carentia, nulla stabit.

509 Explico nunc definitionem unitatis sic. *Indivisum in se* est idem ac esse idem secum. Quæ identitas secum, vel potest reperiri in entitate simplici, ut est Angelus; & in hoc stat in sua identitate indivisibili secum identificata. Vel potest reperiri etiam in alia entitate coalescente ex varijs partibus, cuius unitas stat in illo aggregato omnium partium cum unitione constituentium unum totū. Quod totum idētificatur etiam secum; nam licet posit destrui uno aut partes, non laedit hoc identitatem cum toto, siquidem etiam tunc totum destruitur: Lex enim identificatorum non est ut non posit unum destrui, sed quod non posit unum destrui absque alio, & tunc iam destruitur aliud.

510 *Indivisum in se* aliter solet explicari; nempe quod una res, non posit dividi in aliam, sicuti ipsa est; v.g. unus homo est indivisus in se; quia unus homo non potest dividi in duos homines, ideo enim est unus; aliter enim, si posset dividi in se modo dicto, non unus esset, sed duplex homo. Vnde licet homo dividatur in partes, non tamen in homines, & ideo non desinit esse indivisus in se, per ralem divisionem. Et forte hæc est mens D. Thomæ, ut ex definitione unitatis colligitur.

511 *Divisum à qualibet alio*, est idem ac distingui à reliquis alijs, quæ non sunt unum cum illo ente, quæ divisio originem habet ab identitate secum; siquidem ideo divisum est ab alijs, quia solum secum est identificatum & unum.

### SECTIO III. Argumentis respondetur.

512 Obijcties primo: oppositio contradictoria est inter formā, & carentiam; sed apud Aristotelem, & D. Thomam unitas, & multitudine opponuntur contradictorie: ergo si multitudo non est carentia, unitas debet esse carentia, ut salveretur oppositio contradictoria: ergo unum est carentia. Resp. distinguendo minorem. Unitas, & multitudine opponuntur contradictorie, formaliter, nego: illative concedo. Nam licet unitas non sit carentia multitudinis, infert tamen illam, sicut irrationale carentiam rationalis.

513 Obijcties secundo: nequit Petrus concipi unus sine carentia  
O 2

tia multitudinis: ergo intrat in eius esse. Disting. antec. sine carentia multitudinis ut connotato, concedo: ut essentiali prædicato, nego. Instant: Carentia multitudinis est forma tribuens Petro aliquam de nominationem: sed talis denominatio est denominatio vnius: ergo carentia est forma denominans Petrum vnum. Resp. carentiam Petro dare denominationem non essendi plures, non vero dat denominationem essendi vnum, immo ad hanc subsequitur illa: Nam ideo non est plures, quia est vnuus: sed carentia dat illi non esse plures.

514 Obijcies tertio: esse vnu non convenit omni enti: ergo non est attributum entis. Probatur antec. quia Aristoteles dividit ens in vnum & multa: ergo ens quod est multa non erit vnum. Resp. talem divisionem Aristotelis esse in ens simplex & compositum, quod ens compositum dicitur ab Aristotele multa, quia conflat in multis partibus; iam vero supra diximus & probavimus esse tam proprie vnum ac ens simplex. Adde quod multitudo etiam potest esse vna; licet materialiter sit multiplex.

#### SECTIO IV. Aliqua dubia circa Vnum.

515 Primum est, an si præscindatur ratio vnius ab unitate entis positivi & negativi, in illa ratione connotetur carentia multitudinis. Quidam aiunt, quod adhuc illa ratio præcisa ab omni unitate connotat semper carentiam. Contra, nam si carentia plurium in esse vnius connotaret aliam carentiam, sequeretur quod haec alia carentia, qua parte erat vna, connotaret aliam, & haec alia aliam, & sic in infinitu: hoc est absurdum: ergo ratio unitatis præscissa à positiva, & negativa non connotat carentiam plurium. Confirmatur, nam ratio abstracta & que debet participari à quibus est abstracta: sed tunc non & que participaretur, nam ens positivum participat unitatem connotantem carentiam, ens negativum non connotantem: ergo non potest ab his duabus speciebus entium abstrahi, & consurgere ratio unitatis connotantis carentiam, sicut ab homine & bruto non potest abstrahi ratio animalis iudicativi, conveniens & que duabus speciebus.

516 Obijcies primo: ens positivum constituitur per suam entitatem connotantem carentiam: ergo etiam ens negativum. Resp. disparitatem esse, quod ens positivum per se non est carens pluralitate, licet sit per se vnum, & connotans carentiam: carentia tamen

men connotata est per se vna & per se carens pluralitate.

517 Secundum dubium est, an attributum *aliquid* sit distinctum ab attributo *vnum*? Resp. negative: nam attributum *aliquid* connotat parentiam multitudinis: sed hoc idem connotat attributum *vnum*: ergo non distinguntur.

518 Dices: attributum *vnum* connotare parentiam identitatis cum pluribus similibus; *aliquid* vero connotat parentiam identitatis cum omnibus similibus, & dissimilibus. Sed contra, quia sicut Petrus non esset *vnu*s, si identificaretur cum Paulo simili, à quo distinguitur, ita non esset *vnu*s, si identificaretur cum lapide dissimili: ergo est liberè posita prædicta differentia inter *vnum*, & *aliquid*.

519 Obijcies primo: si Petrus nunc identificaretur cum lapide, esset *vnu*s cum lapide; sed non esset *aliquid*, idest aliud quid à lapide: ergo *vnum* & *aliquid* non sunt idem. Resp. quod sicut tunc Petrus identificatus cum lapide, haberet unitatem secum, & parentiam omnis alterius rei, quæ non esset Petrus, & lapis, ita esset *aliquid* ab omni eo, quod non esset Petrus lapideus: ergo nec data hypotesi differunt.

520 Obijcies secundo: impossibili omni ente, & manente Petro & Paulo, Petrus tunc esset *aliquid* à Paulo, nam differret ab eo, sed non esset *vnu*s à Paulo, nam non diceret parentiam plurium quam essentialiter requirit unitas, quia erat solus Paulus, & Paulus non est plura: ergo tunc daretur attributum *aliquid* quin daretur *vnum*. Resp. quod tunc Petrus iam diceret parentiam plurium, nam diceret parentiam essendi simul Petrus & Paulus, qui quidem plura sunt.

### SECTIO V. De unitate individuationis.

Thomistæ asserunt unitatem individuationis summi à quantitate, & sic quod Angeli non distinguntur numerice, quia non sunt quanti.

521 Sit conclusio: unitas individuationis non summittur à quantitate formaliter. Probat. i. Due animæ rationales separatae, solo numero differunt, sicut quando erant in corpore: atqui non per quantitatem, quia illa carent: ergo unitatem numericam non summunt à quantitate. Tum etiam quia in corruptione substantiali variatur quantitas, nam per vos sit resolutio usque ad materiam primam; & tamen manet eadem numero materia. Tum denique, nam unitas singularis convenit Deo, & non summittur à quantitate.

Probatur 2; nam unitas individualis est substantialis: sed quantitas est accidentis: ergo nequit stare in quantitate. Probatur efficaciter, nā per illud una res est distincta in individuo ab alia, per quod in individuo constituitur: sed constituitur per semetipsam in individuo, & non per quantitatem: ergo est una per se & non per quantitatem. Tandem probatur: nam materia est indifferens ad hanc, vel illam quantitatem, & non est indifferens ad hanc, vel illam individuationem: ergo non stat in quantitate.

## SECTIO VI. De Attributo Vero.

522 Non est quaestio de veritate formalī, quæ reperitur in actibus intellectus, sed de veritate transcendentali, quæ reperitur in quolibet ente.

523 Quidam dicunt rationem *Veri* transcendentalis consistere in negatione entis apparentis, v. g. Aurum est verum aurum, quia negat identitatem cum auricalcho, quod est aurū apparet. Sed contra, quia proprietas metaphysica debet identificari realiter cum essentia: sed negatio identitatis cum re apparente nequit identificari realiter cum omni ente, vt patet in entibus positivis: ergo veritas non stat in tali negatione.

524 Sit conclusio: veritas transcendentalis stat in aptitudine, seu capacitate intrinseca rei ut noscatur sicut est in se. Probatur, nam verum dicit ordinem iuxta D. Thomam ad cognitionem: sed hoc est consistere in ipsa entitate intrinsece capaci ut noscatur: ergo in hoc consistit veritas. Probat. 2. ex Aristotele aiente, quod ad esse, sequitur cognosci: ergo ad posse esse, sequitur posse cognosci: sed posse esse est ens, & posse noscere est verum: ergo haec authoritas integrē probat V erum esse proprietatem entis, & simul stare in posse noscere.

525 Nota quod non omne verum petit distinctionem à cognitione, per quam potest noscere, nam Deus est verum respectu sua cognitionis: & non distinguitur à sua cognitione; idem in cognitionibus reflexis creatis. & sic verum dicit ordinem ad cognitionem distinctam aut indistinctam.

526 Obijcies primo: quando Artifex querit veritatem auri, nō inquirit si est, vel non est capax noscere: ergo quia non stat in hoc veritas illius. Resp. quod si Artifex quereret veritatem, quam nos inquirimus, etiam examinaret si est vel non est capax noscere; cum au-

tem non querat veritatem transcendentalem metaphysicam ve-  
ri, sed physicam, & artificialem (idest an conformetur entitas cum  
apparentia) nihil contra conclusionem.

527 Obijcies secundo: actu nosci stat in cognitione actuali: ergo posse nosci in cognitione possibili. Disting. conseq. ergo posse nosci intrinsecum stat in cognitione possibili, nego: posse nosci extra insecum concedo: veritas tamen stat in noscibilitate intra-  
seca.

528 Obijcies tertio: sicut omne ens est potens nosci per actum verum, ita per actum falsum, aut aliter ac est in se: sed potentia ad primum constituit unum attributum; ergo potentia ad secundum faciet aliud. Res. nego h[oc] sicut, & eodem modo: omnia enim obiecta vera sunt potentia nosci ut sunt in se per capacitatem & virtutem, aut exigentiam connaturalem: at vero ad nosci aliter ac sunt in se, non sunt potentia per intrinsecam capacitatem, aut exigentiam, sed per quandam permisivam passuam non repugnantiam, quae etiam Deo competit: nam nosci ut est in se, est connaturale enti, nosci aliter ac est in se non; & sic illud poterit esse attributum transcenden-  
tale omnis entis, & non istud.

### SECTIO VII. *De bono transcendentali.*

529 Non loquimur hic de bono, utili, honesto, aut delectabili, nec de bonitate integrante in sua specie entia, ut calor est bonitas perficiens ignem &c.

530 Aliqui dicunt Bonum prout est attributum entis consistere in hoc quod est habere omnes partes integrales. Contra, quia Deus habet bonitatem de qua hic loquimur, & nullam habet partem integram. Contra deinde, quia homo cui deest manus, vel per est bonus transcendentaliter: nam est ens; sed non habet omnes partes integrales: ergo essentia boni non stat in hoc.

531 Sit conclusio: bonitas transcendentalis à paritate veritatis transcendentalis stat in capacitatem intrinsecam quam habet ens ut ametur. Hæc conclusio probatur 1. à paritate veritatis. 2. ex D. Th. aiente bonum stare in eo quod sit appetibile: sed hoc nihil aliud est quam definiri in ordine ad voluntatem; ergo stat in posse amari. 3. Aristoteles ait bonum amabile, esse uniuicuum proprium; ergo bonum stat in esse amabile; sed esse amabile est esse intrinsecum capax ut terminet amorem; ergo in hoc stat bonum.

532 Contra hoc attributum bonum possunt fieri argumenta, quæ facta fuerunt contra verum, & sic poteris adaptare responsiones, quas illic dedimus.

SECTIO VIII. De numero proprietatum entis.

533 Hucusque explicuimus attributa entis cum communis sententia admitente tria attributa entis, nempe unum, verum, & bonum; nunc examinandum, an ista sint proprietates entis, & an plura sint.

534 Sentio 1. cum quodam recentiore, unum includi formaliter in ratione entis. Ad quod probandum, suppono cum communis sententia, quod ens reale non solum constituitur per esse potens existere, sed per esse potens existere sine contradictione, & sic ens reale formaliter in suo conceptu connotare parentiam contradictionis; nam ut Petrus sit ens reale, illius potentia ad existendum nullam debet involuere contradictionem: & sic non solum sufficit ut aliquid sit ens, quod habeat hanc vel illam parentiam huius, vel illius contradictionis, sed debet habere omnem parentiam repugnare & omnis contradictionis.

535 Probatur iam conclusio; unum connotat in suo conceptu parentiam multitudinis; sed hoc idem connotat ens in suo conceptu; ergo sunt idem formaliter ens & unum. Probatur min. nam ens connotat parentiam contradictionis; ergo connotat parentiam multitudinis. Probatur, nam est contradictionis entis identificari cum multis, nam ens essentialiter est unum; ergo connotat parentiam huius contradictionis essendi plura entia, & sic connotat parentiam plurium. Nam nequit connotare parentiam omnis contradictionis, quia connotet hanc; sed hanc connotat unum: ergo est idem connotatum entis & unius; ergo & ens & unum sunt idem. Confirm. Nam ideo animal, & rationale formaliter non sunt idem, quia formaliter animal connotat sensationem, & rationale non connotat sensationem, sed ens & unum idem formaliter connotant; ergo sunt idem formaliter; ergo unum non erit attributum entis.

536 Confirmatur 2. nam ideo contrarij dicunt ubicabile, & durabile non esse attributa entis ut sic, quia in conceptu entis vel potentis existere imbibitur, quod futurum est in hoc, vel illo loco, in hoc vel illo tempore; ergo si etiam, ut probatum est, in conceptu entis imbibitur conceptus unius, non erit attributum entis; nam de-

ratione attributi est, quod sicut formaliter aut metaphysice non imbibatur in essentia, cuius est attributum.

537 Sit secunda conclusio: solum datur unum attributum entis quod est intrinseca capacitas ut intentionaliter attingatur secundum suam naturam. Hoc compesit omni enti. Probatur nam si verum & bonum possunt reduci ad unum tantum attributum, ad quid ponenda duo attributa?

538 Patet etiam ad hominem: nam contrarij ponunt in bono unum attributum tantum, licet bonum dicat potentiam, ut per amorem, & per odium attingatur, quia bonum includit has duas potentias: ergo si attributum potentiae intrinsecæ ut intentionaliter attingatur includit verum, & bonum, hæc duo non erunt duo attributa, sed quod resurgit ex duobus: sed ex vero & ex bono resurgit praedicta potentia: ergo hæc erit attributum unicum entis.

## DISPUTATIO XX.

### SECTIO I. *De Posibilitate entis.*

539 **N**ota dari posibilitatem logicam & physicam: logica est capacitas ad existendum, quæ compatitur cum actuali existentia, vel cum possibili, reducenda in actum, ut potentia quam habemus nos & Anti Christus, &c. Posibilitas physica est mera, & pura capacitas ad existendum, ita ut nunquam reducenda sit ad actum eius existentia. Sic alter mundus non extitus est potens physique.

540 Vrta do constituit posibilitatem logicam creature per denominationem extrinsecam desumptam ab Omnipotentia. Sed contra, nam tam essentialis & intrinseca est enti rationis sua impossibilitas, quam enti reali sua posibilitas: sed impossibilitas entis rationis non constituitur per omnipotentiam non potentem producere illam: ergo nec posibilitas entis realis constituerur per omnipotentiam potentem illam producere.

541 Secundo, quia ideo Petrus est producibilis ab omnipotenti, quia ex parte termini datur capacitas terminadi actionem, per quam producatur ab omnipotentia: sed hæc capacitas est posibilitas Petri, & non sumitur ab omnipotentia; ergo nec posibilitas. Quod non sumitur, probatur. Nam incapacitas entis rationis non sumitur ab ea: ergo nec capacitas entis realis.

542 Tertio:nam in esse possibili homo nō distingueretur à Deo; si in eo staret eius possibilitas:ergo. Antec.prob. Deus enim est idem cum sua omnipotentia:ergo si possibilitas hominis esset idem cum omnipotentia,esset idem cum Deo in esse possibili : sed in hoc esse distinguitur à Deo,sicut à leone & bruto:ergo,&c,

543 Sit 1.conclusio:possibilitas logica vt sic,præcissa à possibili-tate Dei & creaturæ,consistit in capacitate ad existendum sine cō-tradictione. Probatur,nam hic conceptus convenit omni enti posi-bili creato aut increato,& ex diametro est oppositus cōceptui en-tis chimerici,quod est ens impossibile:ergo.

544 Sit 2. conclusio : Possibilitas vt sic, præcisa à possibili-tate Dei & creaturæ,non connotat omnipotentiam,à qua dependeat. Probatur,nam possibilitas omnipotentiaz , quæ illic imbibitur, non connotat omnipotentiam:ergo nec ratio illa vniuersalis,in qua re-sidet possibilitas Dei & Omnipotentiaz.

545 Sit 3.conclusio:possibilitas aliorum extra Deum prout cō-prehendit carentias,non stat in esse ens potens existere defētibiliter:nam carentia alterius Dei apud vos habet possilitatem crea-tam,sed hæc non stat in posse existere defētibiliter,quia est tam in defētibilis,ac ipse verus Deus:ergo,&c.

546 Sit vltima conclusio:possibilitas vt sic creaturæ stat in ca-pacitate existendi dependenter ab alio. Probatur, nam in primis cōvenit omni creaturæ. Deinde explicatur possilitas in ordine ad connotatum perfectius,nempe in ordine ad omnipotētiam. Sed est ad vertendum,quod sicut dantur plura entia positiva , quæ depen-dent à Deo per se met ipsa sine nova actione,vt sunt entia modalia & omnes actiones in nostra sententia,ita eriam dantur aliquæ ne-gationes,quæ immediate & per semetipsas dependent à Deo sine nova alia actione,vt patet in car entia alterius Dei, quæ dependēt à Deo quatenus ipse Deus per se ipsum inducit talem carentiam, ex eo quod per se sit vnu.

547 Obijcit prima sententia pro se 1. creaturæ sunt possibles ab omnipotentia, siquidem ab ea sunt producibiles; ergo denomi-natio omnipotentiaz reddit eas possiles. Resp. quod sunt possibles & producibiles ab omnipotentia extrinsecè , non vero intrinsecè, nam intrinsecè sunt à suis proprijs entitatibus, ut non repugnantibus existere & capacibus vt producantur.

548 Obijcit 2.possible creatum opponitur cum possibili necel-fario nempe increato:sed hoc includit in suo esse posse exister e in-de

defectibiliter: ergo illud debet in suo esse includere, defectibiliter.  
Resp. negando conseq. si sermo sit de possibili includente carentias ob rationem, qua probavimus conclusionem. Dico tamen quod existere defectibiliter commune creaturis possibilibus, iam supponit existere ab omnipotencia, quia ideo Deus existit indefectibiliter, quia existit a se: ergo ideo creaturæ existunt defectibiliter, quia existunt dependenter a Deo. Licet radicaliter totū id habeat a se.

**SECTIO II. *De posibilitate physica.***

549 Ens possibile physicè, vel ens mere possibile est illud, quod licet absolute posse existere nunquam tamen existet, v. g. alter mundus.

550 Quidam aiunt constitui per carentiam existentiaz, & decreti divini de eius productione. Contra, quia ens acta existens non stat in actuali existentia, & decreto actuali: ergo nec possibile physique in carentia actualis existentia, & actualis decreti. Secundo, quia Deus nunquam habuit decretum, quo determinaret, quod non existaret pœnitentia Iudei; immo potius habuit decretum, quo preparavit media necessaria, ut existaret talis pœnitentia: sed talis pœnitentia est physicè possibilis: ergo possibilitas physica creaturæ non stat adhuc partialiter in divino decreto.

551 Dico primo: ens possibile physique positivum stat in carentia existendi pro omni tempore. Probatur, quia id quod reddit ens existens, est existentia: ergo carentia existentia reddit ens formaliter, non existens: sed hoc est esse mere possibile: ergo &c. Confirmatur: nam posita tali carentia ponitur mera possibilitas, & ablata afferatur: ergo formaliter stat in illa ens physique possibile positivum.

552 Obijcies: nulla res constituitur per negationem sui esse: ergo ens physique possibile non stat in praedicta carentia. Resp. distinguendo. Nulla res constituitur per negationem sui esse, in esse existentis, concedor in esse non existentis, quale est possibilitas physica, nego.

553 Dubitabis. An ens actuale & possibile distinguantur? Resp. distinguunt: quoad obliquum non quoad rectum. Probatur, quia de Petro, qui est actualis, verificatur quoad idem fuit possibilis: ergo quoad rectum non differunt, licet quoad obliquum, quod est existentia, differant, nam antea non eam connotabat, ut actualiter petitani extra causas, & nunc connotat, quando est actualis.

554 Obijcies: Ens posibile includit carentiam existentia, & aetiale includit illam; ergo realiter distinguntur per hanc differentiam, quam includunt. Resp. eo modo distingui, quo includunt differentias: cum ergo existentia & carentia illius respectu entitatis entis in obliquo includantur, inde est quod in obliquo distinguuntur.

555 Ex his inferri potest, ens preteritum consistere in entitate ipsius rei, quae habuit existentiam pro tempore antecedenti, & actu non habet. Et ens futurum, quod non habet nunc existentiam, sed tamen illam habebit pro aliquo tempore.

### SECTIO III. De essentia & existentia.

556 Essentia sunt praedicata primaria constituentia rem: Existentia est id, per quod res formaliter existit in rerum natura, vel extra causas: & cu[m] ens sit in ordine ad existentiam, inquiritur n[on]c, an essentia distinguatur ab existentia realiter? Non est questio de essentia & existentia Dei; de hac enim est indubitabile esse idem, siquidem Deus existit per suam essentiam: Nec est questio de carentia alterius Dei. Nam haec tan[dem] necessario existit, ac ipse Deus verus. Questio ergo est de entibus contingenter existentibus, ut homo aut brutum.

557 Sit conclusio contra plurium sententiam. Essentia, & existentia realiter distinguntur. Probatur 1. ex D. Thoma aiente: esse essentia & esse existentia distinguntur ut duæ diversæ res. Probatur 2. nam substantia est subsistens per subsistentiam distinctam, accidentis est inhærens per inhærentiam distinctam: ergo ens erit existens per existentiam distinctam.

558 3. Quia essentia ut tali est accidentale & contingens existere, cum potuerit manendo eadem vere & realiter & metaphysice, non existere, & non esse actualis. ergo ab existentia & actualitate est vere separabilis: ergo & realiter distincta ab illa utpote indifferens vere ad illam, & ad eius carentiam.

4. Actio productiva rei est eius existere; sed haec s[ecundu]m s[ecundu]m distinguitur à termino productivo: ergo essentia & existentia non semper erunt idem. Maior Probatur. Per id res existit per quod fit actualis; sed per actionem fit actualis; ergo per actionem existit.

559 Respondent negando maiorem, sed per quod res est actualis; aliud enim est id, per quod res fit actualis & aliud id per quod est

est actualis. Primum habet per actionem, secundum per suam entitatem, sicut Petrus v.g. fit homo per actionem sui productivam, & est homo non per actionem, sed per animal rationale. Sed contra. Res non redditur formaliter actualis per suam entitatem: ergo ruit solutio. Prob. antec. per id redditur res formaliter, & constitutive actualis, per quod formaliter extrahitur à suis causis; sed id habet per actionem & non per suam entitatem; ergo per actionem & non per suam entitatem redditur formaliter actualis.

560 Probo minorem, si res per suam entitatem haberet esse formaliter extracta à suis causis, sequeretur quod eo ipso, quod talis res esset extracta ab una causa sola, iam esset formaliter extracta ab omnibus, à quibus posset extrahi. Probo sequelam, eo ipso, quod produceretur ab una sola causa, iam esset à parte rei entitas illius rei; ergo si entitas illius rei est formalis extractio ab omnibus causis, daretur à parte rei formalis extractio sui ab omnibus causis, nam quando duo realiter identificantur posito uno à parte rei, etiam ponitur aliud: ergo si formalis extractio, per quam entitas illius rei est formaliter exhibilis ab hac, & illa causa, est realiter identificata cum entitate talis rei; posita ista entitate, ponetur etiam omnis extractio formalis ab omnibus causis.

561 Respondebis 1. rem esse extractam ab omnibus causis secundum quod dicit de termino exhibili, & in hoc non est inconveniens, secus secundum quod dicit de extractione effectiva, secundum quam solum est ab una causa. Sed contra: effectus ille non est extractus effectiva ab omnibus causis: ergo nec formaliter. Probatur consequentia, extractio formalis connotat & fit mediante attractione effectiva, alias posset res extrahi formaliter ab aliqua causa, quin ab illa produceretur: ergo si effectus ille non est extractus ab omnibus suis causis extractione effectiva, neque erit formalis. Vnde licet verum sit, quod totus terminus est extractus formaliter quantum ad omnia sua prædicata essentialia, non tamen est totaliter extractus formaliter, id est ab omnibus suis causis: ergo signum est formalem extractionem non esse identificatam cum entitate extracta, sed esse ipsammet actionem.

562 Dices 2. quod ex eo quod res producatur, & connotet actionem distinctam aut indistinctam, est existens: & sic actio se habebit ut connotatum existentia, & eius rectum erit ipsa actualis essentia. Cont. quia licet ex eo quod una res connotet positionem sui ipsius in aliquo loco, fiat præsens tali loco; hoc non obstante; præsen-

tia rei in loco, non stat in ipsa re connotante positionem sui ipsius in loco: ergo licet sequatur, quod res sit existens, ex eo quod connotet actionem, hoc non obstante non erit existens per suam essentialiam.

563 Deinde: si existentia distingueretur ab actione, & identificaretur cum essentia, sequeretur quod res prius esset existens, quam producta, quia prius habet res praedictum, cum quo identificatur, quam a quo distinguitur: ergo res prius haberet existentiam cum qua identificaretur, quam productionem, aqua distinguitur.

564 Sit 2. conclusio: quaelibet actio est existens per existentiā secum identificatam. Probatur, quia illud existit per existentiā secum identificatam, quod non est indifferens ut existat per hanc vel per illam actionem, hoc vel illo modo. Sed ita se habet actione: ergo vera est conclusio. Quod ita se habeat prob. Nam actio per se ipsam extrahitur, siquidem per suam essentiam producitur, & est ratio existendi termino: ergo per se ipsam existit & producitur. Hoc idem dicimus de carentijs omnibus: nam carentiae non sunt indifferentes, ut hoc vel illo modo sint extra causas, & sic carentiae etiam existunt per se ipsas. Quod probatur ratione alata ad actiones, & etiam quia existentia carentiarum est resultantia. Cum autem per se ipsas carentiae resultant, per se ipsas existunt, & producuntur.

#### SECTIO IV. Ad argumenta respondetur.

565 Obijcies primo: licet essentia actionis sit indifferens ut existat vel non existat, hoc non obstante existit per semetipsam: ergo licet essentia Petri sit indifferens ut existat, vel non existat, identificabitur cum existentia. Resp. concedo antec. & nego conseq. dispositas est in eo quod d'actio est indifferens solum absolute ut producatur, vel non producatur: Petrus ramen indifferens absolute & simil modaliter; nam non solum est indifferens ut producatur, vel non producatur, sed etiam per hanc, vel illam actionem, quod non habet actio.

566 Obijcies secundo: eo praeclse quod entitas Petri intelligatur & connotans actionem, per quam producitur, intelligitur existens: sed per se est connotans: ergo per se est existens. Retorquo argumentum: eo praeclse quod entitas Petri connotet actionem, est producita: sed connotare actionem habet per semetipsam: ergo esse productam habebit per semetipsam. Deinde ex eo quod Petrus conno-

ret cognitionem Dei, est cognitus: sed per se connotat tales cognitionem: ergo per se est cognitus, quod est falsū. Resp. ergo in forma distinguendo: ex eo quod Petrus connotet actionem intelligitur existens, per actionem per quam connotat, concedo: per se nego.

567. Replicant. I. actio productiva Petri terminatur ad essentiam actualen: ergo actualitas & existentia Petri non stat in actione. Resp. terminatur ad essentiam actualen Petri, ipsam reddendo actualen concedo: ipsam supponendo actualen, nego. Replicant: ergo talis actio nullum producit terminum formalem à se ipsa distinctum; nam essentia existens est terminus denominativus, & est quid, sed non est terminus qui.

568. Resp. actionem habere terminum formalem, & terminum denominativum. Terminus formalis est concretū existens, seu productum, quod concretum est quid realiter distinctum ab abstracto actionis. Terminus vero denominativus est substratum seu subiectum quod denominatur productum. Entitas enim Petri, v.g. est producta denominative, concretum vero productum, est productū, non quidem denominative, sed constitutive.

### DISPUTATIO XXI.

#### ET SECTIO I. *De Prædicamentis ut sic.*

569. PRædicamentum sic potest recte definiri: aggregatum ex genere supremo, & eius inferioribus recte dispositis. Constat materia & forma: materia illius sunt ipse naturæ; forma est actus intellectus, aut cognitio congregans illas secundū ordinē prædicamentalem generis supremi & inferiorum cum debita dispositione.

570. Aristoteles divisit prædicamentū ut sic, in decem prædicamenta, quæ sunt, Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio. Vbi, Quando, Situs, & Habitus: sed non communiter æque ab Authoribus hæc divisio tanquam adæquata admittitur; & probant non esse decem, vel quod si sunt decem, futura sunt plura, quam decem, vel si non, duo tantum. Probatur nunc quod sunt duo tantum prædicamenta; quia sicut omnes substantiæ convenient in ratione substantiæ, etiam omnia accidentia convenient in ratio ne accidentis: ergo sicut ex omnibus substantijs constituitur unum prædicamen-

rum,

tum substantia, etiam ex omnibus accidentibus aliud: ergo solum dantur duo praedicamenta.

571 Probatur nunc, quod si darentur plura quam duo praedicamenta, etiam darentur plura quam decem; quia sicut constituntur plura praedicamenta ex accidentibus, v.g. quantitas, qualitas, &c. ita possunt constitui plura praedicamenta ex substantijs: ergo dantur plusquam decem praedicamenta. Probatur antec. nam sicut accidens dividitur in quantitatem, & qualitatem, quae sunt sub accidente ut sic, ita substantia dividitur in materialē, & spiritualem, quae substantiae sunt sub substantia ut sic: sed quia accidens in diversa accidentia specie dividitur, talia accidentia sunt praedicamenta: ergo si etiam substantia dividitur in substantias specie diversas, tales substantiae constituent diversa praedicamenta: ergo dabuntur plusquam decem praedicamenta.

572 Alij asserunt solum dari unicum praedicamentū, quia praedicamentum, aiunt, est genus supremum ad inferiora recte disposita: sed solum datur unum genus supremum: ergo solum datur unum praedicamentum. Probatur in ratione entis, quae supereinet substantiam & accidens, & nulli subditur tanquam superiori: ergo ens erit genus supremum cum inferioribus recte dispositis, & sic erit praedicamentum unicum.

573 Dicendum tamen est secundum nostra principia, quod si nomine praedicamenti intelligitur genus supremum, supra quod non sit aliud genus, quod solum dantur duo praedicamenta, nempe substantia & accidens; siquidem istae duas rationes sunt genera suprema, quia supra illas non datur aliud genus: ens enim ut diximus non est genus, & ideo nec praedicamentum. Si tamen intelligatur aliqua ratio superior cum aliqua diversitate in modo conveniendi, erunt de cem & forte plura.

## SECTIO II.

### *Quae entia collocentur in praedicamento et quomodo.*

574 Nota, quod ut res collocetur in praedicamento, debet esse quid reale, deinde debet esse quid possituum, siquidem debet esse substantia, aut accidens; & quod est quid negativū nec est substantia, nec accidens. Deinde debet esse ens per se, & non per accidens: ens per se est, quod si est compositum, resultat ex partibus eiusdem praedicamenti inter se unitis, & essentialiter ordinatis, ut homo ex materia

ria prima & anima substantiali. Ens per accidentem est quod ex substantia & accidenti fit ut album.

575 Deinde res collocanda in prædicamento debet esse ens physice completem in suo genere; quamobrem materia prima non collocabitur in prædicamento, quia non est completa absque forma, nec humanitas absque subsistentia.

576 Sit prima conclusio: genus, species, & individua collocantur directe in prædicamento, non tamen differentiae. Prob. 1. pars, quia haec omnia directe & in linea recta subjiciuntur generi supremo: sed quod subjicitur generi supremo, collocatur in prædicamento. ergo, 2. pars prob. nam differentiae sunt contractivæ, & divisivæ generis, & ponuntur ad latus in ipsa serie prædicamenti: ergo non collocantur directe.

577 Dices. Genus est pars incompleta & ordinata ad totum essentiale cum differentia: ergo non collocatur directe. Respondebis esse incompletam metaphysice: atameo physice est quid completum, & sic directe est in prædicamento. Sed contra, quia etiam differentia est physice completa: ergo erit directe in prædicamento. Resp. differentiam semper esse contractivā & divisivam rationis superioris generis, & sic non est directe, sed ad latus. Ratio est quia dispositio prædicamenti, & generis supremi cum inferioribus est: cum quibusdam ut inclusum in illis metaphysice sumptis etiam dum summittur ut genus & per modum per se stantis; cum alijs ut exclusum ab alijs, contrahibile tamen per illa ad faciendā cum alio rotam essentiam, & speciem, sive insimam, sive interiectā. Collocantur ergo in recta linea sola illa in quibus genera superiora imbibuntur; ad latus vero illa sola per quæ contrahuntur.

578 Sit 2. conclusio: entia physice incompleta & differentiae collocantur indirecte: patet in materia prima & forma substantiali, quæ solum sunt complete ut constituant speciem; & sic ut inclusa in alio, v.g. in homine indirecte & reductive solum ingrediuntur in prædicamento, quia sunt physice imperfectæ, & physice ordinatæ ad speciem: ob eandem rationem abstractum substantiale, nempe substantia absque subsistentia, & accidentale, nempe accidentis sine inherentia non collocantur directe in prædicamento, sed indirecte & in alio, quod physice componunt.

579 Sit 3. conclusio: entitas substantialis habens alienum completem, & carens proprio, suppletumque per alienum, collocatur directe: patet in Christo cum subsistentia Verbi. Idem dico de

accidenti, ut pater in Eucharisticis, quæ apud nonnullos habent complementum per quandam creationem supernaturalem, per quam suppletur defectus proprij complementi; & sic si defectus inhærentia suppletur à creatione, iam erunt completa & colocabuntur in prædicamento sicut entitates substantiales.

580 Obijc̄ies: accidentia Eucharistie, licet complecantur per actionem, per quam creantur, semper ordinantur ad subiectum essentialiter: ergo non collocabūtur sicut formæ. Resp. distingo: accidentia Eucharistica ordinantur ad subiectum, ut perficiātur per illud tanquam per accidentalem perfectionem, & proprij generis nego: tanquam per causam materialem & in aliquo genere, concedo: & sic solum requiritur, quod in genere in quo est, sit entitas completa, vel ab alienis complementibus eam, vel à proprijs; quod iam habet in se accidens inhærentia in facto esse; & sic eget termino non ut in genere accidentis perficiatur à subiecto, sed in genere causæ quasi materialis: forma vero ordinatur ad totum substantiale, & sicut illa est substantia, iam in eodem genere perficitur à subiecto eiusdem generis, quod non habet accidens respectu substantialis subiecti; ut patet in toto substantiali, quod exigit & ordinatur ad accidentia & est ens completum, quia non ordinatur ad illa tanquam ad aliquid quod sit intra genus substantia; ita accidens dum ordinatur ad substantiam, non ordinatur ad aliquid, quod sit intra genus accidentis.

### SECTIO III. An partes substantiae collocentur in prædicamento.

581 Solum est difficultas de partibus integralibus, nam de essentialibus ut sunt materia & forma, iam supra diximus. Partes integrales, vna sunt similares aut homogeneæ, & alia dissimilares, aut exherogeneæ. Primæ sunt illæ partes, quæ sunt similes, & æque denominantur, ut omnes guttae aquæ æque sunt aqua, ac integrū vas illius. Secundæ sunt partes, quæ hac similitudine carent, ut caput, manus, &c.

582 Sit conclusio: partes similares aut homogeneæ collocantur directe in prædicamento. Probatur, nam vna gutta aquæ, licet sit iuncta vel disiuncta ab alijs, semper est aqua, & ens physice completum, quin essentialiter ordinetur ad aliud: ergo.

583 Obijc̄ies: vna gutta aquæ componit vnum ens physice completum cum alijs guttis: ergo illa ordinabitur ad illud, & sic erit

erit incompleta. Resp. distinguendo: vna gutta aquæ ordinatur ad componendū cum alijs guttis vnum ens physice completum; vnu ens per se esse<sup>t</sup>iale, nego: vnum contingenter extensius, & integrāle, concedo: forma enim substantialis non præcisse quia vnum ens per se componit, non collocatur in prædicamento, sed quia illud componit essentialiter & per se, nec per se ipsam est completum实质的: ergo si non ita vna gutta componit, collocari poterit in prædicamento.

584. Idem dico de partibus dissimilaribus, vel etherogeneis, si ve sint dissimilares essentialiter, sive accidentaliter: quod probatur in brachio hominis, quod est pars dissimilans accidentaliter, & est ens physice completem, siquidem est compostum ex materia, & forma substantiali & subsistentia; & ita est ens physice in se completem & collocabile in prædicamento.

585. Deinde, brachium hominis non ordinatur ad componēdū totum essentialē, sed totum integrāle: ergo partes integrāles sunt entia completa physice, scilicet essentialitate physica, aut intensiva, licet non extensiva, & collocantur in Prædicamento.

### DISPUTATIO XXII. De Substantia.

#### SECTIO I. Quid sit.

586. **S**IT conclusio: substantia definitur: ens per se, id est ens potens subsistere. Probatur haec definitio ex D. Augustino aiente: Corpus enim subsistit, & ideo substantia est. Ex quo loco inferitur quod si corpus est substantia, quia subsistit: ergo substantia stabit in ordine ad subsistentiam. Deinde iste est conceptus nobilior, & in ordine ad connotatum nobilius est definienda res.

587. Obiecties 1. vno hypostatica est substantia, sed non petit subsistere: ergo &c. Probatur min. nam nec subsistit ut *quo*, nec ut *quod*: non ut *quo*, quia non est subsistentia; non ut *quod*, quia non subsistit per subsistentiam Verbi, siquidem Verbum non est unitum humanitati ut subsistat vno, sed ut subsistat humanitas, aliter enim divina subsistentia esset tam debita vniōni, ac est natura divina, quod est falsum: ergo vno est substantia & non subsistit. Resp. vniōnem subsistere ut *quod*, & sic Verbum non solum fuit unitum natura ut illa subsisteret, sed ut illa & vno subsisterent. Nego tamen esse tam debitam vniōni subsistentiam divinā, quam sit natu-

ræ divinæ, quia isti est per identitatem, & per naturam debita, illi per gratiam subiecti & ut quid distincti; sicut propter hanc rationem essentia divina est magis debita cognitioni divinæ, quæ cognitioni beatificæ Divi Petri, licet à Deo & Divo Petro obiective participetur.

588 Obijcies 2. substantia definitur in ordine ad subsistentiam & subsistentia in ordine ad substantiam: ergo comittitur circulus virtiosus. Resp. concedo circulum, nego viciosum; immo est necel-sarius, quando sunt correlativa quæ definiuntur, ut substantia, & subsistentia.

589 Obijcies 3. non est maior ratio quare forma leonis subsistat, & non subsistat albedo: ergo neque erit maior ratio, quare nostra definitio conveniat substantiæ, & non accidenti. Resp. negando totum; nam omnes admittunt subsistentiam esse proprietatem naturæ substantialis, non vero accidentalis; Quod constat ex mysterio Incarnationis in quo factum est, ut Verbum suppleret defectum subsistentiæ creaturæ, reddendo naturam humanam subsistentem.

590 Dice s; essentiam substantiæ non debere explicari dependenter à mysterijs fidei, sed per rationes, aut causas naturales: ergo male definitur in ordine ad subsistentiam, quæ per fidem est cognita. Nego antec. quando definitio debet illa comprehendere. Nam omnes dicent, si non mediaret fides, inhærentiam esse prædicatum essentiale identificatum cum omni accidenti, & quia in Eucharistia fides contrarium præcipit, aliter constitunt: ergo similiter hic: fides enim quod ignotum erat substantiæ, nobis manifestavit; quod non est, nec esse potest inconveniens, ad certius eius essentiam prænoscendam; immo valde securum, & firmum fundatum.

591 Obijcies ultimo: subsistentia est substantia: sed subsistentia non petit subsistere: ergo datur substantia cui non conveniat nostra definitio. Resp. distingo minorem: sed subsistentia non petit subsistere ut quo, nego: ut quod, concedo: quia est ratio subsistendi & sic subsistit ut quo, sicut albedo quæ est alba ut quo & reddit parietem album ut quod, ita subsistentia reddit naturam ut quod subsistentem, & ipsa subsistit  
ut quo.

## SECTIO II. De subsistencia.

592 Natura hominis est corpus, anima, & vnio, eius subsistencia est complementum superveniens. Ex natura & subsistencia vniuersitatis, resultat suppositum; & quando natura est rationalis, resultat suppositum personale, aut persona, & subsistencia dicitur tunc personalitas. Si natura non est rationalis, dicitur suppositum, & subsistencia suppositalitas. Hoc nomen *hypostasis*, licet antiquitus sumptum fuisset pro substantia, de facto tamen significat subsistenciam suppositalem, quam ob rem dantur tres hypostases in divinis.

593 Nota, quod licet in Christo dentur duæ naturæ, vna divina & alia humana, solum datur vna persona & non duæ: quia vna sola datur subsistencia. Durandus dixit subsistentiam non distinguere realiter à natura. Contra, nam si natura humana Christi esset subsistencia, dum Verbum vniiretur naturæ humanæ, vniiretur persona (siquidem vniiretur substantia reali per identitatem subsistentiæ) & essent duæ persona: sed hoc est hæreticum: ergo distinguitur realiter à natura.

594 Dices 1. licet subsistencia Verbi & natura Verbi sint idem, vnitur subsistencia Verbi naturæ humanæ Christi, & non natura Verbi: ergo licet natura humana Christi, & illius subsistencia essent idem, posset vniiri Verbum naturæ, quin persona, sive subsistencia vniiretur. Resp. quod illic mediat distinctio virtualis maxima; non vero hic in creatis. Deinde, nam distinctio virtualis maxima, casu quo detur in natura humana Christi & subsistencia, non est sufficiens ut producatur vna, improducta alia: ergo nec vt vniiretur vna & non alia. Resp. 2. & melius, quod saltim essent in Christo duæ persona vnitæ inter se, & non vna.

595 Obijcies 2. compositum ex materia forma, & vniione est suppositum independenter à subsistencia distincta. Probatur, nam est incomunicabile alteri: ergo est suppositum. Resp. esse compositum & non suppositum, & etiam esse incomunicabile alteri composito, non vero alteri supposito; quia careret positiva subsistencia, in qua consistit incomunicabilitas ad aliud suppositum.

## Disputatio XXII.

## SECTIO III. An subsistentia stet in negativo.

596 Scorus cum suis affirmat. Sed contra 1. nam suppositum est quoddam totum substantiale per se: ergo repugnat quod compleatur per subsistentiam quæ sit negatio. 2. nam ex positivo & negativo non resultat ens per se, sed per accidens: ergo. 3. nam inherentia est quid positivum: ergo si subsistentia esset quid negativum, perfectius complementum possideret accidentes, quam substantia, quod est falsum, nam subsistentia divini Verbi est quid positivum: ergo reliqua creatæ etiam.

597 Obijcies 1. subsistentia non debet esse perfectio: ergo neque quid positivum. Probatur antec. Nam Divus Thomas ait, quod licet naturæ humanæ Christi deficiat propria subsistentia, nō deest aliqua perfectio: sed hoc esset falsum si subsistentia esset aliqua positiva perfectio: ergo &c. Resp. Divum Thomam vel dixisse nō illi deesse perfectionem, quæ pertineat ad rationem naturæ; bene enim interrogatus assereret, quod deerat perfectio pertinens ad rationem suppositi; vel solum voluit non deesse, quia suppletur per Verbum.

598 Instant: ergo humanitas Christi erat violéta sine tali perfectione subsistentiæ. Nego, quia subsistentia Verbi supplet illam perfectionem, quæ illi deficeret de subsistentia creatæ, & deinde assert alios novos titulos perfectionis excessivos. Secundo respódetur, esse violentam quoad appetitum innatum, non vero quoad elicium.

599 Obijcies 2. Patres aiunt, quod Verbum assumpsit, quid quid in natura humana plantavit: sed hoc falsificatur, si non assumpsit subsistentiam: ergo. Resp. non falsificari, siquidem subsistentias non est de ratione intrinseca naturæ, sed suppositi; sicut forma nō facit materiam, sed compositum: ergo ut assumat totum naturæ, non requiritur assumere subsistentiam.

600 Instant: ergo homo non fuit purgatus totus; siquidem nō fuit totus assumptus à Verbo. Nego, nam iam assumpsit totā naturam humanam, & loco subsistentiæ fuit introducta subsistentia Verbi, & sicut orum complexum homo fuit purum & sanctum.

(1)

SECTIO III. *Quid sit subsistentia.*

601 Nota subsistentiam Angelii distingui ab eius natura. Probatur, nam Angelus habet cum accidentibus componere totum accidentale: ergo cum subsistentia componere totum subsistens. Probatur nam imperfectius est primum, quam secundum: ergo si illud habet, potius istud. Nunc omissis varijs sententijs circa effectum formalem subsistentiaz discrepantibus.

602 Sit mea conclusio: subsistentia stat in completere substantiam, constituendo cum illa concretum substantiale subsistens. Probatur, nam subsistentiam cognoscimus ex fide, dum ait Verbum non fuisse unitum personæ humanae, sed naturæ, quæ non habebat propriam subsistentiam: ergo ille erit effectus substantiaz, qui deficiebat naturæ viduae subsistentiaz: sed quod illi deficiebat erat complementum in esse substantiali subsistentis: ergo hic erit effectus formalis ipsius.

603 Obijcies: materia prima est natura: sed forma est complementum materiaz: ergo naturæ: atqui non est subsistentia: ergo convenit alijs à subsistentia. Resp. quod forma substantialis est complementum naturæ, non absolute, sed in esse compositi; non in esse suppositi: nam in hoc sola subsistentia complet.

SECTIO V. *An subsistentia sit actio productiva substantia.*

604 Nota cum omnibus Theologis, quod non omnis actio productiva substantiaz est subsistentia, nā actio humanitatis Christi non est subsistentia, alias duas haberet subsistentias, nempe actionis, & Verbi.

605 Sit conclusio: subsistentia creata identificatur realiter cū actione connaturali productiva substantiaz, non vniante vel exigeniente unionem cum supposito alieno. Ita Pater Bernal tomo de Incarn. Probatur, nam per id redditur substantia subsistens, per quod redditur positive independens à supposito alieno: sed hoc habet Angelus per ipsam creationem: ergo creatio identificatur cum ipsa subsistentia. Prob. min. nam ad creationem sequitur independentia à subiecto & supposito: ergo est subsistentia.

606 Confirmatur 1. nam actio productiva accidentis dependenter à subiecto est illius complementum: ergo actio productiva substantiaz independenter ab alieno supposito erit complementum

tum substantiæ. Confirmatur 2. nam generatio, & spiratio passiva  
divinarum personarum sunt subsistentiæ Filii, & Spiritus Sancti:  
ergo etiam productio substantialis & connaturalis substantiæ erit  
illius subsistentia.

607 Obijcies 1. natura complebilis debet esse prior suo com-  
plemento; sed natura non est prior actione: ergo actio non est com-  
plementum naturæ, nec subsistentia. Retorquo argumentum in  
inhærentia, quæ est complementum accidentis, & stat in actione.  
Resp. nunc non requiri prioritatem temporis, sed naturæ, quæ  
prioritas datur iam inter naturam, & actionem & inter essentiæ,  
& proprietates.

608 Resp. insuper, actionem aut productionem esse priorem  
efficienter & posteriorem respectu substantiæ in denominatione  
formali productæ; sicut actio productiva animæ leonis, quæ vt a-  
ctio, est prior anima leonis: at vt producta denominatur, & vt est  
vnio est posterior ea vt vnta, siquidem omnis vnio supponit  
aliquo modo extrema, quæ vnit.

609 Obijcies secundo: Productio Petri est subsistentia: ergo  
productio Christi erit subsistentia. Resp. negando conseq. nā pro-  
ductio humanitatis Christi vt termini est vnio illius cum tertio  
nempè cum divino Verbo, & sic non reddit illam independentem  
ab alieno supposito, immo dependentem, quod non habet actio Pe-  
tri, & sic una erit subsistentia, & non alia.

610 Obijcies tertio, omnes actiones Christi non posse esse v-  
niones cū Verbo, vt patet in actionibus nutritivis illius, quæ non  
erant vñiones ad Verbum. Quod videtur certum; nam aliter quo-  
ties nutriretur & alimentum in suam substancialm transmigraret,  
statim vñiretur cum Verbo: sed hoc esset per vñionem supernam,  
& per miraculum: ergo quoties nutriebatur, toties siebat vnum  
miraculum, quod est falsum.

611 Resp. nego nutiri miraculosè; nam non erat miraculum,  
quod subiectum supernaturale nempè Christus, recipere vñionem  
novam supernaturalem, sicut non est miraculum, quod mens D. Pe-  
tri cum lumine recipiat visionem supernam; nam mens cum lumi-  
ne iam est aliquid supernum. Adde inevitabilem esse in omni sen-  
tentia novam vñionem supernam materiae alimenti cum ipso  
Verbo.

612 Obijcies quarto licet actio formæ leonis sit vnio illius  
cum materia, est illius subsistentia: ergo licet actio Christi sit illius  
vnio

vniō cum Verbo, erit illius subsistentia. Res. p̄imō actionem formæ leonis esse connatūalem ipsi leoni; non vero actionem humānitatis Christi productivam. 2. actio illius formæ, non est vniō cum alieno supposito, vt tali; actio vero Christi est vniō ad Verbi subsistentiam, vt talem. 3. quia non sequuntur duas subsistentias personales in leone, ex eo quod actio illius formæ sit subsistentia, benē verò in Christo, quod est absurdum, cum inde sequeretur datur in Christo duas personas.

**SECTIO VI. Aliqua dubia.**

613 Sit conclusio: non repugnat substantia absque propria & aliena subsistentia. Probatur in substantia producibili per actionem accidentalem, in quo casu non subsisteret illa substantia, nec per propriam, nec per alienam subsistentiam.

614 Dices: hæc substantia haberet esse independens ab alieno supposito: ergo subsisteret. Concedo antec. & nego conseq. nam idem habet accidens, & non subsistit. Deinde, nam illa esset independentia negativa, & subsistentia stat in independentia substanciali positiva.

615 Sit 2. conclusio singularis: una substantia naturaliter potest habere duas subsistentias. Patet in materia 1. equi, quæ habet suam propriam subsistentiam, prout habet suam actionem, & deinde habet subsistentiam formæ, nam habet in se receptam illius actionem: ergo illius subsistentiam; nam ut diximus nihil aliud est, quam actio.

616 Dices: recipi actionem formæ in materia, non verò eam denominari subsistentem, sed tantum formam. Contra: nam est impossibile, quod forma aliqua communicetur subiecto capaci, & quod illud non denominet: sed per vos communicatur subsistentia formæ, materiæ: ergo est impossibile, quod eam non denominet.

617 Dices; non esse materiam subiectum capax secundæ subsistentiæ. Contra. Nam in probabili sententia, licet vniō sit unita per semetipsam cum uno extremo, etiam unitur per aliam vniōnem, nempe per actionem, per quam producitur, quia intime illi applicatur: ergo licet materia subsistat per suam propriam subsistentiam, etiam subsisteret per subsistentiam formæ, dum illi in time applicatur.

618 Obijctes. Subsistentia est ultimum complementum: ergo

nequit ex eo, quod habeat unam, habere aliam, quia alias prima subsistentia non esset ultimum complementum.

Resp. distinguendo: subsistentia est ultimum complementum, ultimum quod exigit substantia ad subsistendum, aut quo eget ad esse completam, concedo: ultimum quod potest habere, non ex necessitate, sed ex abundantia, nego: & sic materia potest habere duas subsistentias modo dicto.

619 Probato iam quod una substantia duas potest habere subsistentias, supervacaneum erit probare divinitus etiam posse illas habere, & sic si substantia potest produci per duas actiones, poterit habere duas subsistentias: quod autem una substantia posit produci per duas actiones substantiales, in Physica probatur.

### SECTIO VII. *Alia dubia.*

620 Dubium est, an sit possibilis natura identificata cum sua subsistentia. Non est difficultas de Divina, nam de hac certum est identificari cum tribus subsistentijs. De natura creata. Resp. affirmativa; nam possibilis est substantia identificata cum sua actione: sed actio est subsistentia: ergo possibilis est substantia identificata cum subsistentia. Antec. in physica probatur.

621 Obijcies: repugnat accidens indentificatum cum sua inherentia: ergo repugnat substantia eadem cum sua subsistentia. Resp. 1. creationem accidentalem forte posse dici se ipsa inhære-re, vel saltim adhærere. Resp. 2. Concedo antec. & nego conseq. nā inherentia semper est modus accidentis; non vero subsistentia vaporat in Deo; & sic nihil mirum quod nequeat identificari modus cum illo, respectu cuius est modus; queat vero subsistētia, quæ potest non esse modus.

622 Quæres 1. an substantia eadem cum subsistentia, posit subsistere per subsistentiam distinctam? Resp. negative: nam illa substantia esset subsistentia: sed subsistentia nequit subsistere per aliā subsistentiam distinctam: ergo. Probatur minor: nam albedo nequit dealbari per albedinem distinctam, nec cognitio potest esse repræsentans obiectum per aliquid distinctum: ergo nec subsistētia esse subsistens per aliquid distinctum; nam omnes æque habent esse rationes formales: ergo.

623 Quæres 2. an una substantia posit subsistere per subsistentiam alterius? Resp. quod si talis subsistentia est modus, nequit a-  
lic-

lienam substantiam denominare, ut patet in productione, & unione albedinis in pariete, quæ non potest denominare, nec album, nec productum alium terminum, quam albedinem, & parietem cuius est modus: ergo nec substantia posset denominare substantem substantiam cuius non esset modus. Si tamen substantia non esset modus, sed res, posset; ut substantia Verbi, quæ humanitatem denominavit.

624 Quid res 3. an datus duabus substantiis in una natura rationali darentur duas personæ? Resp. affirmative, nam darentur duas personalitates: ergo duas personæ. Patet à paritate naturæ dividæ, in qua dantur tres personæ, quia dantur tres personalitates aut substantiæ. Nota tamen, quod si esset una sola natura, hominis, non darentur duo, aut tres homines, nam non dabuntur duas aut tres naturæ, sed solum resultaret unus homo, sicut illic unus Deus.

### DISPUTATIO XXIII. De Accidenti Physico.

#### SECTIO I. Quid sit.

625 Evidentia accidentis non stat in exigere inhærente: ratio est quia creatio accidentium Eucharistiae est verum accidens, & non exigit inhærente: ergo. Dices: inhærente talem creationem, ut quo, licet non ut quod; quia inhærentia stat in unius subjecto præbendo illi denominationem accidentalem.

626 Contra 1. quia si creatio accidentium inhæreret ut quo, redderet accidentia inhærentia ut quod: hoc est contra Fidem: ergo. Antec. patet ex substantia, quæ quia ut quo subsistit, reddit naturam substantiem ut quod. Contra 2. quia falsum est, quod inhærente sit unius subjecto, dando illi denominationem; nam hoc idem habet formam rationalis, & non inhæret materia sicut accidens: talis ergo creatio, licet adhæreat, non inhæret.

627 Sit conclusio; accidens physicum essentialiter est: ens constitutivum totius per accidens, cum qualibet substantia, cui uniat. Probatur: nam nulla est substantia, cui talis definitio conveniat: ergo. Deinde, nullum est accidens, cui non conveniat, ut vide ri potest in quantitate, & qualitate: ergo omni accidenti convenit, & non alijs: ergo est optima definitio accidentis physici.

628 Obijcies: creatio accidentium Eucharistiae est verum accidens:

dens: sed nequit constituere totum per accidens cum qualibet substantia, cui vniatur, nam nulli possit vnit: ergo.

629 Resp. talem creationem non posse vniiri immediate, & per se ipsam cum aliqua substantia; benè tamen potest vniiri mediata, ita ut accidens creatum immediata vniatur substantia, & illa creatio cum illa substantia, & accidenti constituant totum per accidens.

### SECTIO II. Dubia solvuntur.

630 Sit conclusio: accidens entitativum nequit identificari cum sua inhærentia: nam hæc consistit in eductione illius à subiecto, quæ est vno, & modus talis accidentis cum subiecto; sed nullum accidens entitativum potest esse vno & modus: ergo nec esse inhærentia,

631 Dubium 1. An sit possibile aliquod accidens entitativum, quod possit creari? Resp. affirmative: quia in hoc nulla inventur implicatio, immo accidentia Eucharistia ibi stant creata, sive sub modo creationis: ergo possibile est tale accidens. Deinde, quia creari non est contra essentiam accidentis; quia hæc nec est inhærente subiecto, nec exigere inhærente. Patet in creatione, quæ est accidens, & est creata, & non exigit inhærente: ergo sic de aliquo alio entitativo possibili.

632 Dubium 2. An tale accidens possit esse naturaliter absque subiecto? Resp. affirmative: nam quia est creata anima rationalis, potest esse absque subiecto: ergo eadem ratione posset etiam illud accidens, quod etiam esset creatum.

633 Respondent, animam esse substantiam, & sic esse perfectiorem, & posse stare per se; non vero accidens, quod esset impeditius. Contra: nam hoc non proveniret à maiori, vel minori perfectione, sed ab esse creatio eo quod sit talis cōditionis, ut cuncti termini, cui applicetur, reddat illum independentem à subiecto: ergo si æqualiter datur hæc actio in substantia, & accidenti, æqualiter independent substantia & accidens.

634 Obijcies contra primum; possibilis est substantia identificata cum sua subsistentia: ergo possibile est accidens entitativum identificatum cum sua inhærentia. Confirmatur: nam ambæ sunt formæ perficientes, & compleentes: ergo. Resp. disparitatem esse, quod de conceptu cuiuslibet subsistentia nō est esse unionem, ut patet in subsistentijs cuiuslibet personæ divinæ, quæ sunt subsisten-  
tiæ

tie & non sunt vno:at de conceptu omnis inhærentiæ est, quod sit vno & sit modus accidentis cum subiecto; & cum nullum sit accidens entitativum, quod possit esse vno & modus sui ipsius cū subiecto, nullum erit accidens entitativum , quod possit identificari cum sua inhærentia.

DISPUTATIO XXIIII. *De Quantitate.*SECTIO I. *Quid sit.*

635 **D**atur quantitas perfectionis & quantitas molis. Quantitas perfectionis est maior, vel minor perfectio rei: quantitas molis, seu extensa & impenetrabilis est quadam accidens, quod reddit corpora incapacia ut penetrantur, & de hac est difficultas.

636 Prima definitio quantitatis est: divisibilitas in partes. Contra 1. nam hæc definitio convenit materiae, alijs substantijs, & multis qualitatibus: ergo & alijs à definito. 2. non convenit puncto indivisibili quantitatis: ergo non convenit omni quantitati. Probatur antec. nam illud non habet divisibilitatem in partes.

637 Secunda sententia definit: ens impenetrabile cum alio eiusdem rationis. Contra: nam sicut sunt possibles materiae diversæ rationis ab actualibus, ita quantitates; sed quantitates actuales non solum essent impenetrabiles cum ipsis, quæ sunt eiusdem rationis, & speciei, sed cum possibilibus, quæ essent diversæ: ergo. Contra 3. Nam licet homo sit dissimilis alteri homini, non definitur per esse dissimilem: ergo licet quantitas sit impenetrabilis cum alia, non est definienda sic.

638 Quarto impugnatur sic: nā impenetrabilitas non est conceptus primarius quantitatis: ergo non est definienda per illam. Anteced. probatur: nam esse impenetrabile est idem, ac repugnare esse in eodem loco cum alio : sed hic est conceptus secundarius: ergo. Probatur min. nam prius est quod quantitas petat occupare suum locum, quam repugnare esse in loco, in quo est alia: ergo impenetrabilitas est conceptus secundarius. Deinde: nam calor in summo est impenetrabilis cum frigiditate in summo : ergo habet esse impenetrabilem cum alio: sed non est quantitas: ergo hoc convenit alijs.

639 Definienda est ergo quantitas sic: proprietas accidentalis

lis materiæ primæ, exigens extensionem in ordine ad locum. Ut definitio intelligatur, debet notari. Dari extensionem entitativam, ratione cuius compositum habet partes inter se distinctas, ut paries, qui componitur ex materia, & forma: & hæc extensio non provenit à quantitate, & impropiè est extensio. Datur etiam extensio partium in ordine ad se, & hæc consistit in eo quod partes se tangat penes extremitates, v. g. manus in extremitate brachij est, non penes totum, & ab hac extensione provenit habere partes integrales; quod etiam reperitur in Christo Domino in Eucharistia. Datur alia extensio, quæ dicitur localis sui in ordine ad locum, consistens in eo, quod una pars occupet seu petat occupare diversum spatum ac alia. Vnde licet partes integrales, & quantitative corporis Christi in Eucharistia non corraspondent diversis locis, perunt tamen correspondere. Per hanc ergo ultimam extensionem constituimus quantitatem, ut pote omni quantitati, & soli conuenientem.

### SECTIO II. An quantitas distinguitur à substantia.

640. Sit conclusio: quantitas distinguitur à substantia. Probatur, nam in Eucharistia datur quantitas: sed non datur substantia panis, ut est de fide: ergo distinguitur quantitas à substantia. Patet conseq. nam nullum est maius distinctionis signum, quam separatio. Maior probatur; quantitas patet à posteriori, nempe ab effectu, qui est impenetrabilitas; nam alias hostia penetraretur cum corporalibus: ergo si non penetratur est quia habet quantitatem.

641. Respondent, non manere quantitatem substantiæ panis, quia quando panis fuit destrutus, vi identitatis fuit etiam destruta illius quantitas; dicunt tamen manere alias quantitates accidentium manentium, & sic ab ipsis redditur impenetrabilis: unde ipsi sic respondentes, tenent quamlibet rem materialem, sive sit substantia, sive accidentes, habere suam propriam qualitatem secum identificatam; & sic in leone, v. g. tot dari qualitates, quot res materiales, ut v. g. materia prima, forma leonina, color, &c.

642. Contra: nam est impossibile, quod duæ quantitates penetrarentur: sed si accidentia haberent quantitatem, penetrarentur quantitates eorum, nam ea inter se penetrantur: ergo ruit responsio ab hoc absurdo.

643 Dices: repugnare, quod penetrantur duæ quantitates eiusdem speciei, non vero diversæ; & sic non repugnat penetratio quantitatis unius accidentis cum quantitate alterius dissimilis, vel cum quantitate materiae, quia haec sunt diversæ speciei. Contra 1. nam Aristoteles ait: quod repugnat, quod lumen sit corpus; nam si esset corpus, sequeretur quod penetraretur cum aëre, & igne: ergo licet ista essent diversæ specie, non possent penetrari ex mente Aristotelis: ergo ruit responsio.

644 Confirmatur, nam quod materia prima informata cum una forma materiali, non posse penetrari cum alia forma materiali, non est quia tales formæ habent suas quantitates, sed quia cum una forma est iam latitudo completa: sic informata cum una anima rationali, nequit secundam habere simul; & tamen id non est propter quantitates earum, cum sint spirituales, sed propter completionem: ergo falsum est afferere, quemlibet rem materialem habere suam peculiarem quantitatem secum realiter identificatam.

645 Contra 2. in sententia probabili duo gradus caloris sunt eiusdem speciei, & non obstanti penetrantur: ergo si aliunde habent quantitates, ut dicunt contrarij, iam duæ quantitates eiusdem speciei penetrantur. Idem patet in speciebus impressis, siquidem in eodem tempore habeo plures species impressas plurium objectorum; & non obstanti quod sint plures eiusdem speciei, penetrantur: ergo quantitates eiusdem speciei poterunt penetrari.

646 Et sic hostia non est impenetrabilis à qualitate aliqua, nam dempta omni qualitatis quantitate, adhuc esset impenetrabilis, siquidem adhuc non penetraretur: ergo est impenetrabilis à quantitate panis manente.

### SECTIO III. *Idem assumptum & deficuſtas prosequitur.*

647 Arriaga ait hostiam esse impenetrabilem, non vero à quantitate, sed ab ubicationibus, quas habet. Contra 1. nam ubicatio illa, vel esset ubicatio panis, & hoc non, quia ista non datur; nam ista est modus substantiae, aut materiae primæ: sed est impossibile, quod sit modus absque re, cuius est modus: ergo si deest illa substantia, cuius ubicatio erat modus, etiam ubicatio deerit. Quod deſit substantia, est principium fidei; quod deficiente illa debeat deficere illius modus, est principium naturale: ergo non est impenetrabilis ab ubicationibus his.

Vel

## Disputatio XXIV.

648 Vel est vbi catio qualitatum; & haec etiam si daretur, non posset reddere hostiam magis impenetrabilem, quam ipse qualitates vbi cato, quia vbi catio sequitur naturam eius cuius est: vel est vbi catio quantitatis, & sic iam ista daretur, & hoc intendimus.

649 Secundo: nam est impossibile quod illud, quod non est quantitas, possit tribuere effectum quantitatis: sed illæ vbi cationes non sunt quantitas: ergo nequeunt tribuere effectum impenetrabilitatis.

650 Respondent alij 2. dicentes non redi hostiam impenetrabilem ab aliquo ente naturali, sed à Deo miraculosè impediēte penetrationem. Sed contra: tum quia non sunt multiplicanda miracula absque necessitate: nec sine illa recurri ad Deum; sed non datur necessitas: ergo. Minor patet, nam admissa quantitate, naturaliter est impenetrabilis hostia: ergo non datur necessitas miraculi: tum quia ut hostia comediri posset & masticari ab æquis, quando dabatur eis ab hereticis, Deus foret illius masticationis specialis Auctor.

651 Confirmatur: nam si producitur calor in hostia, vel aliud accidens, recipitur in aliquo subiecto: sed non potest inveniri aliud, quod sit subiectum, nisi quantitas: ergo datur quantitas. Probatur minor; nam non possunt recipi in substantia, quia est de fide non dari: Deinde, nec in qualitate, nam una qualitas nequit esse subiectum alterius: ergo in quantitate: ergo si detur quantitas in hostia, ab hac reddetur impenetrabilis, & non à Deo.

652 Dices 1. hoc nil probare: nam licet possit ignis introduci in hostia, & ignis requirat recipi in materia prima substantiali, non probatur in hostia dari materiam primam substantialiem: ergo licet possit introduci calor, & calor petat recipi in quantitate, non probat hoc, dari quantitatem. Resp. fidem docere, quod in Eucharistia non datur materia, nec substantialia; & cum forma ignis, quia substantialis, petat recipi in substantia, tenemur fideles negare in hostia materiam ad introductionem formæ ignis, quia fides illam prohibet; at fides non prohibet in hostia qualitatem, quamobrem illam damus, ut subiectum reliquorum accidentium: nam non opponitur hoc fidei, sicut illud.

653 Vnde cum introducitur ignis, etiam materia introducitur ad miraculum tegendum in hostia, ut ipsa recipiat formam; nam tunc deficiunt accidentia panis, vi dispositionum ingredientium, preparantium hostiam ad formam ignis, & deficientibus accidentibus, iam deficit Christus.

Obij-

654 Obiectio 2. materia de facto existens petit ex se formas extensas: ergo ex se habet partes extra partes: ergo ex se est identificata cum quantitate, nam hoc omne habet per se: ergo per se est quanta. Resp. verum esse, quod materia petit formas extensas, & quod ipsa expectat formas cum extensione propria suarum partium; non vero provenit à se hæc extensio in exercitio, sed à quantitate, quam exigit; sicut ego exigo, aut volo ad consecrandum ordinari, non tamen volo ordinari à me, aut ex me, sed ab alio: sic materia petit esse extensa ad formas, non vero petit hanc extensionem habere à se, sed ab alio, nempè quantitate.

**SECTIO II. De speciebus quantitatis.**

655 Quantitas alia est indivisibilis, ut punctum, alia divisibilis. Hæc ab Aristotele, & Divo Thoma solet dividi in continuam & discretam. Continua est, cuius partes copulantur termino communis vniuersitatem, ut linea, superficies, corpus, &c. Discreta est, cuius partes non copulantur termino communis, ut numerus, & oratio.

656 Linea est, quæ componitur partibus versus longitudinem. Superficies est quæ componitur partibus secundum longitudinem & latitudinem, ut quando vniuntur duas lineæ una ad latus alterius, & faciunt planitatem. Corpus est, quod componitur partibus secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ut quando super duas lineas unitas, ponuntur aliae duas.

657 Dubium 1.est. An ratio quantitatis conveniat punto, superficie, & corpori? Resp. affirmativè, & prob. nam cuilibet ex ijs convenit esse proprietatem materiæ primæ exigentem extensionem in ordine ad locum, vnis ut quo, & alijs, ut quod, ut speculati patebit: ergo cuilibet convenit esse quantitas. Declaratur amplius de punto, quia istud etiam exigit essentialiter impenetrationem sui cum alio & facere extensionem, & in hoc stat essentia metaphysica quantitatis. Licet autem ipsum non sit extensus, nisi ut quo; ut quod tamen est exigens extensionem.

658 Dubium 2.est. An qualibet ex ijs sit species quantitatis completa? Resp. affirmativè: nam si non, maxime quia ordinatur una ad componendum aliam: sed licet una gutta ordinetur ad componendum cumulum aquæ, quælibet gutta est complete aqua:

ergo etiam linea, superficies, & corpus erunt quantitates cōpletæ, licet ordinentur, quia non per se hoc habent, sed per accidens.

659 Dubitatur 3. an motus sit quantitas? Non est quæstio de motu alterationis, aut nutritionis, sed de motu locali, de quo. Res. negative: nam quando movetur quantitas, ipsa quantitas est in eodem loco in quo est motus: ergo penetratur cum illo: sed hoc non posset esse, si esset quantitas; nam naturaliter nequit una penetrari cum alia: ergo. Confirmatur: nam licet producatur motus, non destruitur aliqua quantitas: ergo penetratur motus cum quantitate. Probatur antec. quia antequam produceretur ullus motus, omnis locus intra mundum contentus, erat repletus quantitate: ergo si producto motu, nulla destruitur quantitas, motus debet penetrari cum quantitate. Hæc ratio est efficax.

660 Dubitabis 4. An vno reperta inter duas quantitates sit quantitas? Resp. negativè: nam vno educenda est ex uno puncto quantitatis: ergo penetranda est cum illo: ergo non est quantitas; nam si esset non posset penetrari.

661 Dices: non penetrari cum aliquo punto, sed esse in medio illorum. Contra: nam est impossibile, quod non penetretur cum subiecto, à quo educitur: ergo est impossibile quod non penetretur cum illo ex punctis, si ab illo educta fuit vno: aliter in diverso loco habitaret subiectum vniuersitatis, à loco in quo residet vno, quod est monstruum philosophicum: ergo vno quantitatum non est quantitas.

## DISPUTATIO XXV. De Qualitate.

### SECTIO I. Quid sit.

662 **A**ristoteles sic definit qualitatem: id à quo quales dicimus. Sed hæc potius est descriptio quam definitio, nam non est clarior suo definito.

663 Thomistarum definitio est: accidentis absolutum consequens formam. Contra: nam intellectio, & volitio Angeli sunt qualitates: sed hæc non consequuntur formam, nam ea Angeli carent: ergo non convenit omni definito: ergo non est adæquata definitio omnis qualitatis.

664 Alij sic: radix similitudinis, vel dissimilitudinis. Sed contra i. quia hæc definitio traditur per differentias disiunctivas, & con-

contrahitur ad diversas species qualitatis, sed hæc sunt virtus definitionis: ergo. 2. quia prius est in qualitate esse intensam, quam esse radicem similitudinis, vel dissimilitudinis: ergo hic est conceptus secundarius.

665 Hurtado sic: accidens absolutum à quantitate distinctū. Contra: nam quantitas non definitur per: accidens absolutum à qualitate distinctum: ergo nec qualitas debet definiri per, accidens absolutum à quantitate distinctum.

### SECTIO II. *Nostra sententia.*

666 Definienda est ergo qualitas sic: accidens entitativum exigens intensionē. Et antequā id probetur, nota, quod nomine intensionis, intelligitur additio vnius gradus qualitatis ad alium gradum qualitatis, in eadem parte subiecti. In sententia Thomistarum non requiritur quod additio sit novi gradus qualitatis, sed sufficit quod eadem qualitas, quæ anteab dabatur, de novo radicetur in eodem subiecto; hoc posito, & supposito.

667 Probatur nostra conclusio: nam talis conceptus non convenit quantitati, nec substantiæ, nec alicui alij, quod non sit qualitas: deinde convenit omni illi, quod est qualitas: ergo optima est definitio. 2. Probatur: nam ex mente Aristotelis de ratione qualitatis est, habere gradus: ergo intendi: ergo essentia lìter exigit intendi.

668 Obijcies: Caracter Sacramentalis, & potentia animæ sunt qualitates: sed non exigunt, aut possunt intendi: ergo. Probatur minor: nam vñus Christianus non est magis Christianus, quā alius, nec vñus Sacerdos est magis Sacerdos, quā alter: ergo si hæc qualitates non exigunt, nec possunt intendi, diminuta erit definitio. Idem dici potest de potentia visiva, quæ est qualitas, & nequie intendi.

669 Resp. ad illud de characteribus, quod possunt intendi, non vero sequitur, posse vnum esse magis Christianum, quam alium, nec magis Sacerdotem vnum quam alium: ratio est quia homo, nec constituitur Christianus, nec Sacerdos per characterem: ergo licet intendatur in hoc, non sequitur intendi in esse Sacerdotem, aut Christianum: Caracter enim tantum est signum de eo, quod homo est Christianus, aut Sacerdos, non essentia: ergo cū ex intentione signi alicuius rei, non sequatur intensio rei, ex intentione ca-

racteris, non sequitur intensio Sacerdotij. Sic unus miles D. Ioannis non est magis miles, quam aliis, licet candiorem Crucem, aut extensiorem portet quam aliis, quia Crux solum est signum. Adde quod character ordinis dantis potestatem intenditur, & reddit unum potentiorum alio, nempe Diaconum, quam Subdiaconum.

670 Ad illud de potentijis animarum: possumus cum nostris respondere, non esse qualitates, sed substantiam; siquidem cum anima identificantur. Sed demus cum Thomistis distingui. Resp. esse qualitates intensibiles etiam, siquidem unus homo perspicaciore intellectu, visu, aut alia potentia gaudet, alio: ergo intensibiles sunt.

671 Obijcies 1. non repugnat quod divinitus ponatur in uno subiecto omnes gradus qualitatis, qui intra unam speciem sunt possibles, vel quod ponatur qualitas tam summe intensa, ut non possit magis intendi: sed talis qualitas non esset accidens exigens intensionem, siquidem iam omnem habebat intensionem. ergo non est de essentia omnis qualitatis exigere intensionem. Permissa maiori. Resp. quod tunc adhuc exigeret intensionem: non de novo receptibilem, sed quam habet, & de novo conservabilem: nam licet substantia habeat subsistentiam, illam exigit: ergo etiam illa qualitas exigit intensionem, licet illam habeat.

672 Obijcies 2. quia quantitas est accidens impenetrabile, reddit materiam primam impenetrabilem: ergo, si qualitas est accidens intensibile, reddet eam intensibilem. Nego conseq. dispositas est, quod materia est capax impenetrabilitatis, non vero intensibilitatis: sicut ab anima redditur viuens, & non spiritualis, quia ad unum est capax, & non ad aliud: ratio vero quare materia non est capax intensibilitatis, est, quia intensio fit per addititionem intranciam unius accidentis ad aliud, & sicut hoc deficit materia, quia est substantia, deficit ei capacitas ad intensionem.

673 Obijcies 3. intensione supponit penetrationem: ergo intensitas penetrabilitatem. Resp. distinguendo: supponit penetrationem, ut rationem formalem qualitatis, nego; ut requisitum aut conditionem, concedo; & sic qualitas ut qualitas, solum dicit intensitatem.

### SECTIO III. De speciebus qualitatis.

674 Aristoteles afferit quatuor species qualitatis. Prima dicitur

etur habitus; Et est advertendum, quod nomine *habitus*, hic non intelligitur habitus supernaturalis, sed summittur pro qualitate facilitante potentiam ad operandum. Dicitur *facilitas*, quia habitus non dat potentiam ad simpliciter operandum, sed supposita potentia ad opus, dat facilitatem ad facilius illud exercendum.

675 Secunda species qualitatis est *potentia & impotentia*. Potentia est qualitas operativa, & expedita ad operandum: impotentia est qualitas operativa, impedita tamen ad exercitium: & hoc modo explicatae hę qualitates, solum accidentaliter distinguntur, nam accidentaliter advenit illis, impediri vel non impediri, quia hoc ab extrinseco provenit.

676 Tertia species est *patibilis qualitas & passio*: patibilis qualitas est, qualitas multo tempore perseverans in subiecto, ut rubor, qui est in facie ortus ex temperamento, & est quasi accidentis notionale subiecti: passio est qualitas, non perseverans multo tempore in subiecto, ut color ex verecundia dimans, qui quasi instantaneus est.

677 Quarta species qualitatis est *forma, & figura*: forma est pulchritudo, vel deformitas alicuius rei, proveniens ex dispositione qualitatum inter se: figura vero, ut hic summittur, est diversa partium dispositio, v.g. in corpore quod sit ad modum trianguli, in linea ad modum longitudinis, &c.

678 Proprietas prima qualitatis est, habere contrarium, licet hęc non sit generalis: nam lux & species impressae sunt qualitates, & carent contrario. Secunda proprietas est, suscipere magis, & minus, quod convenit omni qualitati, sed non in omni statu: nam calor includens omnes gradus possibles, licet de per accidens, non posset suscipere magis, licet posset minus. Tertia proprietas est similitudo, aut dissimilitudo, quae stat in eo, quod sint eiusdem, vel distinctarum specierum.

## DISPUTATIO XXVI. *De Relatione.*

### SECTIO I.

679 **R**Elatio definitur respectus unius ad aliud. Entitas respiciens dicitur fundamentū. Entitas respecta dicitur terminus, res, qua posita, ponitur relatio, dicitur conditio relationis seu ratio fundādi. Solet dividī relatio in realem, & rationis. Realis est

est, quæ existit independenter ab intellectu, ut relatio causæ ad effectum. Rationis est, quæ existit beneficio actus intellectus, ut relatio quæ datur inter subiectum, & prædicatum.

680 Dividitur 2. relatio in mutuam, & non mutuam. Mutua est, quando ad invicem duæ res respiciuntur, & tunc vocatur correlatio. Non mutua est, quando fundamentum respicit terminum, & terminus non respicit fundamentum, ut actus intellectus actualiter transcendentaliter respicit terminum, nempe obiectum, & obiectum non actualiter transcendentaliter respicit actum: istæ relationes vocantur non mutuæ, quia non reciprocantur in respiciendo.

681 Dividitur 3. relatio in prædicamentalem, & transcendentalē. Prædicamentalis est respectus, qui est accidentalis fundamento proxime relato. Transcendentalis est, quæ est essentialis fundamento proxime relato. Relatio æqualitatis, similitudinis, &c, est prædicamentalis; accidentale enim, & defectibile est fundamento esse simile, aut disimile alteri. Relatio, quam dicit vno ad extremum, aut causa ut causans ad effectum, est transcendentalis, quia essentialis illi.

### SECTIO II. In quo sicut relatio prædicamentalis.

682 Quidam, ut Thomistæ, aiunt relationem prædicamentalem stare in modo superaddito fundamento & termino proxime relatis, & sic relationem prædicamentalem, quam dicit unus paries albus ad alterum parietem, stare in modo superaddito & distincto ab utraque albedine.

683 Sed contra, quia hic modus est intrinsecè superadditus? ergo quotiescumque qualibet minima creatura produceretur, totus mundus intrinsecè mutaretur. Probatur conseq. nam omnia quæ in mundo sunt, dicent ad illam creaturam relationem, vel similitudinis, vel disimilitudinis: ergo omnibus entibus in mundo existentibus adveniret ille modus intrinsecè superadditus: sed nihil aliud requiritur ad mutationem: ergo mutaretur omnia mundi & ipse mundus, quod est falsum.

684 Probat. 2. conclusio: nam ex Aristotele, nihil aliud est relatio æqualitatis quā duæ quantitates æquales in duobus subiectis: ergo si apud Aristotelem nihil aliud est relatio, non erit relatio modus superadditus, siquidem independenter ab eo, positis prædictis quantitatibus, datur relatio.

Sed

685 Sed respondent Thomistæ non mutari totum mundum, nam res quæ antea existeret, dicitur similis, aut dissimilis rei de novo productæ per eundem modum superadditum, per quem antea erat similis, vel dissimilis alijs rebus existentibus. Et sic rebus antea existentibus, ex productione novæ rei, nullus modus superadditus advenit eis de novo, præter illos quos antea habebat.

686 Sed contra: nam difficile est, quod una relatio se extendat de novo ad respiciendū novum terminum: ergo ad hoc nova relatio requiritur. Probatur antec. tum quia unio nequit se extende-re ad vniendum novum extremum, neque actio ad producendum novum effectum, neque cognitio ad cognoscendum novum obtum: ergo neque relatio ad respiciendum novum terminum.

687 Suarez ait, stare relationem prædicamentalem in recto in fundamento connotante terminum in obliquo. Sed contra: nā potest manere fundamentum destructo termino, quin maneat relatio: ergo non stat tota essentia relationis in fundamento & recto. Probatur antec. nam potest manere paries, A, destructo parie-te, B, ad quem referebatur, & tunc non manebit relatio similitudinis, siquidem deficeret, cui assimilaretur.

688 Respondet Suarez, tunc manere relationem quoad entitatem, licet non maneat relatio quoad denominationem. Quam explicationem usurpat à libertate actionum divinae voluntatis.

689 Contra: nam indignum cuilibet se offeret, summere ar-gumentum in creatis à Divino mysterio tam difficulti; si enim lice-ret, possem etiam dicere, intellectum & voluntatem meam per se cognoscere, & amare absque distincta actione, sicut Deus, quod nemo dicit: ergo nec hic licet assimilare creaturem divinis myste-rijs in æquali concordia difficultatum.

### SECTIO III. *Nostra sententia.*

690 Nota ante decisionem, Aristotelem tria genera relatio-nis prædicamentalis possuisse: ad primum genus reduxit omnes relationes, qua fundantur in unitate & diversitate; afferit enim quod unitas in substantia seu essentia, facit idem; unitas in quantitate æquale; & unitas in qualitate, simile; & è contra, diversitas in substantia, facit diversum; in quantitate, inæquale; & in qualitate, dissimile.

691 Secundum genus relationis est, quod fundatur in actione

& passione, nempe in causa producente, & recipiente, sive in causa activa & passiva &c. ad quod genus reducuntur omnes reliquæ causæ, tam physicæ, quam morales, accidentales aut substantiales, cuiuscunque generis sint.

692 Tertium genus relationis est illarum, quæ fundantur in mensura, & mensurabili; advertendo nomine mensuræ, non intelligi aliquam mensuram quantitativam, sed solum mensuram obiectuam, seu per modum obiecti, qua ratione obiecta dicuntur mensuræ suorum actuum & scientiarum; nam per obiecta pensantur, & mensurantur perfectiones actuum, cum ab eis specificentur, & summant totam suam perfectionem.

693 Sit prima conclusio: relationes prædicamentales primi generis consistunt formaliter in fundamento, & termino simul. Prob. nam possitis duobus coloribus, æque intensis, vel duabus quantitatibus æque extensis, omni alio secluso, ponitur relatio similitudinis, & æqualitatis: sed hoc solum dicit unum, & aliud colorē, unam & aliam quantitatem: ergo relatio prædicentalis primi generis, solum dicit unum & aliud colorem, & unam & aliam quantitatem: ergo solum stat in fundamento, & termino.

694 Sit secunda conclusio: Relationes prædicamentales secundi generis, quales sunt causæ ad effectus, & effectum ad causas non stant in solo fundamento, nec in solo termino, sed in ratione fundandi, seu in actione, & passione. Probatur conclusio: nam in ijs relationibus potest poni fundamentum & terminus, & non dari relatio: ergo. Probatur antec. nam nunc Petrus est pater Pauli, & potuit Paulus esse filius Francisci: sed tunc esset Petrus & Paulus, & non esset relatio Petri ad Paulum, quia deesset ratio fundandi, quæ stat in generatione: ergo præter fundamentum & terminum dicit generationem. Confirmatur: nam causa in esse prudenter respicit effectum; sed non respicit illum, nisi per actionem: ergo respectus causæ formaliter stat in actione.

695. Sit tertia conclusio: relationes prædicamentales tertij generis, quæ stant in actuali mensura actus per obiectum, stant formaliter in actu mensurante. Probatur: nam relatio tertij generis stat in obiecto mensurante per cognitionem: ergo formaliter intrat cognitione in constitutivum relationis. 2. Probat. à paritate relationum secundi generis, in quibus formaliter intrat actio: ergo ob eandem rationem hic debet intrare cognitione.

SECTIO IV. *Ad argumenta respondetur.*

696 Obijcies primo, relatio definitur ordo vnius ad aliud: sed fundamentum & terminus non est ordo vnius ad aliud: ergo nec sunt relatio. Probatur minor: nam fundamentum & terminus ad nihil dicunt ordinem; ergo si relatio est ordo, illa non sunt relatio. Propter hoc argumentum aliqui dicunt has relationes esse solum secundum dici, quod non est improbabile.

697 Resp. tamen, quod relatio non respicit, secundum totum quod habet, vnum, & aliud distinctum à semetipsa, sed sicut partialiter distinguitur à fundamento & termino, partialiter tantum respicit fundamentum, & etiam partialiter terminum, ut respectu à fundamento, & licet distinctio adæquata detur inter fundatum & terminum inter se, non vero inter relationem, & fundatum simul, & terminum: relatio enim inadæquate à fundamento, & eodem modo à termino distinguitur: vt patet in numero coagmentato ex duplice unitate, quod aggregatum partialiter à qualibet differt, & ille inter se adæquate.

698 Et sic ordo huius relationis prædicamentalis non est medium inter fundatum & terminum, sicut relatio, quæ aut stat in actione, aut in mensuratione: haec enim relationes pro forma dicunt quid distinctum à fundamento & termino. Nota hoc ad plurimum argumentorum satisfactionem.

699 Obijcies secundo: homo per suam entitatem, & essentia-liter differt à leone: sed ut differt ab illo, dicit ad illum relationem diversitatis: ergo haec relatio non stat in termino, sed in fundamento.

700 Resp. distingo mai. differt essentialiter à leone quoad sufficientiam, concedo mai. quia rationale per quod differt, est illi essentiale: quoad efficaciam, & respectum absolutum ad leonem, nego mai. & min. de differentia quoad sufficientiam; nam isti contingens est, quod adsit leo, cui sit absolute disimilis, & ista diversitas est relatio prædicamentalis.

701 Obijcies tertio: nihil datur in relatione respectivum, nam vnum album, & aliud album sunt quid absolutum: ergo non stat in ordine vnius ad aliud. Resp. cum Oviedo, quod nihil datur in tali relatione, quod essentialiter & adæquate per semetipsum respiciat aliud, sed quodlibet respicit aliud inadæquate per semetipsum, & inadæquate per aliud à se distinctum.

702 Obijcies quarto, contra aliam conclusiōnem: destructa generatione, qua Petrus produxit Paulum adhuc Petrus deonominatur pater Pauli: ergo relatio causae non stat in actione. Resp. quod licet physice sit destructa generatio, adhuc moraliter manet actio, quod sufficit, ut Petrus dicatur pater Pauli, & deonominetur ab illa ut praeterita vere & physicè.

703 Instas: ideo transacta visione non dico r̄ videns parietē, quia fuit transacta visio: ergo si fuit transacta generatio, aut transacta actio non dicetur pater.

704 Resp. videntem nihil relinquere in pariete productum, ut in eo tanquam virtute possit dici visus: At vero actio aut generatio, licet destruatur, relinquit substantiam genitam, quæ est substantia filij generati à patre: sicut actione peccaminosa transacta, manet adhuc homo peccator ob effectum quem relinquit.

### SECTIO V. *Aliqua dubia.*

705 Quælibet relatio potest esse prædicamentalis, aut transcendentalis iuxta varias considerationes: si enim paries ut similis actualiter consideratur, est prædicamentaliter relatus; si ut potest assimilari, est transcendentaliter relatus: Primo enim modo accidentaliter respicit, & secundo modo transcendentaliter. Idem de causa, quæ ut actu effectum respicit, prædicamentaliter refertur; & transcendentaliter ut potens causare: nā accidentale est actu causare, & esse entiale posse causare. Idem dic de relationibus tertij generis.

706 Dubium 1. An relatio possit fundari in alia relatione? Resp. affirmative: nam duo alba inter se referuntur: ergo sunt relatio: sed hæc duo alba respiciunt alia duo alba, nam una dualitas alba est similis alteri: ergo potest dari relatio relationis. Dices: hoc esse procedere in infinitum. Lince & alij hanc sequelam non renuunt concedere, & sic nullum est absurdum. Sed resp. negando eam. Nam relatio prædicamentalis nihil est aliud, quam fundamentum & terminus, & non dantur termini, & fundamenta infinita: ergo nec relationes procedere possent in infinitum.

707 Dubium 2. quæ res possint fundare relationem? Resp. omnes, nempe, & substancialia & accidentia, & quidquid possibile, aut impossibile imaginabile sit; nam nulla est res, quæ non sit alijs, aut similis, aut dissimilis, aut eadem, aut diversa: sed hæc omnia ample-

Etitur relatio: ergo omnes res possunt referri.

708 Dubium 3. an Pater per vnam relationem referri possit ad plures filios? Resp. negative: nam hæc relatio stat in actione, vt in forma; ergo si plures actiones requiruntur ad plures filios, etiam plures formæ relationum: ergo plures relations.

709 Dubium 4. An possit abstrahi ratio relationis ab omnibus relationibus, vt ratio generica? Resp. affirmativa: nam omnes convenient in ratione relationis: ergo ab eis posset abstrahi: Deinde prædicaretur de illis vt de distinctis speciebus: ergo esset genus.

## DISPUTATIO XXVII.

### *De alijs sex prædicamentis, &c de oppositis.*

#### SECTIO I. *De Primis.*

710 **H**IC breviter, vel quasi per transenam agitur de reliquis prædicamentis: nam postea ex professio in physica cum Aristotele acturi sumus de illis.

711 *Actio* solet sic definiti: influxus, quo causa in effectum influit. Solet dividii *actio*, in accidentalem: & est, quæ influit in accidens; & in substantialem, & est, quæ influit in substantiā: & in educitivam & est, quæ ex subiecto effectum depromit, & illi inheret: & in creativam, quæ sine subiecto effectum producit, & absque subiecti inheret durare potest, v. g. *actio* qua Angelus producitur.

712 Etiam datur *actio immanens*, & est, quæ in ipso agente manet, vt visio, & reliqua actiones vitales. *Actio transiens* est, quæ non manet in principio, à quo progreditur, sed transit in aliud, vt productio lucis à Sole, quæ in aere recipitur.

713 *Vbi* sic solet definiti: Correspondentia rei ad locum. Et difficultates hinc resultantes ad physicā remittimus. Nota tamen obiter, quod *vbi* summittur pro *præsentia*, & hæc est in duplice differentia; vna enim est circumscripтивa, & alia diffinitiva: circumscripтивa est illa, per quam totum corpus correspondet toti loco, & qualibet pars corporis correspondet parti loci, vt *præsentia*, quæ naturaliter quilibet corpus habet. Definitiva est illa, quam habet corpus, quando totum corpus correspondet toti loco, & totum cuilibet parti loci, & qualibet pars corporis correspondet

toti loco, & cu ilibet parti loci, vt Christus in hostia consecrata.

714 *situs*. Solet definiri sic: correspondentia rei habentis partes ad locum divisibilem, sine penetratione partium; vt sessio, vel statio, quæ solum convenienti rei habenti diversas partes.

715 Quando. Solet definiri in ordine ad tempus, sicut *vbi* in ordine ad locum, & sic corpus durat, prout correspondet temporis, quæ omnia in item vertentur & resolvantur in Physica.

716 *Habitus*. Hic solum summittitur pro quadam denominazione, qua aliquis dicitur *vestitus*, vel *armatus*, quæ denominatio stat in applicatione vestium ad personam vestitam: quod probatur ex Aristotele afferente habitum mediare inter vestem, & personam, sicut *actio* inter agens, & passum.

## SECTIO II. De Oppositis.

717 Non est quæstio de oppositione propositionum, nec de oppositione lata, id est de distinctione reperta inter duas res distinctas, sed de oppositione physica reperta inter res mutuo se excludentes ab eodem subiecto. In hoc sensu solet definiri oppositio sic: *Repugnantia duorum extremorum simplicium, quæ simul & secundum eandem partem respectu eiusdem, nequeunt esse in eodem individuo.*

718 Dicitur *simplicium* à distinctione oppositionis logicæ, quæ reperitur inter *propositiones*, quæ sunt extrema composita: dicitur *simul* ad denotandum, repugnantiam non stare in successione, sed in coexistentia, sive in simultanea cohabitatione: dicitur *respectu eiusdem*: nam aliter non datur oppositio: vnum enim lignum secundum unam partem frigescit, & secundum aliam calefit: dicitur *in eodem individuo*: nam homo ut sic, potest esse albus in Petro, & niger in Paulo.

719 Dividitur oppositio in relativam, contrariam, contradictorię, & privativam. Relativa est repugnantia duarum relationum inter idem fundamentum & terminum formalem, ut patet in relatione Patris, & Filii, maioris, aut minoris, quæ non possunt reperiri in eodem fundamento respectu eiusdem termini. Additur particula *formalis*, nam in eodem fundamento possunt dari duas relationes oppositæ comparativè ad eundem terminum materiali, sub diversa tamen ratione formalí, v.g. Petrus dicit relationem identitatis ad Paulum, in quantum hominem, & diversitatis

ad eundem Paulum, non in quantum hominem, sed in quantum  
talem hominem.

720 Contraria ab Aristotele sic definiuntur: quæ sub eodem  
genere maximè distant; & ab eodem subiecto mutuo se expellunt,  
nisi alterum insit à natura. *Sub eodem genere* ut frigus & calor, quæ  
sunt sub eodem genere proximo qualitatis. *Maximè distant*; nam  
non dicunt aliam convenientiam præter genericam. *Ab eodem su-*  
*biecto mutuo se expellunt*; in hoc enim denotatur oppositio. *Nisi al-*  
*terum insit à natura*, hoc dicitur, quia sunt aliqua irremobilia à  
subiecto ut nigredo Ethyopis.

721 Aliquæ dantur qualitates, quæ solum opponuntur in gra-  
du intenso, non vero in gradu remissō, ut calor & frigus. Aliæ ta-  
men opponuntur in gradu etiam remissō, ut qualitas odij & amo-  
ris, assensus & dissensus.

722 Oppositio privativa est quæ reperitur inter formam, vel  
quasi formam & inter privationem talis formæ, ut quæ reperitur  
inter Petrum cæcum, & videntem, quia cæcitas est privatio vi-  
sionis in subiecto apto.

723 Oppositio contradictoria est, quæ datur inter formam &  
carentiam formæ, ut quæ reperitur inter lapidem & suam care-  
tiā: seu inter lapidem & videntem, siquidem lapis est carens vi-  
sione.

724 Dubium est. Qualis sit maior oppositio? Resp. esse, priva-  
tivam, & contradictoriā; quia quæ opponuntur, relationis, aut  
contrarietatis oppositione, possunt componi in eadem parte su-  
biecti, saltem divinitus; quæ vero privative, aut contradictoriē op-  
ponuntur, nec divinitus compatiuntur.

### DISPUTATIO XXVIII. De signo.

#### SECTIO I. Quid sit.

725 **H**ucusque cum Aristot. egimus de simplicibus in Disput-  
de Prædicament. Nunc cum eodem progredimur ad  
complexa, scilicet ad actus ipsos per quos conceptus mentis ape-  
rimus; (nam ideo vocantur hæ Disputationes de Interpretatione)  
Quia autem hoc efficimus medijs signis, prius agemus de Signo &  
postea de Syllogismo, qui præcipiuus est inter huiusmodi comple-  
xa: nam de termino, definitione, & reliquis, de quibus hic etiam  
agit Arist. iam Nos sufficienter alibi tractavimus.

Cer.

726 Certum est dari signa; actus enim mentales non possunt manifestari, si non darentur voces, quae sunt eorum signa. Divus Augustinus sic definit signum: quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Sed haec definitio est signi instrumentalis & non omnis, sed solum significantis pro cognoscentibus corporalibus; quia respectu Angelorum dantur signa: sed ista non ingerunt speciem sensibus, quia carent sensibus Angeli: ergo. Deinde: nam cognitione est signum obiecti, & non ingerit speciem sensibus: ergo.

727 Obiedo sic definit signum: quod est institutum, ut nos faciat venire in cognitionem alicuius. Contra: nam sumus non est institutus ad significandum ignem, nec lux ad Solem significandum, & lux & sumus sunt signa: ergo. male ita definitur.

728 Sic definiendum est signum: quod potentiae cognoscitive aliquid representat; nam haec definitio convenit omni signo, & soli: ergo. Ante. probabitur ex solutionibus argumentorum.

729 Obijcies primo: cogito signo, noscitur obiectum talis signi: nam cognita imagine Cæsaris, cognoscitur ipse Cæsar: ergo ut res sit signum, debet prius nosci: ergo hic conceptus erit essentia signi. Resp. distinguo, ut res sit signum debet prius nosci, si sit signum instrumentale, concedo: si sit signum formale nego: nam hoc quod est nosci, solum signo instrumentalis competit, & non formalis, & ut hoc percipiatur.

730 Nota: signum dividi in instrumentale, & formale. Formale est ipsa cognitione obiecti. Instrumentale est res, quae movet ad cognitionem alterius. Dividitur etiam in naturale, & ad placitum. Primum est quod ex sua natura significat rem aliquam, ut sumus ignem: ad placitum est, quod, si significat, est, quia sic voluere maiores, ut ramus vinum.

731 Obijcies 2. contra signum formale: causalitas, aut actio sola late & impropriè est causa, quia est id, medio quo influit causa: ergo cognitione eodem modo erit signum, quia est id medio quo intellectus cognoscit significatum.

732 Resp. concedo antec. & nego conseq. Disparitas est, quia causalitas non est id quod causat, sed id medio quo alter causat: Cognitione vero est id quod representat obiectum potentiae: ergo si hoc requiritur ad esse propriè signum, propriè erit signum.

SECTIO II. *Aliqua dubia.*

733 Primum est, an requiratur realis distinctio inter signum, & rem significatam per signum? Resp. negativè, nam cognitio attingens omnes cognitiones ut sic, est signum omnium cognitionum, quas attingit, & significat sed attingit & significat se ipsam: ergo. Si dicas distinguiri formaliter à se ipsa, prout est cognition, ac prout est obiectum, libenter per mittam; solum enim intendimus, non requiri distinctionem realem.

734 Obijcies primo, vna res nequit esse similis sibi, *imago* sui, vel æqualis sibi ergo nec signum sui ipsius: hæc enim arguunt distinctionem realem. Resp. dari disparitatem, nam essentia signi est solum representare obiectum potentia noscitur, quod in praedita cognitione respectu sui verificatur, siquidem se ipsam representare esse tamen eandem rem sibi æqualem, aut similem, nec apparenter patet, cum evidens sit contrarium.

735 Dices 2. nulla potest dari causa identificata cum suo effectu, vel quæ se ipsam producat: ergo neque signum, quod se ipsum significet. Resp. concedo antec. & nego conseq. Disparitas est, quia causa debet esse prior suo effectu, tanquam independens à dependenti, & cum nulla res se ipsa possit esse prior, nec possit independere à se ipsa, non potest sui ipsius esse causa, bene tame n signum: quia hoc solum dicit representare, & non dicit dare esse; & ex eo quo vna res se ipsam representet, nulla appetet oppositio, seu implicantia, vt constat ex cognitione se cognoscente.

736 Dubium 2. per quid constituantur signum instrumentale in actu secundo, idest per quid constituantur ut actu significans, v. g. *imago Cesaris*, an sit actu signum Cesaris per cognitionem imaginis, vel per cognitionem Cesaris in imagine. Resp. cum pluribus constitui per cognitionem Cesaris in imagine. 1. Nam per id constituitur signum in actu secundo, per quod actualiter significat, si ve dicit in cognitionem rei significat: sed actu significat per cognitionem, qua noscitur significatum in signo: ergo per hanc constituitur significans in actu secundo. Probatur 2. à paritate cause, quæ in actu secundo per actionem constituitur: ergo signum per cognitionem.

737 Dubium 3. per quid in actu primo constituantur signa? Resp. per potentiam, quam habent ut in illis noscantur sua significata. Hinc sit, signum naturale in actu primo constitui per suam en-

titatem; quia per illam solam est potens significare, ut fumus ignem; Ad placitum vero per hominum constituitur voluntatem: & quia ideo tale dicitur; nam ramus vinum significat, eo quod sic homines volueret; aliter enim vinum non significaret.

738 Obijcies 1. voluntas hominis non est in ramo: ergo non est forma signi ad placitum. Confirmatur: voluntas hominis non existit actu: sed ramus actu significat: ergo non est forma signi ad placitum. Resp. distinguo antec. non est voluntas hominis in ramo intrinsecè, concedo: extrinsecè, nego. Ad confirm. resp. non existit actu voluntas, distinguo: non existit actu physicè, concedo: moraliter, nego; ad quod sufficit ut voluerint homines, & non retractaverint. Sic Rex postquam scripsit Reipublicæ aliquod mandatum, dicitur quod illud vult; non physicè, nam tunc potest dormire, & nihil velle, sed moraliter dicitur velle; quia voluit & non retractavit.

739 Obijcies 2. voluntas est naturaliter cōnexa cum obiecto: ergo est signū naturale: distinguo conseq. voluntas instituens, concedo, ramus institutus, nego, quia ramo est contingens.

### DISPUTATIO XXIX. De Syllogismo.

#### SECTIO I. Quid sit.

740 **S**uppono ad syllogismum formalē requiri plures actus intellectus inter se realiter distinctos; nam licet per unum actum intellectus possint attingi plurima obiecta, tamen non attinguntur per illationem unius ab alio. Quamobrem non dicitur syllogismus, nec discursus formalis.

741 Albertus Magnus & alij asserunt syllogismum solum stare in præmissis, ita ut conclusio solum sit effectus syllogismi. Contra, nam licet in præmissis reperiatur conformitas extremitatum cum uno tertio, non reperitur representatio extremitatum inter se: sed ex utroque coalescit essentialiter syllogismus: ergo in utroque stat. Confirmatur ex Aristotele asserente quod syllogismus, est oratio in qua, quibusdam possitis, idest præmissis, aliud ab ijs, que possita sunt, necessario sequitur, idest conclusio: ergo ex Aristotele syllogismus imbibit conclusionem essentialiter.

742 Alij constituunt syllogismum in conclusione. Contra, quia totum nequit consistere in parte: ergo si conclusio est pars, syl-

syllogismus, nequit stare in eo. Confirmatur, nam sola conclusio non est oratio, in qua quibusdam positis, &c. ergo sola conclusio non est syllogismus.

743 Nostra sententia est, includere essentialiter præmissas, & conclusionem. Hanc sententiam probamus sic: nam deficiente una præmissa, aut conclusione, deficit syllogismus: ergo in illis stat syllogismus. Confirmatur, nam syllogismus includit repræsentationem duarum extremitatum cum uno tertio & inter se: sed hoc clauditur in præmissis, & conclusione: ergo in hoc stat syllogismus.

744 Obijcies 1. Aristotelem dicentem, syllogismum constare duabus propositionibus: ergo non conclusione. Resp. quod dixisse duabus, non fuit negare constare tribus: sicut dicere, Deū esse immensum, non est negare esse plusquam immensum.

745 Obijcies 2. licet apprehensiones prærequiriatur ad propositiones, non componuntur ex illis: ergo licet prærequirat præmissas syllogismus, non componetur ex illis. Resp. hinc sequi conclusionem nō componi ex præmissis, quia illas prærequirit, quod libenter concedimus, non vero valet de syllogismo, qui eas non prærequirit, sed eodem instanti quo est, eas requirit, ut simul detur syllogismus.

746 Obijcies 3. eo ipso, quod conclusio connotet præmissas, distinguitur a prima & secunda mentis operatione: ergo syllogismus stat in conclusione connotante præmissas. Resp. conclusio eum ea connotatione non adæquate distingui ab illis, sed debet esse progressio & transitus ex præmissis in conclusionem, & sic non adæquate stat in conclusione.

747 Alterum dubium est, an possit dari syllogismus constans præmissis apprehensivis, aut quæ sint apprehensiones? Resp. affirmativa, licet hæc questio sit de noui inspatet in ijs actibus: omnis homo animal: sed Petrus homo: ergo Petrus animal. Probatur: nam si præmissæ iudicativæ instant intellectam ad conclusionem iudicativam, cur apprehensivæ non instabunt illum ad apprehensionem?

748 Sit conclusio: ex præmissis apprehensivis potest inferri conclusio apprehensiva, & iudicativa. Probatur, nam præmissæ apprehensivæ idem obiectum repræsentat, ac iudicativæ: ergo si iudicativæ movent ad conclusionem iudicativam, etiam apprehensivæ.

749 Sed nota, syllogismum coalescentem ex præmissis apprehensivis non esse tam perfectum, ac constantem iudicativis; nam perfectio syllogismi stat in identitate extremonum cum uno tertio & inter se, quæ identitas melius in syllogismo iudicativo splendet, quam in tantum apprehensivo.

## SECTIO II.

*An conclusio clarè attingat obiectum præmissarum.*

750 Obiectum formale præmissarum est identitas extremonum cum uno tertio, & conclusionis est identitas extremonum inter se. Nunc dubitamus, an conclusio præter suum obiectum formale, quod clarè & expresse attingit, attingat etiam obiectum formale præmissarum?

751 Sit conclusio: licet aliqua conclusio clarè attingat obiectum præmissarum, non requiritur, nec est de ratione omnis conclusionis illud attingere. Probatur, nam ex eo, quod aliquis actus inferatur ex præmissis, & attingat identitatem extremonum inter se, habet omnia prædicata essentialia cōclusionis: ergo nihil aliud requirit. Confirmat. 1. nam conclusioni formalii solum attinet attingere conclusionem obiectivam: sed conclusio obiectiva solum stat, aut solum dicit identitatem extremonum inter se: ergo solum hoc clarè exprimit conclusio formalis.

752 Confirmatur 2. nam præmissæ solum per præcissam attingentiam extremonum cum uno tertio, cū conclusione constituant syllogismum: ergo conclusio per præcissam attingentiam extremonum inter se, cum præmissis constituet syllogismum.

753 Sit 2. conclusio: potest aliqua conclusio formalis attingere obiectum præmissarum. Probatur, nam non implicat quod una cognitio attingat plura obiecta: ergo nec quod conclusio attingat suum obiectum & præmissarum obiectum etiam.

754 Obiecties primo: hæc conclusio: ergo Petrus est animal, nō est eadem, ac hæc propositio: Petrus est animal: quæ non est conclusio, sed propositio nulla: ergo distinguuntur, quoniam propositio, quæ est conclusio, attingit obiectum præmissarum, & quæ non est, non attingit.

755 Resp. distingui: non vero ob distinctam attingentiam, sed quia propositio, quæ est conclusio, pendet & infertur à præmissis,

& alia non. Quod tamen ab eis pendeat, aut inferatur, non est attingere præmissarum obiectum.

756 Obiecties 2. electio necessario debet attingere finem, quia est ratio formalis, & propterea etiam actus filii revelationem, quia etiam est ratio formalis: ergo conclusio etiam debet necessario attingere identitatem extremorum cum uno tertio ut rationem suam formalem.

757 Resp: argumentum valere, si esset hæc ratio formalis conclusionis, sed non est; quia ratio formalis conclusionis, à distinctione præmissarum, solum est attingentia extremorum inter se, qua attacta clare, non indiget alia. Quod si ly: ergo: significet idem ac hinc sequitur, id ad summum probat representationem obscuram obiecti præmissarum, secus claram.

### SECTIO III. *Quomodo præmissæ concurrant ad conclusionem.*

758 Concursus unus est efficiens, qui stat in physico influxu cause efficientis; alius est moralis, qui non per physicam actionem cooperatur, sed per suasiones, aut illuminationes.

759 Datur causa formalis intrinseca, & extrinseca: intrinseca est, quæ per unionem physicam informat materiam, & constituit totum, ut forma leonis: extrinseca est, quæ se habet, ut motivum, aut ut ratio formalis specificans aliquid, quin intrinsece recipiatur in illo, ut lux, quæ se habet ut ratio formalis visionis extrinseca. Non est quæstio de præmissis obiectivis, nam est certum has efficienter posse concurrere ad conclusionem formalem media specie impressa, quam intellectui emittunt.

760 Sit 1. conclusio: Præmissæ formales non concurrunt efficienter ad conclusionem formalem. Probatur, quia una cognitione, non habet virtutem physicæ producendi, aut dandi esse alteri cognitioni: nam non est potentia; ut patet in actu imperante, qui non physicæ producit actum imperatum, sed intellectus, aut alia potentia, sunt quæ producunt eos. Deinde, nam intellectus solus cum specie impressa est sufficiens ad productionem: ergo superflue committitur talis influxus cognitionibus.

761 Sit 2. conclusio: præmissæ solum concurrunt ad conclusionem moraliter, id est illuminando intellectum, proponendo, & approximando obiectum conclusionis. Probatur, nam eo ipso quod præmissæ illuminent intellectum, & per illas noscat identitatem duo-

*Disputatio XXIX.*

rum extremorum cum vero tertio, iam est illuminatus intellectus  
vt noscat identitatem duorum extremorum inter se: ergo præ-  
missæ concurrunt ad conclusionem illuminando ipsum intellectū,  
& approximando obiectum ad eliciendam conclusionem.

762 Obijcies species im pressa efficienter concurrit cum in-  
tellectu ad cognitionem obiecti: ergo etiam præmissæ concurrunt  
efficienter ad cōclusionem, nam & que sunt ambo necessaria. Resp.  
concessio antec. nō gando e onseq. nam species intrat loco obiecti,  
& sicut obiectum, si concurreret, physice concurreret, ita species  
concurrere debet: præmissis tamen iam assignatur alter concur-  
sus, nempe moralis.

763 Sit 3. conclusio: ita conclusio eget præmissis, vt non pos-  
sit sine illis produci. Probatur, nam sunt causæ illuminativæ: ergo  
eget illis. Probat. conseq. nam oculus nequit videre absque luce  
à qua illuminatur: ergo nec intellectus absque præmissis, à quibus  
illuminatur, elicere potest conclusionem.

**SECTIO III.** *An præmissæ necessitent ad conclusionem.*

764 Duplex datur necessitas, una quoad speciem, & alia quoad  
exercitium: necessitas quoad speciem est illa, quæ taliter necesi-  
tat potentiam ad actum unius speciei, vt illam reddat impotente  
ad actum alterius speciei, vt quando proponitur obiectum ut ho-  
num, quin ut malum apparet. Necessitas quoad exercitium est  
virtus, quæ non solum est impotens ad actum contrarium, verum  
etiam est impotens à cessatione seu omissione exercitij actus quæ  
elicit, vt ignis applicatus, aut voluntas beati respectu amoris bea-  
tifici.

765 Sit prima conclusio: intellectus necessitatur à præmissis  
ad educendam conclusionem quoad speciem. Probatur: nam per  
præmissas intellectus iudicat extrema esse idem cum uno tertio:  
ergo necessitatur iudicare in conclusione esse idem inter se, ita ut  
non possit contrarium iudicare. Probatur conseq. nam est princi-  
pium evidens, quæ sunt eadem unitertio, &c. ergo.

766 Confirmatur: nam si concelsis præmissis, posset intellectus negare consequentiam, sequeretur, quod intellectus semel iu-  
dicaret duo contradictoria, nam per præmissas affirmaret esse idem  
cum uno tertio, & per conclusionem affirmaret non esse idem cum  
illo, si negaret esse idem inter se; nam ut non sint idem inter se,  
debent non esse idem cum tertio.

Sic

767 Sit secunda conclusio: concessis præmissis necessitatur intellectus ad conclusionem quoad exercitium. Probatur, nam intellectus est potentia necessaria & possitis præmissis habet omnia requisita: ergo non potest non elicere conclusionem. Confirmatur: nam intellectus non potest non assentiri veritati evidenter approximata: ergo nec conclusioni, quæ est veritas, quæ est per præmissas approximata.

768 Obijcies primo: præter propositionem veritatis fidei, ad assensum intellectus, prærequendus est actus piaæ affectionis: ergo etiam præter propositionem præmissarum, requirit intellectus alium actum, ut necessario assentiat. Respondetur disparitatem esse, quia veritas fidei, cum sit obscura, non convincit intellectum, & sic requiritur imperium voluntatis ad illum captivandum: at veritas conclusionis, possitis præmissis, cum evidens appareat, convincit intellectum; & sic, velit, nolit, debet ei assentiri, si non cessat à contemplatione præmissarum, divertente illum voluntate.

769 Obijcies secundo: voluntas beati non necessitatur ad amanda obiecta creata: ergo nec intellectus ad cōclusionem. Resp. concessio antec. negando conseq. nam voluntas est potentia libera & sic à bono creato leviter movente, nequit rapi ad eius amore: intellectus tamen est potentia necessaria, quando veritatem præmissarum concessit, ad conclusionem, & sic nulla est paritas.

770 Dices tertio, possitis præmissis: omne animal est substantia: sed omnis homo est animal: adhuc potest intellectus conclusionem directā, vel indirectā elicere: ergo non necessitatur quoad exercitium. Resp. necessitari quoad exercitium, & non posse non educere conclusionē, sive directa sive indirecta hæc sit; vel sit hæc, vel illa; & cum tunc intellectus educeret conclusionem, necessitatus fuit quoad exercitium. Adde, intellectum ad directam necessitari, sed divertitur à voluntate ad indirectam; quia quando diximus necessitari ad exercitium à præmissis, intelligitur sibi relictus.

## SECTIO V.

*An conclusio sequatur debiliorem partem.*

771 Debilior pars est, quæ est de genere minus perfecto, ut pars naturalis, respectu supernaturalis: pars negativa, respectu affirmativa: pars certa, respectu incertæ; & probabilis pars, respectu

evidentis, particularis respectu universalis, & alia similes.

772 Sit conclusio: ex una præmissa affirmativa, & alia negativa, conclusio debet esse negativa, si præmissa negativa constat subiecto, & predicato simplici, & sic sequitur in hoc debiliorem partem. Probatur, nam extrema coniungenda sunt inter se in conclusione, sicuti fuerunt coniuncta in uno tertio in præmissis: sed quando una ex præmissis est negativa, non coniunguntur extrema cum uno tertio in præmissis, sed una extremitas coniungitur, & altera disiungitur: ergo nec debent coniungi inter se in conclusione, immo debent disiungi per negationem.

773 Dixi si constabat subiecto & predicato simplici; nam si est cōpositū, potest oriiri conclusio affirmativa: ut in hoc: omne quod nō potest existere à parte rei est ens rationis: sed alter Deus nō potest existere à parte rei: ergo est ens rationis: ergo aliquando potest sequi conclusio affirmativa ex una præmissa negativa.

774 Sit secunda conclusio: in syllogismo in quo una præmissa est falsa, & alia vera, conclusio sequitur debiliorem partem, & sic est falsa. Probatur, nam in conclusione semper coniunguntur extrema inter se, quia fuerunt coniuncta in præmissis cum uno tertio: ergo quando verè non coniunguntur duo extrema cum uno tertio in præmissis, sed falso, nec coniunguntur inter se verè.

775 Dices: contrarium videri in hoc syllogismo. omnis homo est animal: sed omnis leo est homo: ergo omnis leo est animal. Resp. quod si iste syllogismus est in forma syllogistica, extrellum maioris, nempe animal, quod est idem cum homine, debet identificari cum leone in consequentia; cum autem sit falsum, quod animal leonis identificetur cum homine, etiam supradicta conclusio erit falsa; & licet intellectus dicat in conclusione, quod omnis leo est animal, fallitur in hoc, quia talem conclusionem elicit ex eo, quod dixerit in præmissis, omnem hominem esse leonem, quod semper est falsum.

776 Deinde, quia vel animal, quod predicatur de leone, est idem cum eo, quod predicatum est de homine, & sic conclusio est falsa; vel diversum, & sic constabit talis discursus quatuor terminis, & perfectus non erit, de quo non est controversia.

777 Sit tertia conclusio: ex una præmissa probabili, & altera certa, conclusio debet esse probabilis. Probatur: nam sicut coniunguntur cum uno tertio extrema in præmissis, coniunguntur in conclusione inter se: sed non certe in præmissis coniunguntur: ergo

go non certe in conclusione, sed probabiliter. Dubium est: an quā do dantur due p̄missæ vna superna & de fide, altera naturalis & evidens, conclusio sit naturalis, aut supernaturalis?

778 Aliqui respondent, conclusionem non posse esse naturam, quod sic probant, nam conclusio specificatur ab obiecto p̄missarum: ergo si vna p̄missa est supernaturalis, etiam conclusio. Probatur conseq. nam vt actus sit supernaturalis, sufficit ut aliquid sit supernaturale se tenens ex parte obiecti: ergo. Confirmatur i. nam talis conclusio est certa circa obiectum supernaturale: ergo est supernaturalis: implicat enim cognitio certa naturalis obiecti supernaturalis. Confirmatur secundo in hoc syllogismo: omnis homo est visibilis: sed Christus est homo: ergo Christus est visibilis; vbi maior propositio lumine nature est certa, minor de fide: ergo conclusio orietur supernaturalis. Probabilis est hec sententia, & sic poteris, si vis, eam defendere.

779 Sed dici aliter potest, eas conclusiones esse supernas à principio superno, dato à Deo ad exigentiam p̄missæ supernæ. Conclusio autem sequitur debiliorem partem, attentis se tenentibus ex parte obiecti.

780 Sit quarta conclusio: ex duabus p̄missis quarum vna sit universalis, alia particularis, vna affirmativa, alia negativa, aliquando sequitur particularis, & aliquando universalis: vt patet in hoc syllogismo: nullū animal est lapis: sed Petrus est animal: ergo Petrus non est lapis, vbi sequitur conclusio particularis: in hoc tamen syllogismo sequitur cōclusio universalis: nullus leo est quidam homo: sed quidam homo est rationalis: ergo nullus leo est rationalis. Sed hunc syllogismum nō concludere ex vi formæ, fortè aliquis respondebit, quia iste nō concludit in eadem formâ: Nullus leo est Petrus, sed Petrus est animal: ergo nullus leo est animal.

780 Obijcties hunc syllogismum: omnis distinctio à parte rei est absolute realis. Sed inter Paternitatem & essentiam datur distinctio à parte rei per Scotistas: ergo & distinctio absolute realis. Arguo sic. Hęc conclusio est heretica: ergo si conclusio sequitur debiliorem partem, vna ex p̄missis est heretica. Non maior, quia est sententia divi Thomę: ergo vel minor est heretica, vel conclusio non sequitur debiliorem partem. Respondetur conclusionem esse hereticam non à minori, quę sit heretica, sed à similitate minoris cum maiori.

ET SECTIO I. *De Demonstratione*

781 Aristoteles ait, Demonstrationem esse syllogismum faciem rem nos scire. Dividitur demonstratio in à priori & à posteriori: demonstratio à priori est, qua demonstratur effectus per causam, v.g. quando Sol lucet dies est; nunc sol lucet ergo dies est; ubi dies, qui est effectus solis, probatur per solis existentiam, qui est causa.

782 Demonstratio à posteriori sit quando causa per effectus probatur, vt, quādo dies est, sol lucet; sed nunc dies est: ergo nunc sol lucet; ubi probatur solem lucere, per esse diem, cùm sol sit causa, & dies effectus.

783 Dubium nunc est; an præmissæ demonstrationis sint veriores, certiores, aut clariores conclusione. Resp. non esse veriores, nam veritas stat in indivisibili: Nec enim datur magis, vel minus veritatis. Confirmatur: nam vel actus, qui est verus, representat obiectum omnino ut est, vel non? Si primum, est tam verus, ac quilibet alter: si secundum, iam non est omnino verus, sed falsus, quia malum ex quoconque defectu: ergo.

784 Dices t. ergo hic actus: Deus est omnipotens: non erit verior hoc, scilicet: Petrus currit. Nego consequentiam, nam cum veritas consistat in conformitate, non ut cuncte, sed omnimoda cū obiecto, & supra omnimodam non detur maior, ideo non datur veritas alia major: at verò cum falsitas stet in deformitate, non omnimoda, sed quacumque, & detur una deformitas maior alia, inde est quod datur una falsitas maior alia, v. g. quinque sunt cunctum est maior falsitas, quam quinque sunt decem.

785 Dices secundo ex Aristotele: propter quod unum quodque est tale, & illud magis: ergo si conclusio est vera propter præmissas, præmissæ erunt magis vere. Resp. negando conseq. nam conclusio solum est vera, prout conformatur omnino cum suo obiecto, quod non habet à præmissis, & sic non est vera propter præmissas.

786 Sit secunda conclusio: ambe præmissæ non sunt certiores conclusione. Probatur: nam conclusio assentitur suo obiecto propter intrinsecam sui veritatem, sicut præmissæ: ergo conclusio est certa, ac sunt præmissæ. Deinde, nam licet conclusio attingat obie-

Etum propter præmissas, istæ non tollunt immediationem, quia sunt ratio formalis; & licet mediately attingeret cognitio evidens, tam evidens est respectu obiecti mediati, ac respectu immediati.

787 Dices: præmissæ non pendent à conclusione, sed imò è contra: ergo certitudo conclusionis non erit tanta, ac præmissarum. Resp. quod dependentia, aut independentia non tollit, quod conclusio nitatur principijs æque infallibilibus, ac præmissæ; & cù in hoc stet certitudo, hoc non tollet quod sit æque certa conclusio, ac præmissæ.

## SECTIO II. & Vlt. *Aliqua Dubia.*

788 Dubium 1. est an præmissæ demonstrationis debeant esse per se netæ? Propositio per se nota est illa, quæ per se ipsam potest intelligi penetratis terminis, quin probetur per discursum.

789 Resp. negativè, & probatur in hac demonstratione: omnis homo est rationalis: sed omne rationale est risibile: ergo omnis homo est risibilis. Vbi minor propositio debet per aliam explicari, vel demonstrari, nempe per admirativum.

790 Dubitabis 2. an præmissæ demonstrationis requirant esse necessaria? Resp. affirmativè. Probatur, nam rigorosa demonstratio habet infallibilem, & omnimodam cōexionem cum obiecto: ergo requiritur ut sint necessaria.

791 Nunc restat dubium, quid sit scientia, opinio, & fides &c. sed de ijs in libris de anima fusse erit agendum: interim vide nostrum Arana in Præambulis ad Summulā Moralē nu. 19. vbi clare pro Tironibus eas explicat.

792 Explicata iam ratione scientiæ, quæ est idem, ac demonstratio; nunc dico, suspicionem esse, cum intellectus ex levibus, & insufficientibus indicijs incipit dubitare, & inclinare: in quo differt ab opinione, quæ assentitur, & sufficiéntibus nictur principijs

793 Fides est assensus alicuius rei propter authoritatem dicentis, quæ dividitur in Angelicam, Divinam, & humanam. Angeli. ca est, quando dicens est Angelus. Divina, quando dicens est Deus. Humana, quando dicens est homo, cui assentitur: vt quando assentimur esse Roman, propter authoritatem tantorum hominum, ita dicentium.

794 Hæ sunt præcipuae quæstiones, quæ metaphysicè in Me-

taphysica solent agitari. Et si huius sciētiꝝ ratio formalis sub qua est simplex cognoscibilitas, vtinam omnium nostrorum laborum sit etiam motivum illa immensa cognoscibilitas essentiꝝ divinꝝ, in cuius consecutionem hæc omnia dicimus, & dicamus, imperdimus, & perpendimus, incepimus, & finimus.

F I N I S.

# INDEX.

## DISPV TATIONVM SVMVLAR. LOGICÆ, ET METAPHYSICÆ.

<b>D</b> ISPVTATIO I. <i>De Termino.</i>	Pag. 1.
Sectio I. <i>Aliqua notantur.</i>	pag. 1.
Sectio II. <i>Variæ definitiones Termini.</i>	pag. 2.
Sectio III. <i>Aliqua divisiones termini declarantur.</i>	pag. 3.
<b>DIPVTATIO II. <i>De proprietatibus termini Logici.</i></b>	
Et Sectio I. <i>De suppositione.</i>	pag. 5.
Sectio II. <i>Quid sit suppositio, &amp; quotuplex.</i>	pag. 5.
Sectio III. <i>De Ascensu, &amp; Descensu.</i>	pag. 6.
Sect. III. <i>De alijs proprietatibus termini Logici.</i>	pag. 7.
<b>DSIPVTATIO III. Et Sect. I. <i>De Nomine.</i></b>	
Sectio II. <i>De Verbo.</i>	pag. 8.
Sectio III. <i>De oratione Logica.</i>	pag. 9.
<b>DISPV TATIO IIII. Et Sectio I. <i>De Modo scien-</i></b>	
<i>di, &amp; de eius Speciebus.</i>	pag. 9.
Sectio II. <i>De definitione.</i>	pag. 11.
Sectio III. <i>Quotuplex sit definitio.</i>	pag. 11.
Sectio IIII. <i>De regulis Bonæ definitionis.</i>	pag. 12.
<b>DIPVTATIO V. Et Sect. I. <i>De Divisione.</i></b>	
Sect. II. <i>An divisio distinguatur à definitione.</i>	pag. 13.
<b>DISP. VI. Et Sectio I. <i>De propositione.</i></b>	
Sectio II. <i>Quotuplex sit proposicio.</i>	pag. 14.
Sect. III. <i>De oppositione propositionum absolutarum.</i>	pag. 15.
Sect. 4. <i>An istae propositiones sint propriè oppositæ?</i>	pag. 16.
Sect. 5. <i>De æquipotentia propositionū absolutarum.</i>	pa. 17.
Sect. 6. <i>De conversione propositionum absolutarum.</i>	pa. 18.
Sect. 7. <i>De oppositione propositionum modalium.</i>	pa. 19.
Sect. 8. <i>De argumentatione.</i>	pag. 19.
	Sect.

# I N D E X.

Sect. 9. De figura, & modo.	pag. 20.
Sect. Vltim. Aliquæ voces pro distinguendis propositionibus explicantur.	pag. 20.
DISP. VII. Et Sect. I. De obiecto.	pag. 25.
Sect. II. De conceptibus obiectivis.	pag. 26.
Sect. 3. Argumenta solvuntur.	pag. 27.
Sect. 4. Quomodo conceptus formales sint obiectum Logice.	pag. 27.
Sect. 5. An voces sint obiectum Logice.	pag. 28.
Sect. 6. An detur obiectum Attributionis.	pag. 30.
DISP. II. De obiecto formalis Logice. Et Sect. I. Variæ sententiae.	pag. 31.
Sect. 2. Nostra sententia proponitur.	pag. 33.
Disput. III. Quid sit Logica. Et Sect. I. Definitiones Logice proponuntur.	pag. 34.
Sect. 2. Proponuntur divisiones Logice.	pag. 34.
Sect. 3. Dividitur Logica in Divinam, Angelicam, & Humanam.	pag. 36.
Sect. 4. Ad argumenta contraria respondeatur.	pag. 37.
DISP. IV. Qualis sit Logica. Et Sect. I. An sit virtus mentis?	pag. 38.
Sect. 2. An detur praxis in intellectu.	pag. 39.
Sect. 3. An idem actus possit esse simul practicus & speculativus?	pag. 40.
Sect. 4. Respondeatur argumentis.	pag. 41.
Sect. 5. An logica sit practica, vel speculativa.	pag. 41.
Sect. 6. An logica sit simplex qualitas.	pag. 43.
Sect. 7. De necessitate logicæ.	pag. 44.
Sect. 8. Quomodo concurrat logica ad actus aliarum scientiarum.	pag. 45.
Disp. V. De ente rationis. Sect. I. An detur.	pag. 46.
Sect. 2. Quid sit ens rationis	pag. 47.
Sect. 3. De existentia entis rationis,, & de praedicationis quibus potest constare.	pag. 48.
	Sect.

# I N D E X.

- Sect. 4. Per quos actus efformetur ens rationis. pag. 49.  
Sect. 5. Quæ potentiae efforment ens rationis. pag. 49.  
Sect. 6. Quotuplex sit ens rationis. pag. 51.  
Sect. 7. Notabilia pro dictis. pag. 52.  
Disp. VI. De universalis. Et Sect. 1. Quid &  
quotuplex sit. pag. 54.  
Sect. 2. De unitate à parte rei. pag. 55.  
Sect. 3. Aliquæ sententiæ circa unitatem à parte  
rei. pag. 56.  
Sect. 4. De distinctione Scotica, & unitate negativa  
reali. pag. 57.  
Sect. 5. Proponuntur aliæ rationes in favorem præ-  
dictæ sententiæ. pag. 59.  
Sect. 6. De distinctione graduum superiorum, & in-  
feriorum. pag. 60.  
Sect. 7. De distinctione virtuali. pag. 61.  
Sect. 8. An datur distinctio obiectiva. pag. 61.  
Sect. 9. De distinctione ex natura rei. pag. 63.  
Disp. VII. De Universo. Et Sect. 1. Quæ sit  
forma, & materia universi. pag. 64.  
Sect. 2. Per quas potentias fiat universale. pag. 65.  
Sect. 3. An per prædicationem destruatur uni-  
versale. pag. 66.  
Sect. 4. De potentia Naturæ ad effendum in mul-  
tis. pag. 68.  
Disp. VIII. De Genere primo prædicabili. pag. 70.  
Sect. 1. Quid sit genus. pag. 70.  
Sect. 2. Aliqua dubia declarantur. pag. 71.  
Sect. 3. De quibus prædicetur genus. pag. 74.  
Sect. 4. An requirat plures species. pag. 75.  
Disp. IX. De Specie. Et Sect. 1. De utraque  
specie. pag. 76.  
Sect. 2. Vtrum natura immultiplicabilis sit uni-  
versalis. pag. 78.  
Disp.

# I N D E X.

Disp. X. De individuo.	Et Sect. 1. De eo	
primo, & secundo intentionaliter sumpto.		pag. 80.
Sect. 2. De individuo vago.		pag. 81.
Sect. 3. An possit abstrahi ratio communis univoca individui.		pag. 82.
Disp. XI. De differentia.	Et Sect. 1. <u>Quid</u> sit.	pag. 83.
Sect. 2. Aliqua dubia.		pag. 84.
Sect. 3. Quid sit differentia, & alia dubia?		pag. 86.
Disp. XII. De Proprio.		pag. 86.
Disp. XIII. De Accidenti.		pag. 87.
Disp. XIV. De his quae sunt communia quinque Prae- dicabilibus.	Et Sect. 1. De Numero eorum.	pag. 88.
Sect. 2. An universum sit genus ad praedicabilia.		pag. 89.
Disp. XV. De Prædicationibus.		pag. 91.
Disp. XVI. Et Sect. 1. De univocis, & equivocis, & Analogis.		pag. 93.
Sect. 2. De univocis.		pag. 95.
Disp. XVII. Et Sect. 1. De Analogis.		95.
Disp. XVIII. De Ente.	Sect. 1. An transcendat differentias.	pag. 98.
Sect. 2. An ens sit genus ad substantiam, & accidentem, ad Deum & creaturas.		pag. 99.
Disp. XIX. Et Sect. 1. De Attributis entis.		pag. 101.
Sect. 2. Explicatur attributum unum.		pag. 102.
Sect. 3. Argumentis respondetur.		pag. 103.
Sect. 4. Aliqua dubia circa Vnum.		pag. 104.
Sect. 5. De unitate individuationis.		pag. 105.
Sect. 6. De Attributo vero.		pag. 106.
Sect. 7. De bono transcendentali.		pag. 107.
Sect. 8. De numero proprietatum entis.		pag. 108.
Disp. XX. Et Sect. 1. De possibilitate entis.		pag. 109.
Sect. 2. De possibilitate physica.		pag. 111.
Sect. 3. De essentia, & existentia.		pag. 112.
	Sect.	

# INDEX.

Sect. 4. Ad argumenta respondetur.	pag. 114.
Disp. XXI. Et Sect. 1. De Prædicamentis ut sic.	pag. 115.
Sect. 2. Quæ entia collocentur in prædicamento, & quomodo.	pag. 116.
Sect. 3. An partes substantiae collocentur in prædica- mento.	pag. 118.
Disp. XXII. De Substantia. Et Sect. 1. Quid sit.	pag. 119.
Sect. 2. De subsistentia.	pag. 121.
Sect. 3. An subsistentia sit in negativo.	pag. 122.
Sect. 4. Quid sit subsistentia.	pag. 123.
Sect. 5. An subsistentia sit actio productiva sub- stantiae.	pag. 123.
Sect. 6. Aliqua dubia.	pag. 125.
Sect. 7. Alia dubia.	pag. 126.
Disp. XXIII. De accidenti Physico. Sect. 1. Quid sit.	pag. 127.
Sect. 2. Dubia solvuntur.	pag. 128.
Disp. XXIV. De quantitate. Sect. 1. Quid sit.	pag. 129.
Sect. 2. An quantitas distinguitur à substantia.	pag. 130.
Sect. 3. Idem assumptū & difficultas prosequitur.	pag. 131.
Sect. 2. De speciebus quantitatis.	pag. 133.
Disp. XXV. De Qualitate. Sect. 1. Quid sit.	pag. 134.
Sect. 2. Nostra sententia.	pag. 135.
Sect. 3. De speciebus qualitatis.	pag. 136.
Disp. XXVI. De Relatione. Sect. 1.	pag. 137.
Sect. 2. In quo sit relatio prædicamentalis.	pag. 138.
Sect. 3. Nostra sententia.	pag. 139.
Sect. 4. Ad Argumenta respondetur.	pag. 141.
Sect. 5. Aliqua dubia.	pag. 142.
Disp. XXVII. De alijs sex prædicamentis, & op- positis. Et Sect. 1. De primis.	pag. 143.
Sect. 2. De oppositis.	pag. 144.
Disp. XXVIII. De signo. Et Sect. 1. Quid sit.	pag. 145.
	Sect.

## I N D E X.

- Sect. 2. *Aliqua dubia.* pag. 147.  
Disp. XXIX. *De syllogismo. Et Sect. 1. Quid sit.* pag. 148.  
Sect. 2. *An conclusio clare attingat obiectum præmissarum.* pag. 150.  
Sect. 3. *Quomodo præmissæ concurrant ad conclusionem.* pag. 151.  
Sect. 4. *An præmissæ necessitent ad conclusionem.* pag. 152.  
Sect. 5. *An conclusio sequatur debiliorē partē.* pag. 153.  
Disp. XXX. *Et Sect. 1. De demonstratione.* pag. 156.  
Sect. 2. & vlt. *Aliqua dubia.* pag. 157.

FINIS.

INDEX  
LOGICVS RERVM,  
ET VERBORVM.

*Numerus indicat Marginalem.*

**A**ccidens prædicabile quid? 432. 433. Eius divisio, 433. Res-  
pectu inferiorum non prædicatur ut accidens, 434.

Accidens physicum quid? à n. 625. Entitatum nequit identifi-  
cari cum sua inhærentia, 630. Quod creatum est potest na-  
turaliter existere absque subiecto, 632.

Actus idem an possit esse practicus, &c. speculativus? 204. Vide  
*Logica.*

Equipoentia quid? 38. Vide *Propositio.*

Analogia quid? 474. Non dantur analogia attributionis, 476. Nec  
proportionalitatis, 479. An transcendentia? à n. 481.

Argumentatio alia formalis, alia materialis, 97. Modus, & figu-  
ra syllogismi formalis, 100. Vide *Syllogismus.*

Ascensus, & descensus quid? 22. Quadruplex coru m. differentia,  
à n. 23.

Attributa entis. Vide *Ens.*

Conceptus obiectivi an sint obiectum materiale proximum lo-  
gicæ? à n. 134. An & quinam ex conce p tibus formalibus? 141.  
Vide *Logica.*

Concretum aliud substantivum, aliud adiectivum, 450. Quid di-  
cant in recto? 451. Quomodo vnum de alio præ dicetur? 452.

Conversio propositionum, à n. 90.

Definitio quid? à n. 50. Quotuplex? à n. 53. Proprietatæ, & ac-  
cidentales non sunt propriæ definitiones, 54.

Demonstratio alia à priori, 781. Alia à posteriori, 782. An eius  
præmissæ sint certiores, & clariores conclusione? 783. An de-  
beant esse per se notæ? 788.

Differentia quid? 409. 425. Quotuplex? 411. Componi potest ex  
duplici aliunde totali, 417. An sit perfectior genere? 424. An  
suscipiat magis, & minus? 422. Ut subiicibilis non est univer-  
salis, 426.

Di-

## RERVM, ET VERBOR.

Distinctio quid? 293. Quotplex, à n. 294. Virtualis maxima non datur in creatis, 301. Nec ex natura rei inter formalitates, à n. 308. Formalis obiectiva an detur inter gradus superiores, & inferiores? à n. 302.

Divisio est modus sciendi logicus totum in suas partes distribuens, 59. Alia est physica, alia metaphysica, alia integralis, alia essentialis, 60. Bona divisionis regulæ, 61. An distinguatur à definitione? 62.

Ens rationis an detur? à n. 232. Quid sit? 239. In quo se su possit constare existentia realis? 241. 261. An & extremis re aliibus? 243. Per quos actus efformetur? à n. 245. Nec Deus, nec potentia materialis efformant ens rationis, 249. 252. Ens rationis cum fundamento quid? 256. Quotplex? 257.

Ens reale quid? 486. Transcendit formaliter differentias, 487. Non est genus ad substantiam, & accidens, nec ad Deum, & creaturas, 493. Attributa, & proprietates entis, à n. 500. Vnū non stat formaliter in carentia, 506. Vide *Vnum*. Verum trascendentale in quo sit? 524. In quo bonum trascendentale? 529. Numerus proprietatum entis, à n. 533.

Entis possilitas ut sic stat in capacitate ad existendum sine contradictione, 543. Contracta ad creaturas stat in capacitate ad existendum dependenter ab alio, 546. Entis possilitas physica, à n. 549.

Essentia, & existentia, à n. 556. An realiter distinguantur? 557. An existentia sit idem cum actione productiva? à n. 558.

Genus est universum ut pars materialis essentiae communis, 343. Definitum huius definitionis, 346. Quomodo prædicetur? à n. 348. De quibus? à n. 361. An requirat plures species? 367.

Gradus superiores, & inferiores quomodo distinguantur. Vide *Distinctio*.

Individualium primò, & secundò intentionaliter sumptum, 396.

Aliud vagum, aliud determinatum. Ibidem. An vagum possit efformare voluntas? 400. Ut tale non est universale. Ibidem. Versu *Difficultas*. An ab omnibus individualiis possit abstrahi ratio univoca individualis? à n. 402.

Logica quid? 172. Eius divisiones, 175. Sufficit logica naturalis ad dirigendos actus logicos supernos, 177. An logica, Divina, Angelica, & Humana, specie differant? 182. An sit virtus mentis, 190. An sapientia, &c. à n. 192. An sit practica, vel speculativa? 209. An sit simplex qualitas? 216. Eius necessitas,

# INDEX LOGICVS.

221. Quomodo ad actus aliarum scientiarum concurredit? 228.  
Eius obiectum materiale, à n. 128. Formale, à n. 160. Attributio-  
nis, à n. 152.  
Modus sciendi quid sit? à nu. 44. An detur in Deo? 47.  
Modus, & figura syllogistica, 100.  
Nomen, Verbum, & oratio logica quidam n. 32.  
Obiectum materiale, & formale logicæ. Vide Logica.  
Oppositio propositionum absolutarum, à n. 86. Sub contraria  
an sint verè oppositæ? 85. Quid de reliquis? à n. 80.  
Propositionum modalium oppositio, 95.  
Oppositio physica quid? 717. Quotuplex, 719.  
Oratio logica quid? à n. 40. Alia est perfecta, alia imperfecta, 43.  
Prædicabilia plura quam quinque, 439. Universum genus est ad  
illa, 442.  
Prædicatio concretorum, & abstractorum, à n. 440.  
Prædicamentum est: Aggregatum ex genere supremo, eiusque  
inferioribus recte ordinatis, 569. Quot debeant assignari? à  
nu. 570. Quæ entia in Prædicamento collocentur? 574. An &  
partes substantiæ, & quænam? 581.  
Praxis quid, & an detur in intellectu? 199. An idem actus possit  
esse simul practicus, & speculativus? 204.  
Propositio quid? 65. Quotuplex? 69. Earum oppositio, 76. & qui-  
polentia, 88. Conversio 90.  
Proprium quid, & quotuplex? à n. 428. Respectu quorum sit uni  
versum? 431.  
Qualitas quid? à n. 662. An omnes exigat intensionem? à n. 666.  
Species qualitatis, 674.  
Quantitatis definitio à num. 635. An distinguatur à substantiæ  
640. Eius species, à n. 655.  
Relatio quid? 679. Quotuplex? à n. 680. Prædicamentalis nō stat  
in modo superaddito, 683. Nec in solo fundamento conso-  
tante terminum in obliquo, à n. 687.  
Quæ fundatur in unitate, & diversitate, stat in fundamento, &  
termino simul, 693. Quæ fundatur in actione, & passione, stat  
in ratione fundandi, 694. Quæ fundatur in mensura, & mensu-  
rabilis stat formaliter in actu mensurante, 695. Solvuntur op-  
posita, à nu. 696. An relatio possit fundari in alia relatione,  
706. Quæ possint fundare relationem, 707.  
Scientia, opinio, & fides, 791. remissivæ.  
Signum est, quod potentia cognoscitiva aliquid repræsentat,

# INDEX LOGICVS.

728. Non est necesse quod realiter distinguitur à re significa-  
ta, 733. Per quid constituatur in actu primò? 737. Per quid in  
actu 2. ? 736.
- Species quid? à n. 374. Ut subiectibilis non est formaliter univer-  
salis, 376. Non omnis species prædicabilis, est subiectibilis,  
383. Non potest conservari in unico individuo, 387.
- Substantia est ens per se, sive ens potens subsistere, 586. Quenā  
illius partes collocentur in prædicamento? à n. 581.
- Subsistens est complementum substantię, 592. 602. Distingui-  
tur Angelica ab eius natura, 601. An sit in negativo? 596.  
An in actione productiva substantię? 604.
- Non repugnat substantia absque propria, & aliena subsi-  
stentia, 613. Una substantia naturaliter potest habere duas  
subsistentias, 615. Possibilis est substantia creata identificata  
cum propria subsistētia, 620. Huiusmodi substantia non pos-  
set subsistere per subsistentiam distinctam, 622. An una sub-  
stantia possit subsistere per subsistentiam alterius? 623. An in  
vnica natura rationali, quæ per duplēm subsistentiam sub-  
sisteret, daretur duplex Persona? 624.
- Sappositiō quid, & quotuplex? à n. 20.
- Syllogismus non stat in solis præmissis, 741. nec in sola conclu-  
sione, 742. Sed in vtrisque, 743. Au possit dari syllogismus  
constans præmissis apprehensivi? à n. 747. An conclusio clare  
attingat obiectum præmissarum? à n. 750. Quinodo præmis-  
sa concurrant ad conclusionem? à n. 758. An necessitent ad  
conclusionem? à num. 764. An conclusio sequatur debiliorem  
partem? à n. 771.
- Termini variae definitiones reiectæ, à nu. 6. Est pars per se Ora-  
tionis Logicæ, 10. Illius divisiones, à n. 12.
- Voces aliquæ, seu termini explicati pro distinguendis proposi-  
tionibus, à n. 105.
- Universale quid, & quotuplex, à nu. 265. Eius vnitas, à nu. 272.  
Eius forma, & materia, à n. 314. Actus illud efformans termi-  
natur ad omnem collectionem individuorum, 315. Per quas  
potentias fiat universale? à n. 320. An destruatur per prædica-  
tionem? 326. Potentia naturæ ad effendum in multis, 332. Uni-  
versum an sit genus ad prædicabilię? 442.
- Vnum verum, & bonum. Vide Ens.

FINIS.

DIS-

# DISPV TATIONES IN 8. LIBROS PHYSICORVM.

## DISPV TATIO I.

### DE OBIECTO PHILOSOPHIAE.



1. Cōclusio: Obiectum materiale Physicæ, est ens naturale cum omnibus suis causis, affectionibus, & proprietatibus. Probatur: Nam de hoc agit: ergo est obiectum materiale. Probatur: Nam agit de materia, & forma quæ sunt ens naturale, & de loco, motu, & de accidenti, &c. quæ sunt affectiones, &c. ergo.
2. Sit 2.conclusio: Obiectum formale Physicæ, est ipsa naturalitas entis naturalis. Probatur: Nam obiectum formale est illud, propter quod scientia distinguitur ab alijs scientijs, & propter quod agit de obiecto materiali. Hoc habet naturalitas ut talis: ergo, &c.
3. Sit 3.conclusio: Physica secundum unam partem est scientia, & secundum aliam opinio. 1.pars probatur in cognitionibus certis, veris, & evidentibus, quas continet. v.g. causa dat esse effectui, totum consurgit ex partibus, &c. 2.pars in cognitionibus, & conclusionibus prouabilibus, quas habet. v.g. materia prima non est pura potentia, vno realiiter ab extremis distinguitur, &c.
4. Sit 4.conclusio: Physica non est una simplex qualitas. Probatur: nam cognitiones de materia, de forma, &c. sunt specie distinctæ: sed ex omnes sunt Physica: ergo non est simplex qualitas.
5. Sit 5.conclusio: Physica distinguitur ab alijs scientijs. Probarunt: Nā licet Medicina attingat idem obiectum materiale, nāmpè corpus, non tamen sub eodem obiecto formati, sed sub distinctis, hæc enim ut sanabile, illa ut naturale.
6. Obijctus: Physica agit de sanabilitate corporis, nā agit de omni affectione illius, & hæc est affectio ergo idem sunt. Resp. quod Physica agit de sanabilitate, ut est præcisè affectio naturalis, non vero de illa, prout conservatur, medijs aliquibus causis externis, vel ut recuperatur salus medijs, medicamentis, nam hoc ad medicinam attinet, & sic naturalitas sanitatis, ut affectio erit Physicæ, ut conservabilis remedij erit Medicinæ.
7. Sit 6.conclusio: Physica partim est practica, & partim speculativa;

Primum ut dictat modum quo formatur nix, tonitrua, &c. Secundum prout contemplatur effectus ortos à causis, & factum esse totius, &c.

## DISPVTATIO II.

*De Principijs entis naturalis.*SECTIO I. *Aliqua notantur.*

**N**ota 1. Apud Divum Thomam nihil aliud esse principium, ac id **2** quo aliquid procedit: apud Aristotelem, id vnde aliquid, aut est,

aut fit, aut noscitur, vbi particula *noscitur* significat cognitionem à priori, nam non erit principium rei, quæ à posteriori noscitur per alias, vt ignis noscitur per calorem, & non est calor principium ignis, nam noscitur à posteriori, bene verò quando effectus noscitur per causam.

**9** Nota 2. Omni principio conuenire esse primum: & etiam principiū esse vniuersalius quam causa; nam Patrem æternum esse causam verbī, est falsum, & est verum, esse principium: ergo, &c. Et ratio est, nam causa requirit influere defectibiliter, & non principium. Et apud Gregorios est causa verbī, nam isti non dicunt hoc requiri ad rationem causæ.

**10** Nota 3. Principium etiam sumi pro primo alicuius rei, vt Adamus est principium hominum, & primum punctum est Principium linea. Elementum etiam idem est, ac causa intrinsecè composita, vt materia, &c.

**11** Nota 4. Principium distingui ab initio, causa, & elemento tanquam gradum superiorem ab inferiori; nam Patri æterno conuenit esse principium, & non reliqua: ergo, &c.

**12** Aristoteles sic definit principia entis naturalis: quæ nec ex se se, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis sunt. Quæ nec ex se se, nec ex alijs non de-notat, quod à nullo principio sunt: sed quod à nullo principio sunt, quod sit principium illorū, eo modo, quo illa sunt principia cōpositi; illa enim sunt principia intrinseca in genere causæ materialis, & formalis: & principium eorum est extrinsecum creans, nempè Deus respectu materiae: & respectu formæ, si est materialis, agens est principium efficiens extrinsecum, & materia ex qua sit, est principium materiale, & forma est principium formale: ergo, &c. Sed ex ipsis omnia sunt, id est quod omnia composita sunt ex illis.

**13** Obijcies: materia 1. sit ex multis partibus integrantib' ipsam materiam, & illam constituentibus: ergo iam hoc principium sit ex alio in

eodem genere, ac est principium compositi. Resp. negando consequentiam, nam materia est principium compositi in genere causæ materialis respectu formæ intrinsecæ constituentis compositum: vna erò pars materia respectu alterius partis est in genere integrantis, quod est ei extrinsecum, & in diuerso generæ causæ.

13. Sit conclusio cōtra aliquos. Per hanc definitionē solum definiuit Aristoteles principia intrinseca non extrinseca. Probatur ex sensu ipsius definitionis, & ex particula *ex*, nam homo, non sit ex Deo, sed à Deo. Satis patet hoc.

14. Obijcies ex Scriptura: qui ex Deo est, verba Dei audit: & alibi: vos ex Patre Diabolo estis. Vbi particula *ex*, his locis non significat esse partem intrinsecam: ergo ex hac particula non benè arguimus, &c. Resp. 1. prædicta verba Scripturæ non esse intelligenda in sensu rigu-rosso. Resp. 2. non dici ex Patre præcisè quia producitur ab illo, sed quia Filius per generationē accipit substantiam Patris, & iusti dicuntur Filii Dei, nam habent gratiam quæ est etiam quædam participatio substantiæ, vel naturæ Dei, ob quam adoptatur in filios Dei. Iudei etiam dicuntur filii Diaboli, nam videntur habere naturam, & indolem Dœmonum, non vero quia ab eis gignantur. Probarur etiam; nam rueret definitio si includeret principia extrinseca, siquidem ignis A, est principium in genere efficientis, ignis B; & ignis A, in eodem genere cau-ſæ efficientis, habuit principium: ergo, &c.

## SECTIO II.

### *Quot sint principia entis naturalis in facto esse.*

15. Sit conclusio. Principia intrinseca entis naturalis in facto esse solum sunt duo, materia nempe, & forma, nam solum haec duæ idest materia, & forma componunt illud ut partes constituentes: ergo, &c.

16. Obijcies 1. Pribatio formæ quæ generatur præcedit semper in omni composito: ergo ut principium intrinsecum. Resp. negando. 1. quia non præcedit ut pars compositi. 2. quia si in eodem instanti materia, & forma de novo producerentur, daretur compositum naturale, quin præcessisset haec priuatio: ergo, &c.

17. Obijcies 2. Unio est pars necessaria, & intrinseca omni composito: ergo est principium. Resp. non esse partem, sed nexum partium.

18. Obijcies 3. Subsistens intrinsecè constituit ens naturale: ergo est principium intrinsecum illius.

- 19 Resp. i. Componere ens naturale in esse suppositum non verò in esse compositi naturalis, ut constantis materia, & forma, de quo fuit loquutus Aristoteles; suppositum enim non cognovit.
- 20 Resp. etiam 2. Non dici partē propriè totius substantiæ, sed cōplementum substantiæ substantiæ. Instant: ergo si suppositum est ens naturale, erit pars entis naturalis, siquidem est pars suppositi.
- 21 Ref. Suppositum esse aliquo modo posterius ente naturali, id enim primario solum petit ut tale materiam, & formam, ut verò subsistens, est metaphysice, & formaliter, quid subsequutum enti naturali.
- 22 Obiectio 4. Ex calido fit ignis: ergo ex dispositionibus fit totum tamquam ex principijs.
- 23 Ref. Non fieri ex omni quod dicit calidum, sed ex illo quod dicit de subiecto: nam si ignis est totum substantiale, quomodo potest cōponi in esse talis ex calore, & dispositionibus.

## SECTIO III.

*De principijs entis naturalis in fieri.*

- 24 **N**on loquimur de principijs intrinsecis actionis, nam est certū: ens in fieri esse ipsam actionem: & hanc non habere partes intrinsecas etiam est certum.
- 25 Difficultas hic est, quot sint principia actionis, non solū in genere cause efficientis, verum etiam in omni illo genere, in quo aliquo modo actio accipiat aliquid esse ab alio ut à principio.
- 26 Quidam dicunt, quod actio nō solum habet pro principio agens, sed etiam terminum.
- 27 Noto, ut questio non de nomine fiat, quod si intelligūt de conectione essentiali, ita ut unum non possit esse sine alio, verū est quod est principium, nam est verum non posse esse actionem sine termino.
- 28 Sit tamen 1. conclusio: actio non habet pro principio terminum, nam si terminus esset illius principium, maximè ob independentiam à dependenti, nempè quod terminus possit esse sine hac numero actione, & hæc numero actio nequit esse sine hoc termino, sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor. Nam licet generatio aeterna qua Pater generat filium sit taliter conexa cum filio ut nequeat esse sine illo, tamē nou habet pro principio ipsum filium: ergo licet generatio formæ Leonis, sit ita conexa cum termino ut nequeat esse, sine illo, nō ideo est principium. 2. quia sicut actio nequit esse sine hoc nume-

ro termino, ita hic numero terminus nequit esse sine aliqua actione: ergo hoc sufficit, ut actio sit principium termini, sicut sufficit ut terminus sit principium actionis, quod falsum est.

29 Respondent disparitatem esse, quod hæc actio nō potest esse sine hoc termino, attamen hic terminus esse potest sine hac actione dummodo habeat aliam.

30 Cōtra: nam licet aliquis effectus possit esse sine hoc numero principio, dummodo habeat aliud, tamen dependet ab illo, quia non potest esse sine hoc, vel illo, vel alio: sed etiam terminus nequit esse sine hac, vel illa actione: ergo dependet ab illa à qua est.

31 Contra etiam: nā actio est causans in actu 2. sed causa in actu 2. nō habet pro principio terminum, imò illa est principium termini: ergo actio non habet pro principio terminum, & aliundè est prior natura: ergo, &c.

32 Confirmatur: nā licet valeat, quod hæc causa in actu 2. non possit esse sine hoc termino, & hic terminus non possit esse sine causa in actu 2. tamen causa in actu 2. non dependet à termino, sed è contra: ergo, &c. Tandem, quia in sententia valdè probabili est possibilis causa iden tificata cum actione: sed talis actio non haberet pro principio effe ctum: ergo nulla actio habet pro principio terminum: nam sicut hæc non posset esse sine termino, ita nec alia.

33 Sit 2.conclusio: actio eductiva, ut eductio est, habet pro principio extrinseco agens, & subiectum. Probatur, nam subiectum cōcurrunt pas siuè recipiendo ipsam actionem, sed hoc est esse principium: ergo subiectum est principium actionis ut eductio est. Confirmatur, nam id à quo aliquid dependet, est principium: ergo subiectum est principium educationis, quæ pendet ab eo.

34 Sit 3.conclusio: eductio vt mutatio, habet pro principio agēs, sub iectū, & priuationem formæ in subiecto. Probatur, ex Aristotele aiente, mutationem habere principia contraria, sed hæc contrarietas est inter formam, & carentiam formæ: ergo mutatio habet pro principio pri vationem. Deinde, nam mutatio est essentialiter transitus de non ha bère formam, ad habendā eam: ergo priuatio est principium actionis, vt est mutatio.

35 Sit 4.conclusio: actio, præter illud quod dicunt actio, eductio, & mutatio, ut conuersio est, addit carentiam formæ præexistentis, vt pat tet in ligno, quando conuertitur in ignem, quod amittit formam ligni; exigitque essentialiter conuersio esse transitus ab esse ligni, ad esse ignis, & sic principium conuersionis est amissio præexistentis, & adqui sio nouæ formæ.

36 Creatio definitur: productio rei indepedenter à subiecto, sicut eductio est productio dependenter ab illo. Nunc rogo, an carentia dependetia sit principium illius.

37 Sit 5. conclusio: carentia dependendi à subiecto non est principiū creationis. Probatur: nam est quid subsequentum ad illā. Probatur: nam ideo creatio dicit carentiam dependendi ab alio, tanquam à subiecto, quia totum suum esse habet ab agenti: ergo hęc carentia non est eius principium, siquidem est quid subsequentum. Nec subiectum, à quo inde pender, est eius principium, nam impossibili omni subiecto, esse potest creatio, si Deus sit adaequatum agens: ergo, &c.

### SECTIO III.

#### *Satisfit obiectionibus contrarijs.*

38 Obijcies 1. Si Deus reproduceret formā in materia, materia mutaretur, & non adveniret carentia formæ præexistentis, nam ea dem forma quæ præexistebat, reproducebatur: ergo non est principiū omnis mutationis carentia formæ præexistentis. Resp. Mutaretur distinguo: ab entitate nego, à modo habendi entitatem concedo; respectu enim modi habendi formam, dabatur in materia transitus, non vero respectu entitatis formæ, nam hęc esset eadem.

39 Obijcies 2. In nullo instanti hęc carentia est principium mutationis. Nam non in instanti in quo est forma genita, siquidem tunc non est talis carentia, & si tunc non est, quando est terminus; nequit esse eius principium. Deindè nec in instanti in quo est mutatio, nam tunc datur forma, & sic non datur eius carentia: ergo in nullo, &c.

40 Resp. dupliciter posse vnam rem esse principiū alterius. Primo tā quam causa efficiens, & hoc modo causa non existens, non potest esse principium. 2. modo potest vna res esse principiū, tamquam terminus à quid, vt se habet carentia formæ genitæ, siquidem subiectum debet transire de non habere formam ad habere illam, & sic carentia talis formæ poterit esse principium se habens vt terminus, à quo transit materia, quin talis carentia existat quando existit effectus. Et sic respondeo. In instanti, in quo est mutatio, non est carentia formæ, in existendo, concedo; in desinendo, nego. Siue in effendo id à quo trāsit de non habere formam ad illam habendā nego; & hoc sufficit ad mutationem.

41 Obijcies 3. quando ex ligno fit ignis non solū præcedit carentia formæ ignis, sed forma ligni: hęc non est principium: ergo nec illa. Respondeo: præcessit forma ligni accidentaliter ad conceptum gene-

rationis, vel mutationis, concedo: essentialiter nego, quia licet in materia non esset forma ligni, nec alia forma, poterant introduci dispositiones ad ignem, & poterat generari ignis, quin aliquid positivum destrueretur, sicut nunc lux, & tenebra in aere introducuntur, quin aliquid positivum aeris destruatur, nam tenebrae solum sunt *carentia lucis*, vel defecisse lucem.

42 Replicab. viuens essentialiter fit ex forma embrionis: ergo supponit hanc formam destruibilem ab advenienti: sed haec non est principium: ergo nec *carentia*. Respondeo, quod generatio viuentis essentialiter ex suo conceptu non petit praexistentiam formae embrionis directe, & primario, sed solum petit dispositiones in materia, quibus datis, licet non daretur forma embrionis (ut potest contingere diuinatus) daretur tota essentia generationis viuentis. Et sic ad generationem ut sic, non requiritur forma praexistentis.

43 Obijcies 4. ex nihilo nihil fit: ergo si *carentia* est nihil, nam non est quid naturale positivum, nihil fiet ab illa ut a principio. Respondeo concedendo, non esse quid positivum, sed quid reale negativum, & hoc est de essentia, & de natura termini a quo, ut principijs. Sic conueniet ei ratio huius. Ad illud, ex nihilo, &c. Respondeo nihil fieri tamquam ex subiecto, secus ut termino a quo.

44 Quæres: cur mutatio ex sua natura non dicit priuationem formæ praexistentis, sicut dicit priuationem formæ advenientis? Respondeo, esse, quia sine *carentia* formæ advenientis absolute, nec diuinitus potest dari mutatio: patet ex definitione, quæ est: transitus: ergo deber transire ad habendam formam, quam non habebat: aliter non transiret. Deinde, nam nullus potest mutari de homine in hominem; benè tamen diuinitus potest mutari materia per unam formam venientem, quin priuetur praecedenti, cōponente Deo duas formas simul in materia.

## DISPUTATIO III. DE MATERIA I.

### SECTIO I. QVID SIT.

45 **N**ota: Lapidès esse materiā domus, non tamen de qua hic loquimur. Illa enim, nō est i. sed materia quæ coalescit ex materia i. & forma substanciali, cū lignum v.g. ex his componatur. Materia de qua hic loquimur est prima, idest quæ in nullo subiectatur, & est primum subiectum entis naturalis ut pars incompleta, quod non habent lapides, nam sunt entis artificialis, quod subsequitur ad naturale.

No-

46 Nota etiam, quod semper, & quando creaturæ aliquid operantur operatur illud ex subiecto, & ideo dixit Aristoteles: ex nihilo, nihil fit.

47 Sit 1. conclusio: datur materia prima. Probatur: nam omne totum substantiale constat ex forma ut ex actu: ergo ex materia ut ex potentia. Probat. 2. nam creaturæ nequeunt aniquilare substancialias, sed corrumperem: ergo quia manet semper materia intacta in quacunque mutatione. Probatur 2. nam agentia naturalia immittunt dispositiones ad introducendam formam: ergo danda est materia ad eas suscipiendas. Probatur 3. nam Ecclesia quæ nequit errare, veneratur reliquias Sanctorum: non ob eorum formam: ergo ob eorum materiam.

48 Prima definitio materiae est hæc: primū subiectum compositi substantialis. Cōtra. Nam hoc conuenit naturæ Angeli respectu sui totius, subsistentis; quod quia non est accidentale, debet esse substantiale; & tamen Angelus non est materia 1.

49 Secunda est: subiectū formarum substantialium. Quæ impugnatura non nullis ut inadæquata, nam non comprehendit accidentales formas.

50 Nostra conclusio est, materiam primam definiri: primum subiectum entis naturalis, vel in composito naturali.

51 Dices: sola materia prima est subiectū in composito, & non aliud: ergo non est primum, nam primum indicat dari secundum, ad quod primum dicit ordinem. Resp. negando, dicere ordinem ad secundum: nam primum subiectum hic solum est subiectum sine subiecto, quod præcedat.

52 Sit 2. conclusio: materia prima in sensu metaphysico ipsius solum dicit ordinem subiecti ad formas substanciales, cum quibus constituit ens naturale, secundum illud, quod ens naturale dicit etiam in suo conceptu essentiali metaphysico; non vero secundum quod dicit in suo conceptu integrali accidentalis.

53 Obijcies 1. quando aliquis gradus consurgit ex alijs, & constituit rem, omnes gradus ex quibus consurgit, constituant etiam rem primario, ut patet in rationali cuius tres gradus constitut hominem: ergo si est subiectum etiam ad accidentales, hic gradus constituet materialē. Respondeo negando assumptum; nam gradus subiecti in materia prima in suo conceptu primario metaphysico, & præcisso, solum est ad formas substanciales, tam perfectas, quam imperfectas, & sic non consurgit gradus subiecti, ex gradu etiam subiecti ad accidentales: hæc enim sunt extra conceptum compositi substantialis essentialis: ergo si hoc ut tale est finis materialē, erunt extra eius finem essentialiē, nam prout constituit ens naturale, licet dicat eas, non vero primario metaphysicē essentialiter; ergo nequit definiri in ordine ad eas, & sic ruit

paritas. Rationale enim constituit apprehesivum, iudicativum, & discursivum; gradum tamen hunc subiecti, non constituit gradus subiecti ad accidentia.

54 Confirmatur tota hæc doctrina. Homo licet definiatur per esse principium, non definitur per esse principium omnium rerum, quorum est principium; aliter definiretur per esse principium risus: ergo nec materia est definienda per esse subiectum omnium formarum, quorum est subiectum. Vnde sicut homo non definitur in ordine ad risum, quia ordo ad eum, est extra essentiam metaphysicam primariam illius; ita materia licet necessario includat subiectibilitatem ad formas accidentales, non in ordine ad illas definietur, quia est extra suam rationem primariam metaphysicam.

55 Obijcies: nostra definitio convenient naturæ Angeli, que est pri-  
mum subiectum entis naturalis (non superni) quod cū sua subsistenza  
componit: ergo Resp. argumentum non esse ad rem, quia hic agi-  
mus de ente naturali (non superno) compositi, non suppositi, & An-  
gelus est ens naturale suppositi.

## SECTIO II.

### *Quare materia i. potius sit subiectum quam forma.*

56 **T**riplex genus subiecti datur: receptionis, informationis, & denominationis. Subiectum receptionis est, quod recipit formam, ex se eductam; informationis; quod non recipit formam, sed solum ab illa denominatur, seu informatur; ut corpus respectu animæ rationalis; à qua informatur. Denominationis est, subiectum, quod denominatur ab alio quin sit forma, ut Christus à subsistencia Verbi, quæ non est forma physica. Omne subiectum, quod est educationis, est informationis, & quasi denominationis, non tamen, è contraria.

57 Sententia 1. ait esse primum subiectum ob indiferentiam ad plures formas: Sed contra, nam possibilis est materia destinata ad solam unam: ergo 2. quæ est P. Arriagæ ait: esse primum subiectum, quia pro aliqua prioritate supponitur ante unionem, per quam unitur cum forma. Contra, quia dum nutritur homo, anima rationalis supponitur aliqua prioritate ante unionem cum materia: ergo non sola materia prima habet hoc, sed etiam forma. Probatur antecedens, nam unio quæ producitur per nutritionem, pender à viuenti: ergo supponit viuens, & sic animam, quæ est forma: ergo.

58 Sit i. conclusio: illa pars est subiectum in composito, quæ tanquam quid entitativum minus perfectum vnitur, cum alia parte entitativa perfectiori, suscipiendo illam, à qua informatur, & cum qua ens naturale construit: hoc habet sola materia: ergo sola materia est subiectum. Probatur, nam licet detur de possibili aliqua materia, quæ sit perfectior quam materia prima de facto existens, nunquam tamen æquabit perfectionem formæ, quam petit.

59 Obijcies: possibilis est vno formæ Leonis cum alia parte, quæ esset perfectior ipsa forma Leonis: ergo tunc forma constitueret totum, tanquam pars minus perfecta; & sic esset primum subiectum. Respondeo negando, quod forma Leonis ordinetur ad efficiendum aliquod ens naturale cum alia parte perfectiori se, quia forma totius naturalis non solum debet esse æque perfecta, ac materia talis totius, sed perfectior; ideo enim dicitur forma, idest formans, & perficiens, sive pulchrum reddens subiectum, ad contrapositionem materiæ; quæ informis, & fœda à Philosophis appellatur.

### SECTIO III.

*An materia i. sit subiectum per aliquid à se distinctum.*

60 **S**it conclusio: Materia i. est identificata cum potentia ad recipiendas omnes formas, & sic talis potentia non est superad-dita. Probatur ex eius definitione, hanc potentiam esse ipsius essentiæ. Deinde, vis informativa est idem cum forma: ergo vis receptiva cum materia. Probat. 2. nam si hæc potentia est substantialis: ergo sicut, quin mediet alia potentia distincta, recipit hanc potentiam, etiam recipiet formam substantialem. Si est accidentalis: ergo totum resultant, non est totum per se substantiale, sed accidentale, pululans ex substantia, & accidenti, quod est absurdum,

61 Obijcies 1. Una substantia producit aliam medijs accidentibus: ergo materia recipit media potentia accidentalis. Nego conseq. quia causa non constituit totum per se substantiale, cum substantia pro-ducta, bene verò materia cum forma,

62 Obijcies 2. Materiæ amittit potentiam, quando habet actum. Nam actus excludit potentiam, & etiam quando corruptitur forma. Nego. Nam semper manet essentiale potentiarum; absit, vel adsit forma, manet etenim propensio, & inclinatio adhuc, nam non perit illam ut corruptam, nec ut aquantem, (nam hæc sunt accidentalia) sed ut actu-

actuativam, & informativam tantum. Solum enim deficit carentia formæ, per quam carentiam erat purè in potentia.

## SECTIO III.

*An materia i. sit pura potentia.*

63 **D**ubium est, an materia prima habeat aliquem actum propriū sui, vel an omes actus materiae primæ tam physici, quam metaphysici proveniant à forma, ita ut ex se sit mere pura potentia. Sit 1. conclusio. Materia prima habet actum metaphysicum proprium sui, & sic non est pura potentia metaphysica. Probatur: nam habet essentiam, genus, & differentiam: ergo habet proprios actus metaphysicos.

64 Sit 2. conclusio: Materia prima non existit per existentiam formæ, sed per suam propriam. Probatur: nam habet distinctam actionem; hæc est existentia: ergo. Confirmatur: nam materia dat existentiam formæ materiali: ergo debet existere ante formam, siquidem nullum principium dependet in primo suo esse ab illa entitate, quam causat: aliter enim agens dans existentiam formæ, daret existentiam materiae: ergo produceret illam, siquidem daret existentiam: ergo generaret materiam, quod est absurdum.

65 Sit 3. conclusio: Materia prima est pura potentia, prout non includit formam physicam secum identificatam. Probatur: nam si materia prima componeretur ex alia materia, & forma, iam non esset primum subiectum, nam haberet subiectum distinctum: ergo. Sit 4. conclusio: Materia prima non est pura potentia, prout hæc excludit omnem virtutem operativam, nam producit proprietates suas, ergo includit virtutem ad illas.

66 Obijcies 1. Si materia subsisteret independenter à forma, esset completa sine forma: ergo non subsistit. Respondeo, distingo: esset completa sine forma in esse existentis, & subsistentis concedo: in esse compendi nego; nam careret complemento physico formæ, quam postulat.

67 Obijcies 2. Materia prima nequit esse ens in actu: ergo est pura potentia. Probatur antecedens, nam non resultaret ens per se ex materia, & forma, siquidem ex duobus entibus in actu non resultat ens per se: ergo in omni genere est pura potentia. Respondeo: nego antecedens; ad probat. Resp. quod ex duobus entibus in actu potest

resultare ens per se, si talia entia sint incompleta sicut materia, & form.

68 Obijsies 3. Datur ens, quod est actus purissimus nempe Deus nihil habens potentiarum ergo etiam ens nihil habens de actu. Distingo antecedens; nihil habens potentiarum logicarum nego: physicarum concedo. Respondeo etiam 2. Deum habere hoc ob suam infinitatem: at si materia prima esset pura potentia, esset nihil, & non haberet metaphysicam existiam.

69 Obijsies 4. Ex D. Thoma, materia prima non existit in rerum natura, per semetipsam, cum non sit ens in actu, sed in potentia tantum: ergo. Respondeo D. Thomam loqui de existere per se ipsam; id est non identificari cum sua existentia, sed esse ab ea distinctam. Per ultima verba ait nullum includere actum physicum absolutum, sed ipsam existentiam, ordinatam insuper ad formam.

## SECTIO V.

### *De appetitu materiae prime, ad formas.*

70 **A**petitus dividitur in desiderij, gaudij, & simplicis complacenteriarum: desiderij est in bonum absens, gaudij in presens, & complacenteriarum in bonum tantum ut tale; sit praesens, vel absens.

71 Sit 1. conclusio: Materia prima habet appetitum innatum, ad formas substantiales. Prob. Ex Aristotele: materia appetit formas, sicut turpe appetit pulchrum. Deinde, in omni re datur inclinatio, & propensio ad suum finem, & perfectionem: ergo in materia ad formas. Sit 2. conclusio: materia appetit appetitu gaudij formas, quas possidet. Prob. Nam sunt perfectio praesens, intenta à materia: ergo gaudet illis. Sit 3. conclusio: ex eo quod materia habeat appetitum gaudij, pro illo instanti reduplicatiuncula, nihil aliud desiderat. Prob. Nam si desideraret, maxime, quia potest deficere, quod habet: sed est impossibile pro illo instanti ut deficiat: ergo nihil aliud desiderat.

72 Sit 4. conclusio: Licet materia pro instanti, quo habet formam, non habeat appetitum desiderij ad alias, disiunctiuncula habet. Probat. Nam pro alijs instantibus potest deesse forma, quam habet: ergo et huc desiderat alias nempe hanc, vel illam, &c. Licet potius exigat formam, ad quam est disposita, quam aliam. Et prob. Nam si in materia prima ligni esset calor ut octo, talis materia ligni potius exigeret, si deesset forma, quam habebat, formam ignis, quam lapidis: inclinaretur enim à dispositionibus, quae illius desiderium, quasi determinarent ad illam formam; potius quam ad aliam: ergo.

Sit

73. Sit 5. conclusio: appetitus gaudij, & desiderij, inadæquete distinguunt à materia prima: Nam licet non distinguantur ab ea, tamquam dux sint propensiones, distinguuntur tamen in eo, quod una est in praesens ut tale, alia in absens, quod est defectibile materia; & sic distinctum.

74. Sit 6. conclusio: Materia prima non solum appetit formas non productas adhuc, sed corruptas iam, & destructas. Probatur 1. Nam appetitus materiæ est essentialis, ergo semper manet in materia. Probatur: Nam licet corruptatur forma qualibet, manet essentia materiæ: ergo prædicata essentialia illius: sed unum est appetitus, ergo hic manet: sicut in rationali, quia essentialiter est potentia discursus, adhuc producto discursu, manet in eo potentia: ergo, &c. Probatur 2. Nam non appetuntur secundum quod habent corruptionis, sed secundum esse quod haberunt; reduplicatiuè enim ut tales, nequaquam appetuntur; bene vero absolute, absque memoria corruptionis. Nam est innata vis essentialis exigendi. Prob. 3. Si enim Deus anihilaret omnes formas, materia adhuc exigeret formas; nam si postea reproduceret unam, & eam traderet materia, adhuc materia perficeretur: ergo eam exigebat.

75. Sit 7. conclusio. Si materia prima sumatur secundum se, magis appetit unam formam perfectiorem, quam aliam imperfectiorem; licet si attendatur ad dispositiones, magis appetit aliquando imperfectiore, si ad hanc sit induxit. Prob. 1. pars. Quia ideo appetit formas, quia sunt perfectiones, & bonum illius: ergo magis appetit illas, quæ sunt magis perfectiones, & maius bonum illius. Prob. 2. Nam appetitus materiæ nihil est aliud, quam perfectibilitas per formas: ergo magis appetit formam, per quam erit magis perfectibilis: materia enim magis perficitur per animam, quam per cadavericam formam. Deinde, si haberet materia appetitum elicitorum, ita desideraret: ergo eas etiam desiderat cum innato. Secunda pars ex antecedenti probata est.

## SECTIO VI.

### *Argumenta contraria solbuntur.*

76. **O**bijcies 1. Materia non ponit conatum ad formas substantiales, sicut corpus graue ponit ad centrum: ergo non appetit. Deinde, materia prima nec producit, nec recipit omnes formas: nam animam rationalem non recipit: ergo nec appetit. Resp. Materia primam eocurrere ut causam materialem ad formas corporeas, & quan-

## Disputatio III.

& quando nequit esse hoc propter spiritualitatem formæ, iam est causa materialis vunionis, nectentis formam cum materia, quod sufficit, ut eam appetat. Relinquum vim non habet.

77 Obijcies 2. Pro illo instanti quo habet vnam formam, non est completa per alias: ergo appetit pro tunc alias. Prob. conseq. Nam si nullam haberet, omnes appeteret: ergo licet habeat vnam, appetit pro tunc, quas non habet. Resp. Concedo habere appetitum ad omnes; Si nullam haberet; ad omnes disiunctiuè, hanc vel illam: simul nego. Nam eo, quod vnam habeat, iam est faciata materia, ita ut nequeat aliam conaturaliter habere cum illa. & cum apetitus innatus, & essentialis terminetur ad perfectionem conaturalem, ad vnam solum terminatur formam.

78 Obijcies 3. Si materia haberet appetitum desiderij ad alias formas, appeteret amittere quam habet, nam ad alias habendas, hoc est necessarium: ergo. Resp. Materiam desiderare alias formas, non appetitum absoluto, & efficaci, sed conditionato, sicut si quis desideraret penitentiam de peccatis futuris, si forte committat illa, non verò absolutè, vel efficaciter, sed sub hac condizione; sic materia desiderat alias pro casu, quo amittat istam, hoc autem non est desiderare amissionem istius.

79 Obijcies 4. Productio formæ corruptæ est impossibilis naturaliter: ergo materia prima non appetit formas corruptas. Distingo conseq. Si entitatiuè consideretur, nego: Si consideretur ut est productio formæ corruptæ, ut corruptæ, concedo. Et nego conseq. Forma enim corrupta potest considerari secundum se, quo modo semper est quid possibile, & continetur sub potentia naturali, ut tamen iam destruta nequit naturaliter produci, nec appeti.

80 Obijcies 5. æqualiter materia constituit ens naturale, cum qualibet forma: ergo qualibet æqualiter appetit. Distinguo antec. æqualiter ens naturale, concedo: æqualiter perfectum nego. Obijcies 6. Apetitus materiae est potentia positiva: hæc est indifferens ad omnes æqualiter: ergo non est magis ad vnam, ac ad aliam. Prob. conseq. Nam aliter sequeretur, quod materia prima solum esset in statu naturali, quando haberet formam, quam plus appetit. Resp. Est indifferens ad omnes; id est potest per omnes perfici, concedo: æqualiter perfici, nego. Nec est violenta licet habeat formam imperfectiorem, cum constituat cum ea ens naturale, sicut posset cum perfectiori; quod materia principaliter intendit.

## SECTIO VII.

*Quomodo dependeat materia prima, à forma.*

81 **D**atur dependentia à priori, & à posteriori. Propria, siue à priori est illa, qua effectus dependet à sua causa, ut lux à Sole: à posteriori, ut dependentia Solis à luce. Prima sententia ait: materiam primam, nec diuinitus posse esse sine illa forma. Secunda ait, naturaliter posse esse. Tertia ait, naturaliter non posse, bene verò diuinitus. Hanc communiter Suaristæ amplexantur, & primam tueruntur Thomistæ.

82 Sit 1. conclusio: Materia prima potest existere diuinitus absque omni forma substantiali. Probatur: Nam habet suam existentiam distinctam à forma: ergo licet hæc desit, semper manebit existens materia. Item hæc non est effectus formæ, imò forma est effectus materiae: ergo sicut ignis potest existere diuinitus, sine suo necessario effectu caloris, ita materia, sine suo effectu necessario formæ. Deinde, nam licet demus materiam existere per existentiam formæ, adhuc potest existere per aliam existentiam, ut apud Thomistas materia prima humanitatis Christi, existit per existentiam Verbi: ergo materia poterit existere per aliam existentiam, quin sit formæ.

83 Sit 2. conclusio: Materia naturaliter nequit esse sine forma. Probat. Ex Aristotele, generatio vnius est corruptio alterius, & agens naturale est impossibile, quod corrumpat unam formam, quin introducat aliam. Confirmatur; nam ideo nequit materia prima esse sine aliquibus accidentibus naturaliter, quia semper & quando aliqua destruuntur, sit per introductionem aliorum, quæ sunt contraria expulsis: ergo pariformiter in formis. Prob. Nam tam incompossibilis est una qualitas cum alia contraria, ac una forma substantialis, cum alia in eadem materia: sed fuga vnius qualitatis provenit ab adventu alterius contrariae, ergo similiter in formis.

84 Obijcies 1. D. Thomas dicit: *Dicere materiam procedere sine forma, est dicere ens actu sine actu:* ergo implicat contradictionem materia sine forma. Confirm. Nam si nequit dari esse accidentale, sine forma accidental, nec esse substantiale materiae, sine forma substantiali. Resp. 1. Loquutum fuisse D. Thomam de materia prima, naturaliter loquendo: in quo statu esset contradiction: nam haberet ut supponitur, & non haberet. Vel dixisse materiam primam completam, siue in statu debito non posse existere sine forma, nam hoc esset ens actu sine actu. Ad-

confirm. Respondeo: Quod Deus, & Angelus habent esse substantiale, & non habent formam, & sic ruit paritas dicta. Disparitas est, quod esse accidentale non potest ab alio prouenire, quam ab accidenti; at esse substantiale reperitur in alijs distinctis rebus, quæ carent forma substantiali, vt Deus, materia secundum se, & Angelus, &c.

85 Obijcies 2. Materia sine forma esset sine determinata specie: à forma enim determinatur: ergo, &c. Resp. per formam determinari ad hanc, vel illam speciem compositi, non materiæ; & sic non esset forma ad hoc, sed ad aliud finem. Obijcies 3. Natura humana nequit non constituere indiuiduum: ergo nec materia compositum. Resp. Nego conseq. Natura humana identificatur cum indiuiduo; materia vero distinguitur à composito.

86 Obijcies 4. Materia habet suam propriam subsistentiam, & existentiam sicut anima rationalis: ergo potest existere sine forma, sicut anima sine materia. Nego conseq. Quia anima id habet ob suam specialem perfectionem; & deinde, nam dispositiones, quæ expellunt animam, non disponunt illam ad hoc ut migret in aliam materiam. Alij resp. Animam non esse totam, & totaliter propter compositum sicut materiam, sed habere aliud finem, discurrendi quem asequitur melius extra materiam.

87 Obijcies 5. Quælibet res potest existere sine illo, quod est causa sui: ergo & materia naturaliter sine forma. Nego antec. Nam actonis non est causa terminus, nec quantitas materiæ primæ, & tamen nec acto, nec materia possunt esse sine illis.

88 Obijcies 6. Materia prima paulatim disponitur ad formas substance: ergo non implicat, quod destruatur forma, quam habet, & non inueniatur adhuc satis disposita materia: ergo pro tunc erit sine forma. Confirmatur in viuenti, quia materia viuentis est in determinata quantitate, ita ut forma viuentis, non possit produci in minori materia: illa materia successuè disponitur, ita ut priùs disponatur illa pars, quæ est propinquior agenti, & postea pars distans: modò sic in illo instanti, in quo pars propinquior est disposita, iam non habet formam antecedentem, & neque habet formam viuentem, siquidem adhuc non est disposita tota materia prima: ergo pro illo instanti existeret materia prima naturaliter, absque villa forma.

89 Resp. Concedo materiam primam paulatim disponi, ad formam substance viuentis; nego tamen posse destrui unam formam, quia sit materia sufficienter disposita ad aliam, quia natura non intendit destructionem, sed generationem. Ad confirmationem resp. Quod ~~non~~ quam disponuntur ultimo, aliquæ partes materiæ ad formam vi-

ventis, quin disponantur etiam aliae partes, quae requiruntur ad introductionem formæ viuentis, & sic quod numquam materia prima existit sine forma. Vel resp. Quod licet aliquæ partes disponantur in embrione ad formam viuentem, antequam disponantur aliae partes, quae requiruntur ad introductionem formæ viuentis, quod talis forma embrionis conseruatur in materia, usque dum adueniat forma viuentis, & sic numquam est sine forma.

## SECTIO VIII.

## DE DISTINCTIONE SPECIFICA, ET NUMERICA MATERIA.

90 Sit prima conclusio: Omnes materiae sublunares solum numero distinguntur, & sic sunt omnes eiusdem speciei. Prob. Nam diversitas accidentalis non est sufficiens ad distinguendum in specie, qualem diuersitatem habet materia, nam omnis haec diuersitas inter materias prouenit ab eo, quod haec habet hanc formam, & illa aliam, &c. Sed hoc est accidentale omni materia: nulla enim est destinata ad hanc formam: ergo non distinguntur specie, sed accidentaliter materiae. Prob. Nam quælibet materia potest successiue habere omnes formas: ergo nulla distinguetur per hoc ab alia, si omnes ita se habent.

91 Sit 2. conclusio: Non implicant de possibili multæ materiae primæ sublunares specie distinctæ. Prob. Nam nulla in hoc appareat repugnancia. Tum, quia Deus potest producere alias primas qualitates, quas non possit recipere materia prima sublunarlis, & posset materia prima, quam de possibili creet, ergo distingueretur specie. Deinde, nam potest produci materia solum potens ad unam formam: ergo tunc specie distinguetur.

92 Obijcies 1. Materia prima Adamantis nequit amittere suam formam, & adquirere aliam: ergo distinguitur in specie à sublunaribus, Resp. Nequit amittere, nego, vel distinguo: nequit amittere eam absolute, nego; faciliter, concedo; siquidem materia prima ferri difficultius amittit formam, quam stupa, & non obstanti, quia absolute possunt amitti non distinguntur specie. Insuper, quia agentia naturalia produxerunt formam Adamantis: ergo materia illius potuit recipere alias formas, sicut recepit hanc: ergo licet nunc non possit, non habere, non distinguetur, quia non ita essentialiter habet, ut non potuerit, non recepisse.

93 Obijcies 2. Talis materia prima possibilis, destinata ad unam formam; non esset perfectior, nec imperfectior ista: ergo non est possibilis. Resp. negando antecedens. Si enim esset tantum ad spiritua-

lem, & non ad materialem, esse perfectior; si è contra, imperfectior: ergo iam esset distincta specie.

94 Obijcies 3. Apud Augustinum materia prima est propè nihil; sed illa possibilis esse, perfectissima: ergo non esset propè nihil, & sic nec materia. Resp. Esse propè nihil respectiuè ad formam, &c. vel causa-  
liter, in ea enim formæ ad nihilum reducuntur: Sicut Deus causali-  
ter est salus.

95 Obijcies: Actus est, qui solum distinguit rem; sed solum forma  
est actus: ergo materia solum distinguit per formas, & non à se. Res.  
distingo: Actus distinguit rem; actus physicus solum, nego; Actus me-  
taphysicus etiam, concedo. Datur enim differentia metaphysica; ali-  
ter Deus non distingueretur, siquidem non habet actum formæ; suf-  
ficit ergo actus differentialis metaphysicus, quem habet materia in  
esse talis, ut distinguatur.

### SECTIO IX.

#### ALIQUÆ DIFFICULTATES DECIDUNTUR.

96 Proprietates materia primæ sunt hæc: habere quantitatē; esse  
ingenerabilem, esse incorruptibilem, & esse æternam à parte  
post. Prob. de quantitate: Nam est accidens repertum in omni ente  
corporeo, destructa adhuc qualibet forma, & receptum in materia.  
Prob. esse ingenerabilem; Nam generatio, est productio rei ex præ-  
supposito subiecto; & materia est primum subiectum sine alio: ergo  
est ingenerabilis. Quod sit incorruptibilis probatur, nam corruptio  
est destrutio rei dependentis à subiecto: ergo, &c. Deinde nequit ab  
agentibus destrui: ergo est incorruptibilis.

97 Obijcies 1. Quia materia est materialis, compositum hominis  
dicitur materiale; ergo quia est ingenerabilis compositum dicetur  
ingenerabile, quod est falsum. Resp. denominationem negatiuam re-  
quirere neminem discrepantem, & cum hæc sit talis, & discrepent ab  
esse ingeneratæ, reliquæ partes, aut saltim unio, hinc est, quod non  
denominabitur compositum ingenerabile; denominatio vero mate-  
rialis est possitua, & sic totum poterit esse materiale à materia, &  
unione, quæ sunt materiales.

98 Obijcies 2. Ideò homo est generabilis, & corruptibilis, quia unio  
est talis: sed etiam unio inter partes materia est talis; ergo etiam ma-  
teria. Resp. Materiam primam non includere in suo conceptu essen-  
tiali, metaphysico unionem suarum partium, siquidem in uno indi-  
vissibili potest conseruari eius essentia; homo vero includit eā essen-  
tialiter

Six

99 Sit conclusio: Materia prima potest educi, aut generari, nam est indifferens ut producatur per hanc, vel illam actionem distinctam: ergo potest produci per actionem supernam, & indebitam; sic ut potest humanitas Christi. Licet autem educatur, semper manet cum illo, quod est ei essentiale, nempe cum existentia essendi primum subiectum, ut quid distinctam à forma: ergo, &c.

100 Obijcies 1. Materia prima, si educeretur, supponeret subiectum, ex quo educebatur: ergo non esset primum subiectum, vel subiectum sine subiecto. Resp. Supponeret aliud subiectum accidentaliter, concedo: supponeret aliud essentialiter, nego: nam nihil essentiale illi deesset; immo compatitur habere subiectum per accidens, cum per essentiam exigeret, non habere.

101 Obijcies 2. Si materia educeretur, esset forma, sed hoc diuinatus adhuc repugnat: ergo. Prob. Nam eius educatio esset informatio: ergo. Resp. distinguendo: Educatio, qua materia generaretur, esset informatio, qua ipsa educatio informabat materiam ipsam, concedo; qua ipsa materia prima informaret aliam materiam primam, nego. Sicut unio hypostatica est informatio unionis, respectu humanitatis, & non informatio verbi. Et unio duorum punctorum materiae non est informatio, qua unum aliud informet.

## DISPUTATIO III.

## DE FORMA SUBSTANTIÆ.

## SECTIO I.

## AN DETVR, ET QVID SIT.

102 **O**Mitto probare, dari formam substantialem. Ea supposita, sic cum Aristotele definitur: Ratio quidditatis, id est ultima ratio constitutus compositum, & distinguens illud ab alio; vel substantia incompleta actuans materiam.

103 Affero: Formam non esse totam quidditatem compositi. Prob. Ex Atanasio in Symbolo fidei aiente: Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus. Sed Christus non est solus Deus, neque solus homo: ergo nec homo est sola anima, nec sola caro.

104 Obijcies: Idem homo, qui fuit puer est senex: sed quando senex habet diuersam materiam, ac antea: ergo materia non est essen-

tia compositi. Confirmatur: Nam idem homo, qui viuit resurget, & non cum eadem materia: ergo non est de essentia. Resp. Idem homo, qui fuit puer est senex; idem moraliter, concedo; idem physicè, subdistingo: partialiter concedo; adæquate nego. Nam licet reputetur idem homo, qui antea erat, quia habet eamdem animam rationalem, & eamdem materiam partialiter; adæquate tamen non est idem, ob nouam partem materiae, quam habet de novo. Ad confirmationem resp. Idem homo, qui viuit resurget, cum eadem anima, & cum eadem materia, quam habet, dum moritur, concedo; cum alia materia, nego. Si autem duo homines habent eamdem materiam primam, quædo moriuntur, ad prouidentiam Dei attinet dare vauciique hominum materiam primam, ut resurgat, & tunc iam verificabitur, quod resurget; idem homo moraliter, licet non idem physicè secundum omnnes partes materiae.

## SECTIO II.

## DE MODO QVO FORMÆ SUBSTANTIÆ PRODUCUNTUR.

105 **O**mnes formæ sublunares materiales producuntur dependenter à materia. Prob. Nam omne, quod producitur ab agente naturali, generatur, & fit dependenter ab aliquo subiecto: ergo omnes pendent à materia.

106 Formæ accidentales de facto existentes etiam producuntur per generationem. Inter quas, aliquæ producuntur dependenter à materia prima, vel à quantitate, aut à toto composito; aliæ ab anima, ut actiones vitales, tam naturales, quam supernæ. Patet in uione cum Deo per actum charitatis: quæ qualitates generantur à subiecto.

107 Sit 1. conclusio: Formæ materiales, quæ de facto educuntur, possunt diuinitus creari. Prob. Nam non minus quantitas panis petit produci per generationem, siue dependenter à subiecto, quam formæ materiales: sed illa creaturæ: ergo etiam formæ possunt creari.

108 Sit 2. conclusio: Anima rationalis licet de facto creetur, potest diuinitus educiri. Prob. Nam licet petat creari, potest produci per actionem distinctam, sicut quantitas: ergo per educationem.

109 Obijcies 1. Illa actio, quæ educeret animam, non esset spirituallis; nam penderet à subiecto materiali animæ: ergo esset materialis. Deinde nec esset materialis, nam dependeret ab anima spirituali: ergo nequit educi. Resp. Esse materialem, nam specificaretur à termino imperfectiori, nempè à subiecto, sicut nunc homo est materialis à materia.

110 Replicabis: Major proportio requiritur inter actionem, & terminum, quam inter unionem, & extremum: ergo licet detur uno rei spiritualis non dabitur actio. Probatur antec. Nam de facto videmus, & experimur, dari unionem materialem rei spiritualis, & non videntur dari huiusmodi actionem: ergo maior proportione est inter, &c. Resp. Hanc replicam solum probare, dari de facto, & naturaliter hoc, & non dari naturaliter illud, non vero probat, non esse possibile: ergo, &c.

111 Obijcies 2. Si Deus educeret animam, posset tollere perfectionem essentialiem potentis creari, vel Deus eleuaret materiam primam ad recipiendam animam, sed hoc non potest. Prob. Nam solum datur eleuatio in rebus ad producendum: ergo non ad recipiendum. Deinde, ad illam eleuationem recipiendam debebatur alia, & sic in infinitum, &c. Resp. Posset tollere perfectionem, quae esset essentia, nego: quae essentialiter peteretur ab ea, concedo. Sicut accidentia eucharistica manent cum exigentia inherenti: sic anima maneret cum exigentia ad creationem. Præterea dico, materiam primam, ut causam materialem, tunc producere animam, & omne quod recipiet. Ad prob. dico, illam qualitatem elevatricem non prærequirere aliam, nam est ratio formalis. Sicut lumen gloriae non requirit aliud lumen ad eleuandum intellectum, quia est ratio formalis eleuandi.

## SECTIO III.

*AN EADEM MATERIA POSSIT SIMPL NATURALITER  
habere plures formas?*

112 Sit 1. conclusio. Implicant naturaliter duas formas substantiales in eadem materia. Prob. Nam forma corporeitatis est superflua. Prob. Nam sola materia prima organizata cum anima rationali constituit hominem distinctum a puro spiritu: ergo superfluit alia, &c. Prob. 2. Non una materia prima esset induplici specie substantiae completae, quod naturaliter repugnat: ergo, &c. Deinde una forma accidentalis potest dare subiecto esse quale, esse actum. Ergo anima etiam esse hominem, esset corpus, &c.

113 Sit 2. conclusio. Diuinitus possunt inueniri plures formas in eadem materia. Probatur, quia non repugnat: ergo, &c. Secundo, quia ad materiam ultimum dispositam, necessario sequitur forma; sed potest materia ultimum disponi ad secundam formam: ergo dabitur secunda. Tertio, nam in eodem loco diuinitus possunt esse duas quantitates: ergo in eadem materia duas forme substantiales.

Sit

114 Sit 3. conclusio. Vna sola forma substantialis diuinitus potest informare duplē materiam distinctam. Prob. Nam vna forma diuinitus potest esse in duobus locis: ergo in duobus subiectis, sicut totus Christus, qui est totus in 2. locis: ergo, &c.

115 Obijcies 1. Dantur naturaliter multæ formæ accidentales: ergo etiam substanciales. Resp. Materiam cum substanciali forma constitutere totum per se substancialē, & sic superfluit secunda forma, siquidem cum prima forma est iam ens per se constitutum; at verò formæ accidentales, vt sunt dispositiones, non constitunt totum per se substancialē, & sic possunt multæ inueniri, & ad disponendam illam plures sunt necessariae.

116 Obijcies 2. Quando homo moritur subito iectu, nulla tunc de nouo potest produci forma substancialis: ergo manet illa corporeitatis, quam in vita habebat; iectus enim est quod accidentale: ergo tunc non poterat producere formam substancialē nobam. Deinde nihil aliud esse potest causa illius: ergo. Prob. Nam accidentia omnino contraria disponerent ad formam cadaberis, nam unus moritur per nimium calorem, alter per frigus nimium: ergo vel manet forma corporeitatis, quæ erat in materia cum anima rationali, vel materia manet tunc sine forma.

117 Resp. Quod si non est causa naturalis, quæ producat formam cadabericam, Deus producit illam ad exigentiam subiecti. Ad illud, quod accidentia omnino contraria disponerent ad formam cadaberis. Resp. Nullam in hoc esse implicantium, quia forma cadaberica ingreditur propter absentiam formæ viuentis. Et cum absentia hæc possit prouenire à dispositionibus contrarijs, tales dispositiones, licet contrariae, disponent ad formam cadabericam.

118 Obijcies 3. Corpus hominis mortui idem est, ac corpus hominis viui: ergo si in corpore mortuo datur forma corporeitatis, etiam in viuo. Probatur antec. Nam alias non fuisset idem Corpus Christi Domini in sepulchro, quod est viuum: ergo cum eadem forma. Resp. Cum Lince; nomine corporis solum intelligi materiam primam organizatam; & cum in homine mortuo detur eadem materia organizata, quæ dabatur in viuo, datur idem corpus. Idem dic de Corpore Christi posito in sepulchro, quod fuit idem secundum materiam organizatam, ac erat in Christo viuo, licet non fuerit idem adæquate, & substantialiter sumptum pro materia & forma cadaberica.

119 Replicabis: si forma cadaberica fuisset in Christo introducta, eius corpus fuisset corruptum, & posset dici, Verbum diuinum asumpsisse formam cadabericam. Vnum est contra fidem, & aliud con-

tra Theologos: quod semel assumptum nonquam dimisit. Matrias respondet, non fuisse introductionem formam cadavericam, sed in triduo mortis durasse sine forma vila.

120 Resp. tamen, concedendo fuisse cadaver, nego tamen fuisse corruptum Corpus Christi; nam hic corruptio intelligitur conuersio substantiae in pulberem, vermes, &c. quod non erat in cadavere Christi. Ad illud, quod semel assumptum nonquam dimisit. Resp. Nihil dimisere eorum, quae pertinent ad formale humanitatis, nempe corpus, & animam.

121 Obijcies 4. In ferro cadenti experimur effectus formæ ignis: ergo datur forma ferri, & forma ignis in eadem materia. Resp. In materia prima æris occupantis poros introduci formam ignis, non verò in materia ferri, & sic nihil contra conclusionem.

122 Obijcies 5. Implicat, quod ex duplice forma, quælibet det primum esse: ergo nec diuinitus possunt dari. Resp. Quod quælibet forma substantialis daret primum esse in suo genere, ut forma hominis primum esse homini, & leonis primum esse leonis.

123 Obijcies 6. Si diuinitus possunt duæ formæ informare eamde materia, etiam possunt naturaliter. Prob. Nam alimentum, quod sumeret viues, quod esset homo, & leo, disponeretur naturaliter ad introducendam per nutritionem formam hominis, & leonis: ergo, &c. Resp. Quod in casu, in quo essent duæ formæ, sola una conuerteret alimentum in propriâ substanciali, quæ esset robustiorum qualitatū.

124 Obijc. 7. Quando duæ formæ accidentales sunt in eadem materia, valet: *Album est dulce; dulce est album;* ergo tunc valeret etiam: *Homo est leo; leo est homo,* quod est falsum. Prob. Quod valeret, nam in Christo valet: *Deus est homo; & homo est Deus;* ergo etiam, &c. Resp. Valere, quia concreta accidentalia dulcis, & albi dicunt subiectum in recto, & formam in obliquo, & sic faciunt hunc sensum; *Subiectum albedinis, est subiectum dulcedinis;* at verò homo, & leo, qui sunt concreta substancialia, in recto æqualiter dicunt materiam, & formam. Et sic, sicut non haberet homo eamdem formam ac leo, non valeret: *Homo est leo, & è contra; benè verò: Subiectum leonis est subiectum hominis.* Ad confirmationem resp. has prædicationes: *Deus est homo; homo est Deus* esse veras in ratione suppositi, non autem in alia ratione, nam cum suppositum dicat formalius subsistentiam, & sit eadem subsistencia hominis, & Dei, faciunt hunc sensum: *Subsistencia hominis est Dei, & Dei est hominis;* quæ prædicationes imitantur naturam concretorum accidentium; cum non dicant utramque partem in recto. Ut patet ex ipsis prædicationibus, ut supra explicantur.

## DISPUTATIO V. DE UNIONE.

## SECTIO I.

## AN SIT IDEM CVM EXTREMIS?

125 **C**ommuniter definitur vnio: *Vinculum physicum extremorum.*  
vel: *Modus intrinsecus, & physicè nectens extrema distincta realiter.*  
Diuiditur in integralem, & essentialem. Essentialis est illa, qua vniuntur partes essentiales. Integralis, qua vniuntur partes integrales, ut guttae aquæ.

126 Sit 1. conclusio. Vna vnio est sufficiens ad vniendam materiam cum forma, & formam cum materia. Prob. Nam est impossibile, quod forma vniatur materia, & quod perseveret hic modus affixus extremis, & quod vnum possit separari ab alio, quin ambo extrema maneat vnta: ergo, &c. Secundo vnio est vinculum extremorum: ergo ex vi vniuersi vnionis manere possunt extrema vinculata. Deinde, nam si duplex vnio requireretur, esset, quia debet vnio recipi in duplici extremo, & nequit vna recipi nisi in uno, sed hoc non requiritur: ergo, &c. Prob. Nam vnio hypostatica non recipitur in verbo, & illud vnit: ergo non requiritur, quod vnio recipiatur in quolibet extremo. Confirmatur; Nam ex eo quod vnio crearetur, non reciperetur in vlio extremorum, & vniret: ergo non requiritur, &c.

127 Obijcies 1. Si non requireretur vnio recipi ut perficiat; verbum perficeretur ab vniione, licet haec non fuisset in eo recepta. Resp. distinguendo: Perficeretur, si esset capax vlli perfectionis, concedo: Si non est capax, nego: habet enim tantam perfectionem, ut nulla ingredi possit, ad illud perficiendum.

128 Obijcies 2. Materia, & forma mutantur ab vniione: ergo dari debet duplex vnio. Vnio enim illa non mutat Verbum, & sic sufficit vna. Resp. Verbum non mutari, prouenire ex eo, quod est immutabile, & incapax; Vnde non prouenit immutatio, quia non recipitur vnio in eo, nam illud mutaret, licet non reciperetur, ut anima rationalis mutatur, licet in ea non recipiatur vnio.

129 Obijcies 3. Materia, & forma sunt duo principia intrinsecæ: ergo agent dupli causalitate: sed causalitas est vnio: ergo dupli agent vniione. Resp. attemperari, & fieri ad modum vnius; & sicut nec duas efficientes causas agent duobus actionibus, si attemperantur, sed una causant actione sic similiter.

130 Sit 2. conclusio: Vniq[ue] hominis est materialis, & recipitur in  
ma-

materia. Prob. nam cum hæc vnio producatur ab agentibus naturalibus, sit dependenter à materia, & recipitur in ea. Dices: Si hæc vnio est materialis, quomodo potest vnire, & intrinsecè tangere animam, quæ est res spiritualis? Resp. animam quasi materializari in materia, siquidem cum ea ordinatur ad totum materiale faciendum, & sic quid mirum, quod vnio sit materialis; In omnibus enim compositis naturalibus est dicendum, vunionem recipi in materia, à qua educitur, & extrahitur.

## SECTIO II.

## AN ACTIO EDUCTIVA FORMÆ SIT VNIO CVM MATERIA.

131 **D**ifficultas est, an actio, qua educitur qualibet forma materialis dependenter à materia, sit vnio talis formæ cum materia, ex qua educitur?

132 Sic conclusio: Actio eductiva formæ substantialis identificatur realiter cum vniione, per quam vnitur talis forma cum materia. Prob. Talis actio per semetipsam affigitur subiecto, & formæ: ergo est vnio illorum. Prob. Nam in primis illa actio est modus. Deinde per se ipsam respicit formam eductam in subiecto, ex quo educitur forma; sed quod est modus intrinsecè affixus duobus extremis est vnio eorum: ergo etiam talis actio erit vnio materiæ cum formæ.

133 Dicit Hurtado: Formam solum habere per educationem dependere à materia; non vero vniiri, nec informare materiam. Contra, quia formam informare materiam, est, esse formam communicatam, & affixam materiæ; sed hoc habet per actionem eductivam: ergo per talem actionem vnitur materiæ. Confirmatur, quia per educationem recipitur forma in materia: ergo per talem educationem vnitur cum materia, & informat eam. Confirmatur, quia per educationem est materia intrinsecè recipiens formam, & forma intrinsecè recepta in materia: ergo etiam informans materiam, & vniita cum illa.

134 Obijcies i. Si actio eductiva esset vnio, sequeretur, quod in secundo instanti, in quo Leo esset genitus, non esset idem Leo, qui erat in primo instanti; sed hoc est falsum: ergo quod actio eductiva sit vnio, est etiam falsum. Maior probatur: nam in primo instanti, in quo generatur Leo, pendet à Deo, & alio Leone per actionem, quæ est vnio inter materiam, & formam; & in secundo instanti solum pendet à Deo per aliam actionem: ergo iam habebit distinctam vunionem; sed vnio est de essentia: ergo, &c. Resp. distingo mai. Non esset idem Leo moraliter nego; physicè subdistingo; secundum partes, nempe secun-

dum materiam, & formam nego: Secundum vniōnem concedo. Et  
nego min. & conseq. Nam non est inconueniēs, quod Leo sit diuersus  
inadæquate; sicut homo, post quam est nutritus, est distinctus inadæ-  
quate à se ipso ante nutritionem, siquidem per nutritionem aget  
novas partes, quas non habebat antea.

135 Obijcīes 2. Illud producitur per actionem, quod immediatè at-  
tingitur ab illa: ergo materia prima producitur ab actione, siquidem  
ab ea attingitur immediatè. Resp. Illud producitur per actionem,  
quod attingitur ab illa, distingo: vt actio concedo, vt passio nego.  
Cum ergo actio hæc vt passio attingit materiam, non producit eam.

136 Obijcīes 3. Si actio eductiua esset vnio, etiam actio eductiua  
vniōnis humanae esset vnio talis vniōnis humanae: ergo daretur natu-  
raliter vniōnis vnio. Prob. Nam vnio humana producitur media edu-  
catione: ergo vnitur etiam per talem educationem. Resp. nego: Nam  
vnio hominis nec producitur per actionem distinctam, nec vnitur per  
vniōnem distinctam: sed hæc omnia per se ipsam facit.

137 Obijcīes 4. Si actio eductiua esset vnio, accidens posset migrare  
de subiecto in subiectum naturaliter: sed hoc est falsum: ergo. Prob.  
Nam accidens naturaliter loquendo variat agentia, & actiones, & si  
actio est vnio, etiam variaret vniōnem cum subiecto: ergo etiam va-  
riare posset subiectum. Probatur in calore producto à Sole, qui po-  
test conseruari ab igne, vel à solo Deo: ergo variat actiones, agentia,  
& subiecta. Resp. experientiam dicere, & docere, quod accidentia  
variant actiones, & agentia, quin varient subiecta. Accidentia enim  
pendent in produci ab hoc determinato agenti; non autem in conser-  
vari, nam possunt ab hoc, vel ab illo: ergo poterunt variare vniōnem,  
quin varient subiectum. Resp. Etiam, quod accidens solet esse aliquan-  
tulum distans ab accidenti producto; at subiectum nequit esse dis-  
tans ab accidēti, sed debet penetrari cum illo, & sic non poterit po-  
ni aliud subiectum, ad quod transeat.

## DISPUTATIO VI. DE PRIVATIONE.

### SECTIO I. IN QVO STENT CARENTIAE.

138 **C**ertum est dari carentiam, nam certum est dari non esse rei.  
Carentiae habent esse impropriè, nempè negatiuè. Carentia  
diuiditur in priuationem, & negationem. Hæc est carentia cum inap-  
titudine in subiecto, vt carentia visus in lapide. Priuatio est carentia  
cum aptitudine, vt carentia visus in homine.

139 Dices, quæ aptitudo requiratur ad priuationem? An aptitudo  
na-

naturalis; an verò essentialis? Resp. requiri naturalem. Prob. Quia non dicimus lapidem esse priuatum visione, sed esse negatum; & tamen, licet lapis non possit denominari videns, potest recipere visionem: ergo requirit priuatio aptitudinem naturalem in subiecto, ut recipiat formam. Confirmatur: Nam Aristoteles dixit, catulum canis habere negationem visus primis diebus post suam natuitatem, non alia ratione, nisi quia illis diebus non habet potentiam naturalem cum omnibus dispositionibus necessariis ad videndum naturaliter: ergo ad priuationem requiritur potentia naturalis ad habendam formam, qua caret.

140 Obijcies 1. Homo cœcus est priuatus visu, & non habet potentiam naturalē videndi: ergo hæc non requiritur ad priuationem. Prob. Nā homo cœcus habet dispositiones contrarias visui, ita ut miraculoſè posſit videre: ergo sine aptitudine naturali. Res. dici omnem cœcum priuatum visu, quia hic solum attendimus ad naturam hominis secundum se consideratam, non verò si attendamus ad dispositiones contrarias, quas habet, quia si ad has dispositiones attendatur, potius habebit negationem visus, quam priuationem.

141 Sit 1. conclusio. Non omnis priuatio distinguitur essentialiter à negatione, sed accidentaliter. Prob. Quia carentia visus in catulo canis est negatio illis primis diebus naturalibus, & postea est priuatio: ergo solum accidentaliter distinguntur.

142 Sit 2. conclusio. Respectu eiusdem formæ possunt dari multæ priuationes in multis subiectis, quia ab uno potest deficere priuatio, & non ab alio: ergo, &c.

143 Obijcies 1. Res solum habet unum esse: ergo respectu illius solum datur unicum non esse, idest carentia. Confirmatur: Unicum esse Petri sufficit ad oppositionem cum carentia Petri: ergo unum non esse sufficit ad oppositionem cum Petro. Resp. Idem, & unum esse, esse rei; multa tamen subiecta carent illo indivisiibili esse, & sic respectu unius plures dantur carentia.

144 Sit 3. conclusio. Respectu eiusdem termini non dantur multæ carentiae in eodem subiecto. Prob. Quia existenti una carentia formæ, non existit forma: ergo sola una carentia est sufficiens, ut non existat forma, & sic aliæ erunt superflue. Confirmatur: Nam non existente forma, est omne illud, quod opponitur contradictione cum forma; sed hoc datur, ex eo quod detur solum una carentia: ergo non dantur multæ carentiae in eodem termino respectu eiusdem formæ.

145 Obijcies 1. Carentiae se habent instar modi: ergo sicut modi non solum variantur ratione subiecti, & termini, sed etiam variatio-

ne cause producentis; ita carentia variabitur ratione cause: ergo si etatio, quæ prodicitur ab *viii*, ari est quæ ab alia proclicitur; ita nec carentia. Consernitur: Nam in eodem homine existunt simul multa peccata successiæ commissa, inducita carentia gratiæ: ergo dantur plures carentiæ eiusdem gratiæ. Resp. negando antec. Nam licet dentur multi modi respectu viius effectus, non tamen dantur multæ carentiæ; & sicut, licet detur sola una forma, potest successiæ produci per diuersos modos, sive actiones; ita una, & eadem carentia erit introducta à multis causis.

146 Ad confirmationem resp. Verum esse in eodem subiecto existere simul multa peccata successiæ commissa; non tamen ita, ut omnia peccata carentiam gratiæ inducant quoad efficaciam, sed solam quoad sufficientiam, quia per primum peccatum est inductæ carentia gratiæ, quæ est carentia oportita cù qualibet gratia sanctificante, & per alia peccata solum inducitur talis carentia, quoad sufficientiam, licet induceretur quoad efficaciam, si antecedenter non esset. Sicut prima lux aëris expellit tenebras ab aëre quoad efficaciam, secunda tamen quoad sufficientiam solum.

## SECTIO II. QVÆDAM DUBIA EXAMINANTVR.

147 **S**ic 1. conclusio. Dantur carentiæ extra subiectum. Prob. in carentijs, quæ ante mundum dabantur absque subiecto, & in carentia alterius Dei, quæ existit independenter ab omni subiecto, nam semper daretur talis carentia, impossibili omni subiecto.

148 Sit 2. conclusio. Non datur carentia carentiæ, nec negatio negationis in eodem subiecto. Prob. Nam si daretur, maximè in hominе, in quo non datur negatio rationalis, & sic datur negatio negationis: sed non datur talis negatio: ergo. Prob. Nam homo per ipsum rationale est oppositus cum negatione rationalis: ergo non requirit aliâ negationē ipsius negationis. Prob. Nam implicat, quod homo sit rationalis, & non expellat per semetipsum negationem rationalis: ergo non datur negatio talis negationis. Prob. Nam eo quod existat homo, non existit illud cum quo contradictoriè opponitur: ergo si ita est rationalis cù negatione sui, eo existente, non existit talis negatio.

149 Obijcies: In homine non datur carentia rationalis: ergo debet dari carentia talis carentiæ: sed hæc debet esse distincta ab ipso rationali, siquidem rationalis non est carentia, sed quid positivum: ergo. Resp. Vbi non datur carētia debet dari carentia talis carentiæ, si pro carentia intelligas aliquam rem positivam contradictoriè op-

positam cum carentia concedo: Si intelligas aliam carentiam distinctam à repositina nego, & etiam reliqua, negans semper, quod ipsum rationale non possit gerere vices carentiz, idest rei oppositæ cum negatione rationalis; si enim hoc munus gerere possit, ad quid carentia illius negationis?

150 Instabis: Non esse bruti, quod datur in homine, est quid distinctum ab ipso homine: ergo non esse negationis rationalis, quod datur in homine, erit carentia talis negationis distincta ab ipso homine. Resp. concessio antec. negando conseq. Quia homo, quatenus non est brutum, opponitur contradictoriè cum bruto, & cum unum ex extremis debeat esse negatio, & hoc non habeat homo per semetipsum, indiget negatione à se ipso distincta; at verò cum homo opponatur contradictoriè cum repugnantia rationalis, & ipsa repugnantia iam sit quid negativū, non requiritur alia carentia distincta, sed ipse homo cōtradictoriè per semetipsum cum tali carentia oppositus sufficiet.

151 Obijc̄ies 2. Homo habens visum habet carentiam cæcitatis, quæ cæcitas est carentia visus: ergo in eo datur carentia carentiæ. Resp. Homo habens visum habet carentiam cæcitatis, idest habet visum ipsum per semetipsum oppositum ipsi carentiæ cæcitatis, concedo: habet carentiam cæcitatis distinctam ab ipso visu, nego: & sic concedimus, talem hominem videntem non habere cæcitatem, sed ad hoc nihil distinctum requiritur præter suum visum.

152 Instabis: Si non cæcitas esset visus, maximè, quia visus opponitur contradictoriè cæcitatib; sed hæc ratio est nulla: ergo non cæcitas debet esse priuatio cæcitatib; Mi. prob. Nam licet cæcitas expellatur positivè per visum, tamen non expellitur negatiū: ergo ut negatiū expellatur, requiritur carentia cæcitatib;. Resp. distingo antec. Cæcitas non expellitur negatiū per visum, idest ipse visus non est negatio cæcitatib; propriè, & per se loquendo, concedo: non negat, & excludit cæcitatē, licet non sit negatio, nego: & sic non datur noua carentia.

153 Obijc̄ies 3. Ante mundum dabatur negatio omnis entis positivi, & negatiui: ergo negatio negationum, quæ nunc existunt, & tunc non existebant. Confirmatur: In lapide non datur visus, nec cæcitas; sed in lapide datur negatio visus: ergo etiam datur negatio cæcitatib;. Resp. nego antec. Nam ante mundū in dabantur omnes carentiæ creaturarum, & sic non dabatur carentia alterius carentiæ.

154 Replicabis: Antequam Petrus existat non datur cæcitas Petri: ergo datur carentia cæcitatib; sed hæc est carentia: ergo, &c, Resp. Antequam Petrus existat non datur cæcitas Petri, secundum quod

cæcitas Petri dicit in recto, concedo: secundum quod dicit in oblique, nego: & nego conseq. Nam cæcitas Petri dicit in recto entitatem Petri, & in obliquo carentiam viſſionis causatam ab aliquo impedimento, & sic ante mundum non datur cæcitas, secundum quod dicit in recto; bene verò secundum quod dicit in obliquo, siquidem datur carentia viſus.

## DISPUTATIO VII. DE TOTO.

## SECTIO I.

*AN TOTVM DISTINGVATVR A PARTIBVS, ET VNIONE?*

155 **S**COTUS, & alij aiunt, totum non solum esse partes simili sumptas cum vnione, sed aliquid amplius. Alij negant hoc.

156 Sit 1. conclusio. Totum nihil aliud est, nisi partes simili sumptas cum vnione. Prob. Nam materia, forma, & vnio simili sumptas, non sunt partes: ergo totum nihil aliud est quam partes cum vnione. Dicunt, præter partes simili sumptas, dicere totum quamdam totalitatem distinctam ab omnibus partibus. Contra; nam vel hæc totalitas est pars totius, quod constitueretur ex illa totalitate, & materia, & forma, vel non est pars compositi, sed compositum? Si est pars constitutens totum cum materia, & forma, & vnione, iterum interrogo: vel compositum resultans est materia, & forma, est illa totalitas, vel aliquid amplius? Si primum: ergo si illud compositum non distinguitur à totalitate, & totalitas, tunc est pars, totum non distinguitur à partibus: Si est compositum illa totalitas: ergo includit aliam totalitatem, & illa aliam, & sic, &c. ergo, &c.

157 Confirmatur: Nam vel totalitas hæc vnitur cum partibus, vel non? Si non, quomodo cum eis constituere potest totum? Si vnitur: ergo ex ea, & partibus resultat aliud totum distinctum: ergo hoc debet habere aliam totalitatem, & hoc aliam, &c. Prob. Nam posito corpore, anima, & vnione, ponitur principium sensationis, & discursus: ergo ponitur totum, omni alio sublato, independenter à totalitate distincta ab illis: ergo, &c.

158 Sit 2. conclusio. Totum distinguitur inadæquate à partibus seorsim sumptis. Prob. Nam homo, nec est solum corpus, nec sola anima, &c. Ergo qualibet pars seorsim sumpta non est homo: ergo distinguitur à qualibet seorsim. Prob. Nam tunc aliquid distinguitur ab alio realiter inadæquate, quando in se includit entitatem realen-

dis-

distinctam ab illo alio: sed totum includit entitatem realiter distinctam à qualibet parte seorsim sumpta: ergo distinguitur, &c.

159 Obijcies 1. Arist. ait. Bis tria non sunt sex: & alibi, silaba bona non est B, & A: ergo totum non est partes. Resp. loqui: Bis tria materialiter non esse sex formaliter; quia sex formaliter, præter bis tria, dicit actum numerantem. Et etiam *ha* non esse B, & A, solum, sed B, & A, cum sua coniunctione, vel vnione.

160 Obijcies: Omnis causa physica distinguitur à suo effectu, sed materia, & forma sunt verè, & realiter causæ physice compositi, influendo in illud realiter: ergo distinguntur à composito realiter. Resp. Omnis causa physica distinguitur à suo effectu, omnis causa physica extrinseca, concedo: intrinseca subdistingo, debet distingui ab effectu adæquate nego: inadæquate concedo, quia licet materia, & forma sint causa intrinseca prout inter se vniuntur, tamen non distinguntur à composito adæquate, sed inadæquate secundum vniōnem, quam includit compositum, & quæ non participat rationem causæ.

161 Si autem replices: Partes cum vniōne constitut̄ compositum, & illud causant: ergo partes sic distinguntur à composito. Quidam respondent, quod partes cum vniōne non causant, sed sunt ipsum totum; bene verò partes media vniōne. Alij, quod causæ extrinsecæ distinguntur ab effectu, non verò causæ intrinsecæ, & causalitas simūl, quia istæ causæ causant effectum, se intrinsecè communicando ipsi effectui. Alij tandem, quod partes, & vniō simūl, non debent distingui à composito causato, quia cum partes causent media vniōne, constituendo adæquate totum, & constitutivum adæquatum rei non debet distingui ab ipsa re, quod partes, & vniō non distinguntur à composito, & sic quod non debet dari distinc̄ inter causam intrinsecam adæquatam, & ipsum effectum, licet debeat dari inter extrinsecam, & effectum: Elige solutionem.

## SECTIO II.

### ARGUMENTA PROPONUNTUR CONTRADICTA.

162 **O**bijcies 1. Materia prima non est causa sui ipsius, animæ, & vniōnis: ergo alicuius distincti, quod includat compositum. Prob. Nam pars vniata est pars alicuius: sed non sui, nec aliarum partium: ergo totalitatis distinctæ à partibus simūl, &c. Resp. distingo: Non est causa sui ipsius, formæ, nec vniōnis secundum se, concedo: prout ex omnibus his constituitur compositum, nego. Nam vt sit  
cau-

causa compositi sufficit, vt illud componat cum alijs partibus; nam vt aliqua pars ingrediatur in composito, non requiritur quod se componat, nec aliam partem, sed totum à quo distinguitur inadæquate.

163 Obijcies 2. Homo redditur viuens ab anima: ergo prædicatum viuentis, quod habet homo, distinguitur ab omnibus partibus simùl sumptis. Prob. Nam homo est viuens corruptibile, anima incorruptibilis: ergo distinguitur, &c. Resp. Prædicatum viuentis, quod habet homo, est corruptibile secundum illud, quod dicit de forma viventi, aut de materia, qua redditur viuens ab ea, nego. Secundum vñionem, quæ est coniunctio vitæ cum materia, concedo. Nam homo præcissè dicitur corruptibilis propter vñionem, sicut etiam dicitur mortalis propter eam.

164 Obijcies 3. Si Petrus v. g. non distingueretur à partibus simùl sumptis esset diuersæ speciei à Paulo, quod est falsum. Prob. Nam vñio, quam includit Petrus, est prædicatum specie distinctum ab vñione Pauli. Hoc ita prob. Nam ab hac, & illa vñione Petri potest abstrahi ratio vñionis distincta ab hac, & illa vñione Pauli. Sed talis ratio præcissa non est genus, &c. ergo species. Resp. 1. Retorquendo sic: Christus in quantum homo includit prædicatum subsistentiæ specie distinctum ab alijs hominibus, & etiam includit vñionem hypostaticam: ergo Christus non est homo eiusdem speciei cum nobis, quod est contra Theologos.

165 Respondet Lince, Christum secundum naturam humanam, iam esse eiusdem speciei cum nobis, nam secundum illam non includit subsistentiam. Contra nam secundum illā includit vñionem hypostaticam specie distinctam ab alijs: ergo distinguetur per idem, ac Petrus in tua sententia. Resp. nunc ego, Petrus distinguetur à Paulo in specie, distinguetur secundum quid, nempè secundum vñionem concedo: distinguetur adæquate entitatiè secundum materiam, aut formam, aut aliam partem sui constitutiuam, nego, in quo nullum est absurdum.

166 Inferes ex hoc, compositum distingui specie ex eo quod eius materia, vel formâ specie distinguatur ab altera alterius compositi. Prob. nam variato constituiuo specifico rei, variatur specie res constituta: ergo variata, &c. Probatur etiam; nam variata forma satis patet variari compositum, variata materia, etiam variatur, nam licet transisset materia vnius compositi ad aliud, tamen hoc compositum in individuo dicit hanc materiam numero, & hanc formam, & vñionem: ergo etiam compositum in specie dicet hanc materiam, hanc formam, & hanc vñionem specie: ergo, &c.

## SECTIO III. ALIOVA DVBLIA SOLVUNTUR.

169 Sit 1. conclusio. Possibile est compositum constans materia, & forma spirituali. Prob. Nam nullam imboluit repugnantiam: ergo. Dices: imboluere contradictionem, quod sit materia, & sit spiritualis. Contra, ratio formæ contrahibilis est ad materialem, & spiritualem: ergo ratio materiae. Secundo: non repugnat compositum ex omni parte materiale ut Leo: ergo nec aliud ex omni parte spirituale. Deinde, datur suppositum spirituale ex parte naturæ, & subsistentiæ: ergo poterit dari compositum spirituale ex omni parte.

170 Obijcies 1. Spirituale est incorruptibile. Illud compositum esset corruptibile: ergo non esset spirituale, sed corporeum. Resp. Apud multos, Cœlos esse incorruptibiles, & constant materia, & forma: ergo licet hoc constaret materia, & forma esset incorruptibile, sicut Cœli. Resp. etiam, non esse de essentia cuiuscunque spiritus esse incorruptibile, nam gratia sanctificans est spiritus, & passim corruptitur, & etiam vno hominis in sententia aliquorum hoc habet.

171 Obijcies 2. Forma talis compositi non egeret materia. Insuper esset talis materia imperfectior anima, quia non esset discursiva. Deinde esset perfectior: nam ordinaretur ad totum spirituale, & anima ordinatur ad totum materiale, & corporeum constituendum: ergo. Resp. 1. Adhuc egere talem formam materia ad plures actus, sicut nunc anima eget ea ad actus visionis, auditionis. Resp. 2. Esse perfectior in una ratione; absolute tamen esse imperfectiorem; perfectior ut constitueret totum spirituale, & imperfectior absolute ut est discursiva anima. Sicut cognitione, ut vitalis est perfectior lapide, ut accidens absolute imperfectior.

172 Sit 2. conclusio. Possibile est corpus completem omni modo simplex carens compositione partium, sicut de facto est Angelus completus sine partibus. Probatur sic: Inter entia spiritualia datur unum ens incompletum ut anima, & aliud completum carens partibus, ut est Angelus: ergo etiam inter materialia poterit dari unum incompletum, ut materia prima, & aliud completum. Confirm. Nam sicut nunc de facto completur materia per formam distinctam ab illa, ita substantia per subsistentiam distinctam: sed hoc non obstante est possibilis substantia per se ipsam subsistens: ergo etiam corpus per se ipsum completum, & simplex, carens partibus.

173 Obijcies 1. Implicit corpus incapax omni forma accidentalis: ergo etiam implicit corpus incapax omni forma substantiali. Resp. nego conseq. Nam Angelus est capax formæ accidentalis, & non est capax substantialis: ergo male arguitur.

174 Obijcies 2. Illud corpus nec esset sensitivum, nec vitale: ergo impossibile est. Arriaga concedit antec. Nego tamen illud cum Lin- ce; nam talè corpus posset viuere, & sentire, licet sensus illius corporis essent specie distincti à sensibus, qui de facto dantur. Ex dubijs, & solutionibus quælibet sententia est satis probabilis. Vide in Obiedo has duas difficultates eruditè exaustas.

## LIBER II. PHYSICORVM.

Aristoteles incohatus hunc librum agendo de natura in ordine ad motum, & illam distinguendo ab arte, & sic agemus hic.

### DISPUTATIO VIII. DE NATVRÆ, ET ARTE.

#### SECTIO I. QVID SIT NATVRÆ, ET QVIBVS CONVENIAT.

175 **D**lus solet dici natura naturans, idest producens alias natu- ras; essentia solet dici natura rei: solet sumi pro cursu re- rum naturalium, ut quando dicimus iuxta naturam rerum; sumitur etiam pro temperamento viuentis, & pro nativitate hominum.

176 Sit 1. conclusio. Natura in sensu in quo hic sumenda est defini- nitur: *Principium motus, & quietis eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens.* Per particulam *motus*, intelligitur productio, vel re- ceptio alicuius rei, per quam substantia mutetur. Per particula *quietis*, non significatur parentia motus, sed conseruatio termini, per quem fuit mutata substantia: particula *&*, non sumitur copulatiuè, sed dis- junctiuè; nam Cœlum non est principium quietis, nec terra in cen- tro motus, & sic *motus, vel quietis* dicendum est. Particulæ: *eius in quo est;* denotant, quod natura debet esse pars intrinseca alicuius entis na- turalis; qua propter non conuenit ratio naturæ Deo, & Angelis. Di- citur *primo, & per se, & non secundum accidens*; nam natura non debet esse pars, ut cumque, vel accidentalis compositi naturalis, sed deber esse pars essentialis, siue primario constitutiva illius.

177 Sit 2. conclusio. Materia, & forma conuenit ratio naturæ. Prob. Nam utraque habet proprietates, quas producit, & recipit. Deinde sunt in composito naturali, quod constituunt, tamquam partes essen- tiales: ergo.

178 Sit 3. conclusio. Ad rationem naturæ sufficit, quod sit princi- piū passivum. Probatur ex Aristotele: Natura aut est subiectum, aut subiecto inest: ergo. Hinc colliges, unionem non esse naturam, nam non

non est principium motus, & quietis, nec constituit ut pars ens naturale, sed ut nexus.

179 Obijcies 1. Artefactum potest esse principium passivum motus, sed non est ens naturale, ut patet in orologio: ergo. Resp. Est principium passivum primò, & per se motus, ut est ens artificiale, nego; ut est ens naturale, concedo. Ad illud de orologio respondetur, motus illos si non proueniunt aut à natura ut natura est, sed ab artifitio, eorum, principium non esse naturam, quia non conuenit primo, & per se, sed secundum accidens.

180 Obijcies 2. Si materia esset natura, nullus esset motus violentus, nam nihil esset contra naturam, nam nihil est contra materiam. Resp. negando; quia licet materia secundum se nullus sit motus violentus; formis tamen violentus est, ut calor formæ aquæ.

## SECTIO II.

### DE MOTV VIOLENTO, ET AN POSSIT DEV'S VIOLENTARE Creaturas?

181 **V**iolentum est, quod est à principio extrinseco, passo vim non conferente, sed potius repugnante, ut patet in aqua, in eius violenta calefactione; aqua enim quæ est passum non confert vim, imò resistit. Violentia positiva est in lapide sursum impulso, cuius violentia est qualitas positiva sursum impellens contra eius naturam, lapide ipso vim non conferente, imò resistente. Negativa est impedimentum detinens illud, ut in centrum cadat. Et nota, quod licet Deus lapidem grauitate priuaret, adhuc ascensus esset violentus, licet atque non resisteret, adhuc enim esset contra inclinationem, tunc enim transferret Deus arma, quibus sua inclinatio inefficaciter defendebatur; non tamen inclinationem ad descensum.

182 Sit conclusio. Deus potest violentare creaturas. Probatur in lapide à solo Deo sursum electo, quod est contra inclinationem lapidis, qui non respicit autorem à quo prouenit motus, sed motum talerum esse contra eius naturam: ergo. Prob. Nam Deus operatur contra appetitum elicitum, v.g. in Damnatis: ergo potest etiam contra innatum in alijs.

183 Obijcies 1. D. Thomas ait, naturale esse uniuersique rei posse in quamlibet aliam transmutari: ergo. Deinde ait Patiens: *Deo operanti nihil resistere*: sed ad violentiam requiritur resistentia: ergo. Resp. ad primum voluisse dicere, quod euilibet creaturæ ex conceptu suo con-

venit posse trasmutari in aliam per potentiam obedientialem; sicut aquæ conuenit potentia obedientialis, ut diuinus possit producere calorem, & hoc non tollit, violentari posse per huic actum: ergo. Ad Paulum resp. nihil resistere Deo cum victoria, vel retardando concursum Dei; non verò se inclinando in oppositum, quod est violentati.

184 Obijcies 2. Aqua ascendens per fistulam non patitur violentiam, quia ascendit ad replendum vacuum in fauorem vniuersi, licet sit contra eius specialem naturam: ergo licet aqua recipiat calorem non violentabitur, si cædit in obedientiam Dei vniuersalis agentis. Resp. nego antec. Nam aqua tunc violentatur, & æque grauitat, ac si non iret ad replendum vacuum.

185 Instant: Quando homini inminet aliquod periculum, ut non pereat caput, exponit brachium: & deinde quilibet homo debet ponere suam vitam, ut non pereat respublica, cuius est pars, & deinde eleuatio pedis fit ob obedientium voluntati imperanti: ergo licet hæc omnia fiant contra inclinationem specialem, tamen non sunt violentia, quia superior finis ita iubet: ergo nec aqua dum Deus ita iubet, & facit. Resp. Etiam hæc omnia inducere violentiam, quia semper est malum brachio secundum se laedi, sed fit quia minus inconueniens est, quod laedatur brachium, ac caput, nam hoc laesso, cætera membra ruent, idem de homine. Ad illud de pede etiam dico, quod talis elevatio est physicè loquendo violenta pedi, licet non ut talis reputetur, nam fit iuxta voluntatem hominis, cuius est pars subordinata. Sed melius respondeatur, non fieri violentiam in his, quia prouenit ab intrinseco suppositi, & non ab extrinseco.

### SECTIO III. DE ARTE.

186 **S**ic cum Aristotele definitur: *Habitus recta cum ratione factius*  
Opus artis est duplex vnum naturale, factum per media arte disposita, ut salus hominis. Aliud artificiale, ut artificium cathedra. Est dubium, an ad opera naturalia facta ex arte concurrat physicè, aut moraliter.

187 Sit 1. conclusio. Ars solum concurrit moraliter directiù ad talia opera. Prob. Nan solum concurrit dirigendo mentem artificis, & non physicè producendo effectum, ut patet in arte medica, quæ non physicè sanat, sed instruit mentem medici ad remedia aplicanda: nam potest contingere, quod producatur salus quando non existit medicus: ergo tunc solum moraliter producit eam.

188 Obijcies 1. Ars chimica potest facere aurum: sed est opus na-

acta: ergo. Resp. Dirigendo ut applicentur actua passiuis, concedo: physicè, & effectiù, nego.

189 Obijc̄es 2. Aristoteles ait, quod statuæ Dedali erant factæ speciali arte, ita ut ambularent huc, & illuc: ergo. Insuper Egyp̄ij arte magica faciebant serpentes. Deinde arte fuit facta columba ab Archit̄a, quæ volabat: ergo physicè concurrit ars ad hæc opera. Resp. ad hæc negando efficienter concurrere artem, sed fieri à Dœmonibus docentibus actua, & passua media, quæ immiscenda erant. Vel potius non erant in re serpentes, aut columbæ. Sed solum quoad hominum sensus, quos Dœmones fallebant, ita ut talia intueri viderentur. Vel similia corpora aliundè transportabant Dœmones, sed non erant vera facta ab arte.

190 Dubium est, in quo sit forma artesacti Arriaga possuit eam partialiter in vocationibus, aut præsentijs. Cōtra, nam mouens statuam, sequeretur, producere in ea nouam formam ob nouam præsentiam, & vocationem, quod est falsum: ergo, &c.

191 Sit 2. conclusio. Forma artis stat in coniunctione partium inter se, ut imperant regulæ artis. Hæc conclusio est iuxta illud de forma logica. Et probatur conclusio sic. Nam in tantum res est artesacta, in quantum est iuxta regulas artis, & in tantum non, in quantum aberrat ab illo, quod imperat, & præcipit ars: ergo forma artis stat essentia liter primario in hoc.

DISPUTATIO IX. DE CAUSA IN COMMUNI.

SECTIO I. QVID SIT.

192 **C**AUSA est species quædam principij. Apud Fonsecam causa est: *Id à quo aliquid penerit*. Cōtra, nam conuersio totius pendet à parentia formæ præexistentis, & tamen talis parentia non est causa talis conversionis. Proprietates metaphysicæ etiam pendent ab essentia, & non est causa earum: ergo. Apud Thomistas est: *Id ad quod aliud sequitur*. Contra: ad Patrem Aternum sequitur Filius: ad unum instans aliud: ad priuationem terminus, & tamen illa non sunt causæ istorum: ergo non stat causa in hoc.

193 Apud Arriagam est: *Id quod per se influit in essentiam producendo illam*. Contra, nam producens quantitatem, & subsistentiam est vere causa productiva, & non producit essentias, nam quantitas non est essentia rei, nec subsistentia: ergo non producit essentias. Respondent, quod qui producit quantitatem, & subsistentiam iam producit essentiam

tiam quantitatis, & subsistentiaz, licet non essentias termini quanti, & subsistentis. Contra: licet relatio Filij diuini habeat essentiam propriam relationis, Pater producit relationem, & non producit essentiam, nec dicitur causa relationis: ergo nec producens quantitatem, vel subsistentiam influet producendo absolute essentias.

194 Apud Suarez causa est *principium influens esse in aliud*, & ait, quod non convenit Patri æterno, nam non influit in aliud *neutraliter*, siquidem Filius diuinus non est *aliud*, quia non differt in essentia, & natura à Patre æterno. Contra, nam qui influit in quantitatem, vel subsistentiam Petri verè influit in aliud: ergo si Pater æternus influit in substantiam filij, verè influit in aliud.

195 Sit conclusio. *Causa est principium influens, esse in sua natura defectibiliter*: per ly *principium conuenit cum Patre æterno*, qui est *principium Filij*, & cum priuatione, quæ est *principium mutationis*, & non sunt causæ: per ly *in sua natura defectibile difert à Patre æterno* qui non est causa, quia Filius non est defectibilis, ad distinctionem cuilibet effectus creati, qui habet naturam defectibilem.

196 Obijcies 1. Potest ab æterno produci effectus in æternum duraturus: ergo. Resp. quod intrinsicè, & ex natura sua erit defectibilis, quod sufficit, licet à decreto Dei sit indefectibilis. Obijcies 2. Visio qua beatus videret reflexe ipsam visionem duraturam in æternum esset indestructibilis, nam non posset falsificari talis visio, quia superna: ergo. Resp. concedo esse indefectibilem, sed non essentialiter, & intrinsicè, nam ex natura sua talis visio non petebat essentialiter produci, sed erat indifferens ut produceretur, vel non, & sic accidentaliter advenit suæ naturæ produci: hoc sufficit ut intrinsicè non sit indefectibilis, ab existentia scilicet; licet post quam sit producta essentialiter peteret conseruari, de quo in Theologia.

197 Nota causam diuidi in *intrinsecam*, & *extrinsecam*: in *intrinsecam* ut in *materialem*, & *formalem*: in *extrinsecam*, ut in *finalem*, & *efficientem*; item in causam in *actu primo*, & *secundo*: quarum constitutiva, in sequentibus questionibus sunt examinanda.

## SECTIO II.

### DE CAUSA IN ACTU PRIMO, ET IN ACTU SECUNDO.

198 **C**AUSA in actu primo est ipsa entitas rei considerata secundum virtutē productiua alicuius effectus, ita ut si ista virtus est cum omnibus requisitis, ut operetur, dicatur in actu primo pro-

ximo, si non sit cum omnibus necessarijs vt operetur, dicitur in actu primo remoto. Causa in actu secundo est, quando entitas causæ consideratur cum actualitate actionis tendentis in effectum.

199 Sit 1. conclusio cum Obiedo: Causa in actu primo constituitur per virtutem intrinsecam, per quam potest producere effectum, & non per actionem possibilem. Prob. 1. Nam illud constituit causam in actu primo, quod constituit illam in esse virtutis intrinsecæ productiuæ, sed non constituitur virtus productiuæ per actionem possibilem, sed per se ipsam: ergo licet sit conditio, quod actio sit possibilis, non erit essentia causæ in actu primo causatiuæ: sicut rationale ut potens discurrere est quid distinctum ab omni cursu possibili: ergo virtus causatiua non constituetur per actionem possibilem, quæ est effectus causæ.

200 Sit 2. conclusio. Causa in actu primo proximo constituitur per virtutem habentem omnia requisita ad præbendum esse effectui. Prob. Nam licet detur entitas causæ, si desunt requisita necessaria ad operandum, non est in actu primo proximo. Patet in voluntate, quæ non est proximè potens amare, dum caret notitia obiecti per cognitionem. Sed quæ sint requisita necessaria? Resp. Esse approximationē ad passum, applicationem omnipotentiæ ad operantem, & carentiam impedimentorum, ut patet in igne, qui licet sit applicatus passo, si hoc est viride, non operabitur statim, nam non datur carentia impedimentorum.

201 Sit 3. conclusio, Causa in actu secundo constituitur formaliter per causalitatem. Prob. Nam causa in actu secundo est virtus causæ ad actum reducta: sed in hoc esse formaliter constituitur per actionem: ergo. Confirm. in oculo, qui in esse actualiter videntis constituitur per visionem.

202 Obijcies 1. Causa in actu secundo est actio actualis: ergo causa in actu primo est actio possibilis. Resp. Quod sicut causa in actu secundo actuali est actio actualis, ita in actu secundo possibili est actio possibilis; sed non in actu primo. Et sic concessio antec. nego cōseq. Quia in actu primo est virtus, non verò actio. Obijcies 2. Licet causa in actu secundo sit causa actionis constituitur per illam: ergo licet causa in actu primo possibili sit causa illius, constituetur per eam ut possibilem. Resp. Causam in actu secundo reduplicatiuè non esse causam actionis, sed esse ipsam actionem, bene verò specificatiuè; causa verò in actu primo est causa illius.

## SECTIO III.

DE PRIORITATE INTER CAUSAM, ET EFFECTVM, ET DE  
existencia, quam requirit causa.

**203** Prioritas datur duplex: rationis, & est quæ datur dependenter solum ab actu intellectus; realis est, quæ datur independenter ab illo. Datur etiam prioritas temporis, prioritas naturæ, & originis. Tunc res est prior tempore alio, quando præcedit illud in aliquo instanti, ut Adamus respectu Eux: naturæ est, quando unum extreum dat esse alteri, & est independens à dependenti, ut Sol respectu lucis, cui dat esse in eodem instanti. Originis est, quando unum dat esse alteri, cum quo ita connectitur, ut nequeat esse aut intelligi, nisi cum illo; sic actio est prior origine termino, & Pater aeternus est prior origine Filio diuino.

**204** Sit 1. conclusio. Omnis causa propria est prior natura suo effectu. Prob. Nam omnis effectus est dependens à causa, quæ independet ab eo: ergo. Et licet causæ ut tali reduplicatiæ sit essentialis hæc prioritas naturæ, non tamen est essentialis ipsi entitati specificatiæ, quæ est causa, nam saltim diuinitus poterat existere Sol quin produceret lucem, & sic erit essentialis causæ, non vero entitati causæ secundum se sumptæ.

**205** Sit 2. conclusio. Prioritas in actu secundo causæ respectu effectus stat in actione media, qua causa producit effectum. Et probatur: Nam & quod causa sit prior in actu secundo effectu, debet actu producere effectum: sed per actionem actu sit producens: ergo stat in actione prioritas hæc. Obijcies: Causa est prior actione: ergo actio est posterior causa: ergo nequit facere causam priorem in actu secundo effectu. Resp. nego ultimam conseq. Nam licet causalitas sit posterior causa, bene potest constituere causam in esse prioris respectu effectus, in quantum actualiter producit effectum, & cum actio det ei producere, dabit prioritatem.

**206** Circa 2. partem. Sit 3. conclusio. Causa finalis non requirit existentiam Physicam respectu effectus. Probat. nam nec salus existit, nec consequitio gloriæ, & non obstanti sunt causæ finales mediorum, quæ physicè ponuntur pro illis, & sufficit, ut in intentione resideat, ut voluntatem moueat ad positionem mediorum.

**207** Obijcies: causa formalis, & materialis nequeunt absque existentia causare: ergo nec finalis. Nego consequent. nam illæ causant per modum, vel unionem, quæ nequit esse sine re cuius est modus; finis

nis vero causat apprehensus mouendo voluntatē, & sic non requirit physicè existere, immo causat media quæ factura sunt, ut existat finis.  
208 Sit 4. conclusio. Causa efficiens nequit producere effectum quin existat quando influit. Probatur 1. nam causa, quæ numquam extitit non potest causare effectum apud contrarios: ergo nec quæ de facto non existit, licet extiterit, nam utraque æqualiter caret existentia de facto. Respondent sufficere, quod in instanti antecedenti extiterit causa. Contra: nam non sufficit per vos, quod in instanti subsequenti sit extitura: ergo nec, quod in antecedenti. Contra 2. nam si in illo instanti, quo non existit, & cessat, potest causare, cur non etiam in reliquis in quibus non existit? Probat. 2. conclusio; nam actione, qua debet influere, est modus essentialiter pendens à causa, & termino, & tam essentialiter actio est modus causæ, ac effectus, sed nequit esse sine effectu: ergo nec sine causa. Probatur 3. nam materia prima nequit recipere formam si non existit, quia pendet receptio à materia, nec forma expelere contrarium, si forma expelens non est: ergo nec causa efficiens causare.

209 Obijcies 1. Sacraenta physicè non existunt, & physicè causant gratiam. Multi negant antec. Ego permitto, & resp. quod semper causant ratione alicuius, quod physicè existit ut in Sacramento Penitentiae gratia causatur, quando profertur ultimum verbum absolutionis. Instant. Adultus, qui cum peccati mortalis obice baptizatur non recipit gratiam, usque quo per contritionem auferatur peccatum, & tunc causat in eo baptismus transactus gratiam, sed tunc nihil existit baptismi: ergo, &c. Resp. cum plurimis, tunc moraliter solum causare eam, non physicè.

210 Obijcies 2. Agens potest causare effectum, quin existat ubi effectus: ergo quin existat absolute. Resp. quod licet non coexistant in loco, iam verificatur quod coexistunt. Obijcies 3. Homo moritur, quando non existit: ergo iam causa physicè operatur, sine existentia. Resp. hoc non esse operari, sed causare ab operari, & ab existere; quod negat existentiam.

## SECTIO IIII.

DE APPROXIMATIONE INTER AGENS, ET PASSUM  
ad operandum.

211 **S**it prima conclusio. Omnis causa naturalis de facto existens nequit operari in distans, quin aliquid operetur in medium. Prob. Nam omnes habent naturalem sphaeram, & certam distantiam,

vitra quā non possunt transgredi naturaliter: sed si possent in distans operari, quin in medium operarentur, non astringerentur certa, & determinata sphaera: ergo. Prob. mi. Nam alias nihil obstaret ut operarentur in qualibet distantia, & sic præsens ignis vreret stupam Romæ, & gauderet priuilegijs intellectus, cui non taxatur sphaera. Prob. secundo experientia: Nam si interponatur corpus opacum, & densum inter agens, & passim, nihil operaretur agens, sicut nec visio si mediatis paries. Nota non requiri, quod in medio causet agens, idem, quod in distantia. Sufficit enim quod aliquid agat, ut Sol in distans agit aurum, in medio lucem, & calorem productivos auri.

212 Obijcies: Acerbus carbonum accensorum maiorem calorem producit in loco propinquu sibi, quam sola superficies: ergo carbones, qui sunt intra acerbum producunt extra, calorem quin per medium illum producant; siquidem carbones medij non sunt æque accensi. Resp. Carbones interiores etiam infundere calorem in carbones mediantes licet sint iam accensi, nam per horum poros transmittat calor, quem illi gignunt, & ideo virtus illa est fortior, quia est unita vua cū alia, & isti corroborantur ab illis ad vim combustivam.

213 Sit 2. conclusio. Agens naturale potest diuinitus in distans agere, quin aliquid agat in propinquum: Nam in hoc nulla appetet repugnantia. Prob. Nam approximatio est tantum conditio: led Deus potest suplere conditiones, & dispositiones omnes: ergo. Obijcies contra 1. conclusio. 1. Ignis producit calorem in aqua lēbetis, quin producat illum in profundo lēbetis: ergo. Resp. quod licet ignis non producat calorem in profundo lēbetis propter maiorem densitatem aquæ, & propter robustiorem frigiditatem, quæ illic resideret, tamen producit calorem per latus lēbetis, & sic semper agit in propinquu, ut agat in distans.

214 Obijcies 2. Magnes atrahit ferrum à se distans, quin agat in aëre medio: & piscis torpedo lēdit brachium piscatoris, quin aliquid agat in medio: ergo. Resp. In his exemplis, & in Basilio etiam necante hominem distantem, semper aliquid operari in medio, siquidem qualitates nocibas per aërem semper immitunt, siquidem si interpositum esset illic corpus resistens, non lēderent: ergo est signum quod vagantur per aërem medium.

### SECTIO V.

*AN DVÆ CAVSÆ POSSINT SE AD INVICEN CAVSARE.*

215 **N**on est dubium de finali respectu efficientis, nam est certū, quod media sunt causa efficiens finis, & finis sit causa merdi-

diorum. Solum ergo est de vna efficienti respectu alterias in plurimis esse: taliter, quod unus ignis pro lucat aliam, & ostendat illi primam esse, & illud aliud præbeat isti etiam primam esse. Non ergo quoad secundam productionem, quia hoc apud me diuinus potest contingere.

216 Sit i. conclusio. Nulla causa præbeatis existentiam suo effectui, potest recipere primum esse à suo effectu. Prob. Nam nulla causa efficiens potest producere effectum, quin præexistat cum aliqua prioritate ante effectum: ergo nec quin concipiatur præexistens effectui. Sed nulla causa potest accipere esse ab effectu non existenti: ergo in primo esse non possunt se ad invicem producere. Prob. quia in quo cunque esse in quo effectus pendet à causa, supponit illam existentem: ergo producta: ergo nequibit producere causam à qua pendet.

217 Respond. non posse causare se in uno duas res in eodem genere causæ, benè vero in diuerso, & sic materiam dicunt causare formam in genere causæ materialis, & formam materiam in genere causæ formalis, siquidem illi dat existentiam. Contra, nam sequeretur, quod materia prima esset existens antequam esset. Prob. Nam adhuc ut causa causeret, requirit existentiam: ergo ut forma causaret materiam, debebat esse existens. Sed antequam forma causaretur à materia existenti, non esset existens: ergo esset existens antequam esset. Contra deinde, nam nihil potest concurrere ad producendum aliud, quin communicet illi existentiam, per quam existat: sed eo præcisè quod illi communicet existentiam, iam habet illam, antequam sit effectus: ergo nequit accipere existentiam ab effectu.

218 Obijcies 1. Actus charitatis in instanti in quo urget præceptum diligendi Deum, est causa ut in illo instanti conserbetur gratia: sed etiam in illo instanti gratia est causa talis actus charitatis; nam est principium omnis meriti: ergo. Deinde actus contritionis, quo aliquis disponitur ad gratiam, est prior respectu gratiae, ut disponit ad illam, & est posterior ipsa gratia, ut producitur ab illa: ergo una res potest esse prior, & posterior alia in diuerso genere. Resp. Tunc non esse gratiam principium illius actus charitatis, sed auxilium extrinsecum, vel aliud principium supernum transiens. Idem dico de actu contritionis.

219 Obijcies 2. Ignis, qui introducitur in ligno, producit calorem ut octo in ligno, nam est eius proprietas physica, & sic producitur ab igne: atqui hic calor ut octo producit etiam aliquo modo ignem, siquidem disponit ad illum: ergo ad invicem sunt cause. Resp. quod illæ proprietates, quæ sunt dispositiones ad formam, non producuntur in sua prima existentia, vel esse à forma, ad quam disponunt, sed

solum ab illo agente, quod producit formam, vel ab alia causa: & sic distingo antec. producit calorem ut octo in sua productione prima, nego: pro alio tempore quo conservatur calor in igne, concedo.

220 Sit 2. conclusio. Duæ causæ possunt se mutuo producere in secunda productione. Prob. Nam non repugnat, quod diuinitus reproducentur duo ignes. Obijcies. Implicat quod una res sit prior, & posterior respectu alterius: ergo ruit conclusio. Resp. distingo, per eamdem actionem, concedo: per distinctas, nego.

## SECTIO VI.

## AN VNA RES POSSIT SE IPSAM REPRODUCERE.

221 **S**it conclusio contra Suaristas. Non potest res se ipsam reproducere. Prob. Nam omnis causa debet esse independens à dependenti, & debet dicere relationem realem ad effectum: sed hæc repugnat in una re respectu sui: ergo, &c. Probatur in Patre aeterno, cui Theologi ponunt distinctionem à Filio, præcisè quia est principium illius, & ideo etiam refertur: ergo.

222 Respondent hoc verum esse de principio, aut causa naturaliter producente; non verò per eleuationem, & diuinitus producente. Contra, quia eleuatio non tollit, hoc quod est dare esse. Sed dare esse asert relationem, & distinctionem, quæ omnia inter rem, & se ipsam repugnant: ergo non tollit repugnantias. Confirm. Nam nec diuinitus una res potest vñiri cum se ipsa, nec penetrari cum se ipsa, ob distinctionem quæ mediatura est: ergo nec produci etiam ob eamdem rationem. Deinde non posset esse talis res causa materialis, nec formalis sui ipsius. Non materialis, quia non posset recipere se ipsam, nec formalis nam non posset se informare, nam ad hoc petunt vñionem, & vñio petit distinctionem. Confirmat. 2. Nam posset contingere, quod ego possem esse Pater mei, possem enim me generare, quod est esse Pater.

223 Obijcies 1. Possem ego attemperari cum Deo ad mei productionem secundam, & ego essem causa inadæquata partialiter me causans, sicut forma est compositi, & Pater aeternus Filij. Hic enim solum partialiter distinguitur à Patre. Resp. quod cum formâ sit intrinseca compositi causa, sufficit quod vniatur materia, & communiceatur illi ut coalescat compositum; id non valet in me; nam ego essem causa efficiens mei, & sic mihi essem extrinsecus. Nam hæc est lex causæ efficientis, & sic non valet paritas. Sicut neque valeret; forma

naturaliter hoc agit: ergo ego naturaliter possum cum Deo etiam me agere aut producere. Ad aliud de Patre xterno. Resp. stare pro nobis, siquidem Pater non distinguitur à Filio secundum essentiam, sed secundum Paternitatem, & ideo non est principium secundum essentiam, sed secundum Paternitatem: ergo si secundum essentiam non est principium, nam secundum hanc non distinguitur, nec potest distingui, & solum secundum Paternitatem est, quia secundum hanc distinguitur, est signum, quod non compatitur cum identitate esse principium efficiens.

224 Obijcies 2. Vna cognitio se ipsam potest noscere: ergo vna causa potest se ipsam producere. Retorqueo, hoc est naturaliter: ergo & illud. Resp. Cognitionem esse reflexibam non verò causam ut patet in Deo, qui se noscit, & se non producit, nec potest.

## SECTIO VII.

*N*AN IDEM EFFECTVS POSSIT SIMVL PRODUCI  
à pluribus causis totalibus.

225 **C**AUSA totalis in actu primo est, quæ habet virtutem totalem ad productionem effectus, absque eo quod egeat concausa, quæ præster aliquid virtutis. Causa totalis in actu secundo est, quæ actu operatur tali actione, quæ se sola sufficiat producere totum effectum.

226 Sit 1. conclusio. Duplex causa quarum vtraque habet sufficientem virtutem, ut absque adiutorio alterius producat effectum, potest ab alia coadiuvari, ut attemperatæ ambæ ad modum vnius, producant per eandem actionem. Prob. quando duo ignes simili producent attemperati alium ignem, quem vterque poterat solus producere. Prob. 2. Nam calor primo productus ab igne solum; postea potest conservari ab igne, & à Sole: & duo corpora luminosæ simili producunt eamdem lucem in eodem loco: ergo res quæ secundum se solas possunt agere, agunt ut totales in actu primo.

227 Sit 2. conclusio. Naturaliter nequeunt duæ causæ totales producere eundem effectum per duplicem actionem totalem distinctam. Prob. Nā sicut naturaliter vnu corpus, solum potest, & petit occupare vnum locum, sic effectus petit vna actione extrahi. Sit 3. conclusio. Non implicat diuinitus hoc. Prob. Nam diuinitus vna materia potest terminare duas formas totales: & etiam quando Episcopus cum ordinandis profert verba consecrationis, si in eodem instanti

proferantur, verificantur influxus totales distincti, simùl in eundem effectum: ergo diuinitus possunt duæ causæ per duas actiones totales producere eundem effectum.

228 Obijcies 1. Talis effectus penderet à talibus causis, & non. Prob. In primis penderet ab una causa; deinde non penderet ab illa, nam ab alia totaliter penderet: ergo est incompatibile pendere ab alia; alias non totaliter penderet ab illa, siquidé totaliter ab una pendere, negat aliam distinctam ab illa. Resp. quod idem, & totus effectus pendet ab una causa totali; non verò ab una sola, sed totaliter ab una sola, quia sufficienter ab illa, & totaliter ab alia sola, quia etiam sufficienter ab illa, si maneret sola ipsa, & eius actio: & sic dicendum totum effectum totaliter produci à duplice causa totali per duplē actionem totalem, non verò produci ab una totaliter, ita ut excludat aliam totaliter producentem.

229 Obijcies 2. Causa quæ causat simùl cum alia non est totalis; ergo ruit questio. Resp. distingo antec. Si causat cum alia ad accipendum ab illa aliquid virtutis, quod deficiat, non est totalis in actu primo, & in actu secundo concedo: si habet æqualem virtutem cum illa ac sine illa, & licet producat cum illa, producit per actionem totalem independentem à concausa associante, non est totalis, in actu primo, & secundo, nego.

### SECTIO VIII.

#### AN OMNIPOTENTIA CONNECTATVR CVM POSSIBILIBVS.

230 **D**ari connexionem, & non relationem transcendentalem dixerunt vni. Alij dari relationem transcendentalem, & non connexionem. Alij dari vtrumque.

231 Sit 1. conclusio. Omnipotentia dicit relationem transcendentalem ad creaturas possibles. Prob. Nam omnis virtus productiva refertur essentialiter ad rem cuius est productiva: ergo omnipotentia refertur ad creaturas transcendentaliter; sicut potentia visiva ad terminum. Prob. Secundo: Nam in omnipotentia dantur eminentiæ inter se distinctæ distinctione obiectiva, aut formalí propter terminos, respectu quorum sunt productivaæ tales eminentiæ; sed non distinguuntur, nisi quia eminentia Petri refertur ad Petrum, & eminentia productiva Pauli, ad Paulum, ita ut hæc non respiciat Petrum, nec illa Paulum: ergo si omnipotentia est aggregatum omnium eminentiarum, respiciet trascendentaliter terminos omnium eminentiarum, qui sunt creaturae possibles. Tertio: Nam causa nequit concipi sine or-

ordine ad illud, quod potest causare: sed hic est ordo transcendentialis: ergo. Confirm. Nam si non, maximè quia impossibili causabili, vel causato, impossibilitaretur causa; sed adhuc hoc non sequitur: ergo. Prob. in carentia alterius Dei, quæ dicit ordinem ad alterum Deum, qui est impossibilis, & ipsa est possibilis, immo & existens.

232 Sit 2. conclusio. Omnipotentia non dicit connexionem essentiali cum possibilibus. Prob. ex D. Thoma afferente, quod convenientius est dicere, quod impossibilia non possunt fieri à Deo, quam quod Deus non potest facere ea: ergo in omnipotentia semper manet virtus, licet ex parte termini deficiat possiblitas: ergo impossibilibus creatarum, adhuc absolutè non deficeret omnipotentia. Prob. secundo: Nam actus dicit relationem transcendentalem, ad obiectum, v. g. *Petrus currit*, ad Petrum currentem, siquidem illum representat ut currentem, & potest contingere, quod non currat, & non deficit actus representans eius cursum, licet deficiat cursus, ad quem refertur transcendentaliter: ergo licet omnipotentia dicat ordinem transcendentalem ad creaturas possibles, non dicit connexionem. Probatur tertio: in aqua, quæ dicit exigentiam ad frigiditatem actualem, per quam est perfectibilis, & refertur trancendentaliter ad illam, & tamen non connectitur. Etiam materia prima transcendentaliter refertur ad formam quam exigit, ut actu compleatur, & non connectitur, siquidem non deficit materia licet deficiat forma: ergo ex relatione transcendentali, non arguitur benè connexio.

233 Probatur 4. Nam omnipotentia ita debet concipi perfecta, ut perfectior alia excogitari nequeat: sed hoc non esset, si connecteretur: ergo. Probatur mi: Nam perfectior est omnipotentia, quæ corruente possibili entium producibilitate, adhuc duraret; quam quæ di lapsis his, dilaberetur etiam; hoc enim redolet dependentiam supremi ab infimo. Probatur 5. Nam omnipotentia non est productiva possibilitatis, sed actualitatis ut talis: ergo ratio essendi virtus productiva, si argueret connexionem, esset respectu actualitatis, respectu enim huius est virtus productiva. Atqui cum actualitate non est connexa: ergo.

234 Probatur 6. Nam licet scientia visionis referatur transcendentaliter ad creaturas existentes, non cum eis connectitur essentialiter: ergo omnipotentia, licet sit virtus possibilium, illa produget, si sint possibilia aut producibilia. Prob. conseq. Nam si nunc chimera redideretur possibilis, Deus posset illam producere: ergo in Deo quantum est ex sua parte semper indelebiliter, floret vniuersalis virtus ad omnia. Tandem quia in Deo datur virtus ad primam mundi produ-

ctionem; sed ista ut prima impossibilis est nunc; siquidem, iam non potest primò produci: ergo ad impossibile potest dati virtus in Deo. Maior est certa; siquidem datur in Deo eadem virtus, quam habuit ante mundi productionem. Cætera sequuntur.

## SECTIO IX. ARGUMENTA CONTRARIA SOLVUNTUR.

235 **O**bijcies 1. Omnipotentia est virtus productiva possibilium; ergo his impossibilibus, sit impossibilis hæc virtus: ergo connectitur. Resp. Fit impossibilis, distingo: quantum est ex parte termini, concedo: quantum est ex se solum, nego: nam omnipotentia quantum est ex se dicit præcisè esse virtutem actiua producendi, & si deficit producibile, non deficit virtus actiua ex se, benè verò ex terminis.

236 Replicant: ergo manet in Deo virtus realis ad producendum impossibile. Distinguo: ad producendum impossibile, ut impossibile, & induens contradictionem nego; ad impossibile si forte redderetur possibile, & non repugnans ex se, concedo; & sic in omnipotentia semper permanet virtus quamlibet rem producendi, licet aliquando repugnantia proueniens à re obster. Confirmo hoc in meo rationali, quod adhuc de diuina potentia nequit primo producere discursum postquam produxit, quod prouenit ex parte discursus iam producti, & non ex parte rationalis.

237 Instant: ergo in Deo dabatur virtus productiva alterius Dei, qui etiam est impossibilis: & sic etiam dabatur virtus se destruendi. Nego, & dico disparitatem inter hoc impossibile, & alia esse, quod hoc non solum repugnat ex parte termini, sed ex parte agentis, nempe ex parte Dei veri, nam cum eo est oppositus, & aferit contradictionem cum potentia ex se, quam damus respectu aliorum impossibilium; alia repugnant solù ex suis proprijs prædicatis: istud verò ex suis, & ex Dei veri unitate, & necessitate. Deus enim ex sua natura est unus, & necessario existens, quod Deo deficeret, si alium Deum produceret, & sic se destrueret.

238 Obijcies 2. Decretum liberum Dei, & scientia visionis connectuntur cum futuritione, & existentia obiecti, & Deus cum non existentia alterius Dei, & cum carentia identitatis cum qualibet creatura; & ex hac connexione nulla sequitur implicantia: ergo nec ex connexione cum creaturis. Resp. Decretum, & scientiam quoad denominationem connecti cum obiectis; non verò quoad entitatem; siquidem nunc datur decretum, & scientia visionis quoad entitatem res-

pec-

pectu alterius mundi, sine eo quod alter mundus, sit existens vel futurus. Ad alia dico, esse disparitatem, nam si deficeret carentia alterius Dei, vel carentia identitatis inter Deum, & lapidem, redderet impossibilem ipsum Deum, & sic ne hoc sequatur, debet dici connecti cum his negationibus; sicut conceditur cum iustitia, immutabilitate: hoc tamen non sequeretur ex eo, quod creatura possibilis redideret impossibilis, & sic non valet paritas.

239 Obijcies 3. Impossibilitas creaturis, Deus nullum actum liberum posset exercere; siquidem deficeret materia supra quam: ergo non manere liber. Deinde nec posset esse iustus, nec misericors, &c. Resp. manere tunc liberum quoad entitatem, iustum, & misericordem; non quoad denominationem, & hoc esset ex affectu creaturarum.

240 Obijcies 4. Impossibili Leone non esset in Petro eadem negatio Leonis, quæ nunc datur; nam hæc est negatio Leonis possibilis, & veri: ergo negatio habet connexionem cum possibiliitate Leonis: ergo etiam causa cum possibiliitate effectus. Resp. distingo: non esset eadem negatio Leonis possibilis, & realis in re, concedo: eadē in re, nego. Quia semper esset verum dicere, quod Petrus non haberet identitatem cum Leone possibili, & reali, & sic semper maneret in Petro eadem negatio Leonis, sicut in omnipotencia maneret eadem virtus productiva cuiuslibet rei, quæ nunc est possibilis, licet talis res fieret impossibilis.

#### SECTIO X. ALIQUA DVRIA RESOLVNTVR.

241 Primum dubium est, an omnis ordo transcendentalis sit exigentia? Resp. negatiuè; & prob. Nam ordo actus ad obiectum non est inclinatio talis, ut actus esset violentus absque obiecto, licet propter desseatum obiectum, actus sit falsus: ergo dicit ordinem, quin dicat exigentiam. Probatur etiam in negatione anterioris Dei, & in priuatione formæ quæ dicunt ordinem ad suos terminos, quin dicant exigentiam. Probatur etiam in volitione inefficaci Dei respectu gloriae damnatorum, ad quam si diceret exigentiam, daretur gloria: ergo, &c.

242 Secundū dubium. An omnis exigentia sit connexio? Resp. negatiuè, & probatur: Nam aqua exigit frigiditatem actualiem, & non connectitur cum illa. Prob. antec. Nam exigit illud per quod completetur, & perficitur. Dices primo: Non exigere frigiditatem actualiem aquam secundum se consideratam, & ex sua entitate aquæ: sed solum exigere illam secundum suum conaturalem statum. Contra, nam ab eo exigitur frigiditas actualis respectu cuius est proprietas: sed solum est

proprietas frigiditas actualis aquæ secundū se sumpt̄, & non secundum statum conaturalem, nam secundum hunc statum est essentia: ergo exigitur solum ab aqua secundum se: sed non connectitur: ergo.

243 Dices 2. Aquam solum exigere frigiditatem sibi convenientem, præscindendo ab actuali, vel non actuali. Sed contra: nam id exigit aqua, quo posito perficitur, & quo ablato violentatur: Sed h̄c est frigiditas actualis: ergo hanc exigit. Insuper convenientia quam habet aqua respectu frigiditatis, non stat in entitate aquæ secundum se, nec in entitate frigiditatis, sed in actuali unione aquæ cum frigiditate, sicut convenientia materiæ in ordine ad formas stat in actuali unione materiæ cum forma, & non in entitatibus: ergo si frigiditas actualis est conveniens aquæ, exigit eam ut talem.

244 Tertium Dubium est: supposito quod Deus dicit ordinē transcendentalem ad possibilia, licet non connexionem, quid possibilia dicant ad Deum? Sit conclusio. Possibilia non solum transcendentaliiter referuntur ad Deum, sed connectuntur cum illo. Prob. Nam possibilia in suo esse essentiali sunt ens ab alio, nempè à Deo: ergo. Dices: Omnipotentia etiam est ad creaturas. Resp. Omnipotentiam non respicere illas tamenquam id à quo dependet, illæ verò respiciunt Deum ut principium necessarium à quo habent suum esse, & sine quo est impossibile ut existant, & possint existere; nam in statu possibili sunt etiam essentialiter potentia existere ab alio, nempè à Deo. Deinde sicut actio est impossibilis, impossibili eius principio, ita creaturæ, impossibili omnipotentia, quæ est earum principium.

245 Obijcies 1. Creaturæ ita sunt possibles, ut earum existentia excludat omnem contradictionem: ergo nulla sequeretur, & si esset impossibilis Deus. Resp. sequi, tunc contradictionem essendi Deum, & creaturam, nam essent à se, & non essent, quod est contradic.

246 Obijcies 2. Chimeram esse impossibilem est ita repugnare, ut afferant contradictionem, ex eo quod sua prædicata existerent, licet ex parte Dei detur virtus: ergo Petrum esse possibilem est, illius prædicata ita posse existere ut nullam inducerent contradictionem, etiam si Deus non existeret. Confirm. Nam idè non collitur in omnipotentia virtus ad chimeram, quia talis virtus non stat in prædicatis chimeræ: sed etiam possibilitas Petri non stat in prædicatis omnipotentiae: ergo maneret possibilis. Resp. Ideò præcissē, nego: idè, & quia talis potentia est omnimodè independens à prædicatis chimeræ, & magis perfecta sine connexione cum illis prædicatis, concedo; & distingo minorem: possibilitas Petri non stat in omnipotentia prædicatis, idest. Omnipotentia non est de suo constitutuo, con-

cedo: Omnipotentia non est aliquid essenti aliter peccatum à prædicatis Petri tamquam principium necessarium, per quid possilitas Petri, est reducibilis ad existentiam, nego. Nam semper possit illitas creatarum est cum ordine ad omnipotentiam, & dependet ab illa, cum præter non repugnantiam prædicatorum imbibat ens ab alio.

247 Quartum dubium est, an detur aliqua relatio transcendentialis, quæ sit connexio? Resp. in rebus creatis dari multas relationes transcendentiales arguentes connexionem, ut patet in visione respetu extremonrum; in actione respectu principij, & termini.

DISPUTATIO X. DE CAUSA EFFICIENTI.

SECTIO I. QVID, ET QUOTUPLEX SITILLA.

248 **O**Mitto impugnare duas definitiones causæ, & impugno solum illam, quæ ait causam efficientem esse, *principium extrinsecè influens in effectum*. Contra: nam intellectus intrinsicè recipit suos actus, quarum est causa efficiens: ergo non extrinsecè influit, sicut materia non extrinsecè influit in formam quam recipit, quia intrinsicè recipit. Respondent, intellectum ut est causa materialis actuum intrinsicè influere; non verò ut est efficiens, idest ut dans esse illis. Contra: Nam intellectus per eamdem actionem est efficiens, & materialis causa actuum (dico per eamdem actionem realiter:) ergo si per actionem, per quam est materialis causa, est efficiens, influxus utriusque erit intrinsicus. Deinde nam ut est efficiens, est productivus immaterialiter, siquidem est efficiens actuum vitalium: ergo intrinsicè.

249 Dices: intellectum præcisè ut est causa efficiens non exigere recipere intrinsicè suas operationes intellectivas. Contra: nam licet causa ut causa non operetur vitaliter, tamen non est de conceptu causa efficientis non operari vitaliter, & licet causa efficiens ut sic non sit causa invenientia, neque causa creata, tamen non est de conceptu causa efficientis ut sic, non esse causam creatam: ergo licet causa efficiens ut sic non requirat operari intrinsicè; tamen non erit de illius constitutivo generico essentiali, operari extrinsecè.

250 Sit conclusio: causa efficiens est *principium physicè productivum effectus*. Prob. Per principium conuenit cum omnibus causis, & cum Patre æternō: per particulas *physicè productivum* differt à finali, exemplari, &c. quæ moraliter producunt: & etiam à materiali, & formalí, quæ propriè non physicè producunt, sed constituant compositum; omnis enim elaboratio harum causarum stat in se communicare, & adhæredere; forma enim non producitur à materia, sed à causa efficienti de-

pendenter à materia; disert à Patre æterno per ly *in effectum*, nam Filius diuinus non est effectus Patris, id enim arguit deffectibilitatis imperfectionem.

251 Diuiditur sæpè causa in primam, & secundam: in vniuocam, & equivocam: in liberam, & necessariam, quorum essentias faciliter sciunt omnes.

## SECTIO II.

*AN CAVSA PRODUCAT ALIQUID, ET QUOMODO.*

252 **N**on defuerunt Autores afferentes causas secundas nihil producere, sed omnia produci à solo Deo, præsentibus tamen causis, quæ habebant ius ad tales effectum, & Deum producere calorem præsentis igne. Contra ex Genesi: *Germinet terra ervam virentem;* & ex Tridentino: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium nihil agere, sed se habere ut innanime instrumentum, anathema sit.* Deinde, nam Deus peccaret, & non voluntas, si Deus ad præsentiam voluntatis produceret consensum.

253 Difficultas est, an una substantia creata sit immediatè productiva alterius substantiæ, vel accidentis? Affirmo contra Thomistas. Probatur primo: nam accidentia possunt se ipsis immediatè producere alia accidentia, vt calor producit aliud calorem: ergo una substantia poterit immediatè producere aliam substantiam. Prob. Nam ideo colligimus unum calorem aliam producere, quia applicato subiecto calido ad lignum, producitur calor: sed etiam applicato uno subiecto calido ad lignum, producitur alia substantia nempè ignis: ergo etiam una substantia est immediatè productiva alterius. Confirm. Nam ceteris paribus perfectior est virtus immediatè productiva, quam mediata: ergo si accidentibus tribuitur, potiori iure debet tribuit substantijs.

254 Dices: virtutem immediatè operativam esse propriam substantiæ infinitæ, & sic non posse convenire substantiæ creatæ. Contra: nam non est ita propria substantiæ infinitæ, vt non conveniat accidentibus per vos: ergo & substantiæ. Deinde nam causa producens effectum debet esse tam perfecta, ac ipse effectus: ergo causa creata producens ignem, non possunt esse accidentia. Respódent quod illud quod est imperfectius, potest producere perfectius, non virtute propria, sed virtute alterius & que perfecti, vel perfectioris, & sic accidentia ignis producere aliud ignem virtute agentis & que perfecti. Contra: nam virtus, quam participant accidentia à substantia, nequit esse sub-

Substantia, nam iam una substantia immediatè produceret aliam. Deinde nec accidens, nam non esset àque perfecta causa ac effectus, sed immò naturaliter imperfectior: ergo. Respondent iterum, quod accidentia recipiunt à substantia aliquid virtualiter distinctum ab illis, per quod eleuantur ad producendam ipsam substantiam. Contra, nam adhuc cum illo prædicato virtualiter distincto, accidentis virtus non est tām perfecta, ac substantia, quæ causatur: ergo.

255 Obijcies 1. D. Thomas, & Aristoteles aiunt actiones debere esse inter contraria: sed contrarietas est in accidentibus: ergo actio productiva substantiarum prouenit ab accidentibus. Deinde Aristoteles ait, quod ignis non agit ut ignis, sed ut calidus: ergo calor est, qui agit, & non substantia ignis. Resp. Aristoteli, & Divum Thomam loqui præparativè, & dicere, quod antequam substantia ignis producat alium ignem, debet producere aliqua accidentia, quæ disponant materiam combustibilem, & sint contraria accidentibus præexistenteribus, non verò quod substantia solum producat ab accidentibus. Resp. ad aliud Aristotelis, debere intelligi, quod ignis quando agit, non agit solum ut ignis est, sed etiam ut est calidus, non verò quod substantia ignis non agat, & ita solvuntur reliquæ authoritates Aristoteli, & D. Thomæ, quæ solent hic aferri.

256 Obijcies 2. Sola accidentia sufficiunt ad destruendam formam materialem: ergo sola accidentia sufficiunt ad producendam illam. Probatur conseq. Nam accidentia non destruerent formam materialem, quam expellunt, si non producerent aliam, & è contra: ergo si se solis destruerent unam formam se solis producerent illam. Confirm. Nam illud quod est sufficiens ad alterandum aliud, est sufficiens ad destruendum illud: ergo si accidentia sufficiunt ad alterandam substantiam, etiam ad destruendam illam. Resp. distingo autem. Sufficiunt ad destruendam substancialm dispositiūe concedo: principaliter, & directè nego. Solum enim expellunt qualitates, & dispositiones necessarias ad conservationem formæ substancialis, & hoc est, quod requiritur, ut dispositiūe solum sufficiat ad destruendā substancialm: & hoc potest fieri absque eo quod sint virtus adæquatè productiva substantiarum. Ad aliud respondetur semper disponere ad effectiōem, non amplius.

257 Obijcies 3. Vermes generantur à putrefactione, quæ est accidens, & ignis à ferro cadenti, &c. ergo accidentia agunt substantias. Resp. negando ab accidentibus hæc produci; vermes enim tunc principaliter à Deo extrahuntur à causis ad exigētiā illius materiae proximè iam dispositæ; non enim est inconveniens recurrere ad Deum

ut Authorem naturæ, quando non invenitur alia causa naturalis, cui possit tribuit illa operatio. Ad aliud dico, quod in portis ferri continetur minutissima forma ignis, sustentata in materia aëris, & hæc est quæ agit.

258 Primum dubium: An accidentia possint partialiter cum substantia producere aliam substantiam? Resp. negatiuè, & prob. Nam substantia, quæ haberet virtutem partialem ad aliam substantiam iam haberet totalem sufficientem, saltim ad illam producendam, nam esset æque perfecta, ac substantia producibilis per illam, & tunc non posset accipere defectum virtutis ab accidentibus; ad quid ergo in cathegoria causæ accidens ponendum? Ergo poterit illa substantia aliam producere, quin concurrant in recto accidentia. Deindè, nam non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: ergo non sunt numeranda accidentia inter causas substantiarum. Deindè si semel admittatur, quod accidentia producant partialiter aliquam substantiam, ferè omnes substantiarum creatarum producerentur ab accidentibus, & cum actiones specificentur à causis, ferè omnes actiones per quas producuntur substantiarum, essent accidentia, quod est absurdum.

259 Secundum dubium, an substantia possit immediatè producere accidentia in se ipsa, & in subiecto alieno? Resp. affirmatiuè: Nam aqua producit frigiditatem in se, & in manu: ergo, &c. Dices: talem frigiditatem productam in manu non oriri à substantia aquæ, sed à frigiditate residente in substantia aquæ; nam si à substantia aquæ produceretur, licet esset calida, si esset substantia aquæ, infrigidaret manum, quod est contra experientiam. Resp. quod licet non infrigidet substantia aquæ, quando est calida, non prouenit ex defectu virtutis, sed quia impeditur à calore, quem habet aqua, & ipsa aqua, tunc potius connatur producere frigiditatem in se ipsa, quam in subiecto extraneo, & distinto.

### SECTIO III.

#### QVID SIT CAUSA TOTALIS, PARTIALIS, PRINCIPALIS, & INSTRUMENTALIS.

260 **C**ausa efficiens totalis est illa, quæ se sola habet sufficientem virtutem producendi effectum, sine consortio alterius causæ efficientis, & sic omnes causæ creatarum respectu Dei sunt causæ partiales, siquidem nullus homo habet virtutem producendi minimum effectum absque adiutorio, & consortio Dei: causæ creatarum dicuntur causæ totales quando, absque eo quod adhæreat eis alia causa creatarum

ta, se solis producunt effectum, ut unus ignis absque sole potest tota-  
liter producere alium: & causa partialis est, quando eget consortio  
alterius causæ creatæ ad operandum, ut oculus eget obiecto, tamquā  
concausa ad visionem. Causa partialis, una est naturalis, & alia instru-  
mental is: naturalis est, quæ sine eo quod eleuetur, habet virtutem par-  
tiale m producendi aliquem effectum, ut patet in oculo ad videndum:  
Causa instrumentalis est illa, quæ licet sit causa partialis alicuius effe-  
ctus, eget eleuatione ad illum producend um, ut patet in intellectu ad  
actum supernum, qui eget habitu eleuantè ipsum intelletum. Causa  
principalis sumitur ab aliis causis pro illa causa, q̄re ita concurrit ad  
producendum effectum, ut habeat virtutem à se netip̄, q̄i n̄ ab alia  
causa co m m u n i c e t u r , & in hoc sensu est causa principalis solus Deus,  
& omnes creature sunt causa instrumentales, siquidem habent virtu-  
tem deribatam à Deo.

261 Primum dubium est: an serra maleus, &c. Sint causa instrumentales, vel principales? Resp. serram secundum se sumptam semper esse  
causam instrumentalem, quia nūquam potest producere scissionem,  
aut alios effectus absque eo, quod eleuetur ab Artifice me lio impul-  
su; at verò si consideretur aggregatio resultans ex serra, & impulsu,  
iam constituitur causa principalis, siquidem in hoc statu possunt ab-  
solute produce effectum, quin eleuentur alio impulsu.

262 Secundum dubium est: an causa obedientialis ad effectus su-  
pernaturales identificetur cum entitate naturali? Resp. cum multis,  
identificari. Prob. Nam entitas intellectus concurrit ad productionē  
actuum supernorum: sed non concurrit, tamquam causa naturalis, si-  
quidem ut talis est impotens ad hos actus: ergo solum concurrit, ut  
causa eleuata: ergo ut obedientialis, & sic identificatur obedientia-  
le cum naturali.

263 Dices: intellectus solum producit actus supernos, quando est  
eleuatus: ergo non est causa instrumentalis, taliter quod causa instru-  
mental is identificetur cum sua entitate naturali. Contra, nam habi-  
tus supernaturalis solum est virtus, & principium elevans: ergo in-  
tellectus solum est principium eleuatum: sed hoc est potentia obe-  
dientialis: ergo hæc est identificata cum entitate naturali intellectus;  
sicut identificatur cum illa principium eleuatum. Sed est adver-  
tendum, quod licet intellectus habeat virtutem partiale m, & instru-  
mentalem producendi actus supernaturales, non potest producere tales  
actus, quovsque eleuetur per aliquid supernaturale.

264 Tertium dubium est: an potentia obedientialis eleuetur per  
aliquid distinctum, & receptum in entitate natura' i? Resp. primo,

potentiam obedientialem passiuam non eleuari per aliquid distinctū, vt patet in anima rationali, quæ eleuatur ad recipiendam gratiam, & in intellectu, qui eleuatur ad recipiendum habitum fidei, & tamen neque anima, neque intellectus eleuantur per aliquam entitatem receptam in anima distinctam ab ipso intellectu, gratia, & habitu fidei; at verò potentia obedientialis actua aliquando eleuatur per aliquid receptum in ipsa entitate naturali, vt videri potest in intellectu, qui eleuatur ad videndum Deum medio lumine gloriae, aliquando verò quin recipiat aliquid distinctum, sed solum per extrinsecam assistentiam omnipotentiæ, vt tenet probabilis sententia Theologorum.

## SECTIO IIII. DE POTENTIA OBEDIENTIALI.

265 **S**uppono sic definiri: Aptitudo rerum creatarum pro arbitrio agentis superioris eiusque auxilio ipsis indebito ad munus, quod naturali virtute, & concursu sibi debito, impleve nequirent. Una est potentia obedientialis quoad substantiam; alia quoad modum. Prima est, quando substantia effectus nequit produci absque eleuatione Dei; naturaliter enim non debet habere vires, vt potentia intellectus ad visionem beatam. Secunda est virtus producendi, non substantiam effectus (ad hanc enim requiritur naturalis,) sed modum producendi illam, ad hunc tantum petitur eleuatio. Sic ignis tantum habet hic potentia obedientiale quoad modum, ad ignem Romæ producendum, mediante distantia.

266 Sit conclusio. In qualibet entitate creata datur potentia obedientialis ad producendum aliud quemcumque effectum efficienter, quando effectus produci solet per actionem distinctam, item ad recipiendum illum; licet non reperiatur virtus ad producendam rem repugnantem, vel quæ per semetipsam producitur sine nova actione, vt est ipsa actio. Hec secunda pars conclusionis probari solet in tertio physico. Vbi probatur, nec diuinitus posse dari actionem actionis. Primum prob, experientia intellectus beati, qui eleuatur ad recipiendam visionem beatam, & experientia humanitatis Christi, quæ eleuatur ad recipiendum uniuersem hypostaticam: ergo.

267 Respondent, verum esse quod intellectus potest efficere supernaturaliter fidem, spem. Hoc tamen esse, quia habet virtutem incoheratam, quæ stat in posse, antea efformare circa ea obiecta actus naturales probabiles, non verò habent hanc virtutem alii res ad omnia superna, & sic non possunt eleuari. Contra; nam si ob hoc posset intellectus, sequeretur quod etiam quilibet causa naturalis sui effe-

ctus,

Etus, posset eum creare, nam si haber virtutem efficientem ad eum, iam habet virtutem incohatam. Secundo, nam non est verum habere virtutem incohatam ad terminum virtutis obedientialis, nam hic est, non Deus vt verus, nec fides vt reuelata vt cuncte, sed sub formalitate supernaturali, ad quod vt tale repugnat in creatura potentia, aut virtus naturalis adhuc incohata.

268 Obijcies 1. In qualibet re non datur potentia naturalis ad quoslibet effectus possibiles: ergo nec debet dari obedientialis. Resp. retorquens. Etiam ad superna non datur in illa re potentia naturalis: ergo nec obedientialis. Resp. ergo concesso antecedenti, nego conseq. Nam causa obedientialis operatur præcipue per virtutem omnipotentiae eleuantis, & cum haec sit ad omne producibile, causa obedientialis poterit producere omne producibile.

269 Obijcies 2. Intellectus adhuc de potentia Dei absoluta nequit amare, nam hoc est extra suam spheram naturalem: ergo non potest ad omnia. Respondet Arriaga, amare respectu intellectus esse effectum repugnantem, & sic nihil contra conclusionem; posse vero producere, & causare amorem, quin amet; sic se habet Deus respectu nostrorum actuum vitalium, quin ab eis denominetur viuens, licet denominetur producens.

270 Obijcies 3. Forma non habet potentiam obedientiale ad præstandum effectum formalem quemlibet, & cuiilibet, ut in anima rationali patet, quæ non potest præbere effectus formæ Leoninæ: ergo nec efficiens obedientialis. Resp. concedo antec. & nego conseq. Disparitas est, nam effectus causæ formalis est identificatus plenè cum causa formalis, & cum una causa formalis non sit identificata cum alia, nequit dare effectus alterius. At vero efficiens distinguitur à suo effectu.

271 Obijcies 4. Aqua fervens per calorem, quem haber, eleuatur naturaliter ad producendum calorem manu applicata: ergo naturaliter produceret, licet eleuaretur à Deo. Respondeo, nego maiorem: quia potentia obedientialis, quam habet aqua ad producendum calorem, est ad illum producendam diuinitus ut eleuata à Deo, quod non agit quando fervet; quia tunc non illa, sed calor in illa existens producit in manu calorem, & licet producat illa, producit naturaliter per id, quod viribus naturæ datum illi, & ab illa acceptum est.

## DISTPVATIOT XI. DE CAVSA EFFICIENTI INCREATA.

## SECTIO I.

AN CAVSA PRIMA CONCVRRAT IMMEDIATE CV M SECUNDIS.

272 **G**entiles Philosophi demonstrarunt dari causam primam, quia in creaturarum collectione nihil inveniebatur, quod non dependeret ab alio, excepta increata causarum causa. Certum etiam est, omne creatum in omni statu suo pendere à Deo, nam in omni conceptu suo omnia sunt ens ab alio, in produci, in produce-re, in conservari, &c.

273 Sit conclusio. Deus concurrit immediatè cum creaturis ad operationes illarum. Probatur, nam concursus, quo ignis producit calorem, immediatè prouenit à Deo. Probatur antec. Nam concursus, quo conservatur calor prouenit à Deo: ergo etiam quo produc-tur. Probatur antec. Nam ideo Deus conservat, quia per substra-tionem concursus potest impedire existentiam: sed etiam potest im-pedire primam productionem: ergo pendet in hac sicut in illa, &c.

274 Obijcies 1. Deus non concurrit ad effectus causæ formalis, & materialis: ergo non concurrit immediatè ad omne. Resp. distingo: Non concurrit in genere causæ materialis, & formalis concedo: in genere causæ efficientis nego; aliter enim esset Deus causa materia-lis, & formalis, quod repugnat eius completioni; concurrit tamen ut causa efficiens ad nos, & alios effectus, & hæc est necessaria per-fectio ipsius.

275 Obijcies 2. Ergo Deus est causa partialis, siquidem cum crea-turis immediatè concurrit ut operans. Resp. quod hoc non est im-perfæctio Dei, nam id habet, quia libere vult cooperari cum eis; non ob indigentiam, quam habet concausæ, nec ob defectum virtutis, quod esset imperfectio.

276 Obijcies 3. Deus non concurrit ad peccatum: ergo non con-currat immediatè ad omnes operationes. Resp. Non concurrit physi-cè, & ad entitatem physicam illius, nego: moraliter concedo. Hoc enim est concurrere suadendo, delectando, & se determinando. Po-tius autem determinatur à creatura.

277 Obijcies 4. Concilium ait: *Si quis dixerit non esse in potestate ho-minis malas vias suas facere, ita ut mala opera, Deus sit qui operetur propriè, & per se, & non permissti solum, anathema sit: ergo Deus nequit esse causa peccati adhuc secundum physicum illius, siquidem in illud propriè, & per se influeret: ergo ut causa propria, & per se.*  
Resp.

Resp. distinguendo ut supra nempè: Deus esset causa propria, & per se peccati physicè, concedo: moraliter, idest suadendo, & concurrendo ex complacentia speciali, nego. Et sensus Concilij solum est damnare dicentes, non esse in potentia hominis cesare à peccato, & dicentes Deum non concurrere ad opera bona; diuerso modo, ac ad peccaminossa; ad hæc enim permissiù solum concurrit, ut supra dictum est: ad illa tamen suadendo, alliciendo, & mouendo.

## SECTIO II.

*AN CAVSA PRIMA, ET SECUNDA EADEM ACTIONE  
producant effectum.*

278 **S**It conclusio cum communi: eadem est actio, qua creatura operatur, ac cum qua Deus concurrit. Probatur; nam actio creaturæ pendet à Deo per semetipsam; aliter daretur actionis actio, si penderet per aliam actionem: ergo per hanc producit Deus, & per hanc penderet creatura à Deo in produce. Respondet Ponce, non pendere à Deo vt actio ipsius Dei, benè verò pendet à Deo, quatenus egredi non possit à creatura talis actio, nisi Deus haberet aliam actionem, quæ est propria sui, & concomittans nostram; sicut quando duo portant lapidem, ita pender actio vnius ab alterius actione, vt non posset esse una absque alia.

279 Sed contra: nam omnis creatura est pendens per se, & immediatè à Deo: ergo si actio creaturæ est talis, debet per se ab eo pender, & non mediante alia actione; nam si actio nostra penderet ab actione Dei, quia non potest esse sine illa, nec actio Dei potest esse sine nostra, & sic etiam penderet à nostra. Deindè, nam actio Dei solius, nihil est aliud, ac volitio; hæc est ab æterno: ergo etiam effectus esset ab æterno: ergo vt hoc non dicatur, dicendum actionem Dei esse actionem creaturæ, & sic ruit absurdum dictum. Probatur etiam conclusio: Nam generatio prouenit à causa materiali, & efficienti, visio ab obiecto, & potentia: ergo, & eadem actio à me, & à Deo.

280 Obijcies 1. Actio specificatur ab agenti: ergo hæc actio esset duplicitis speciei à duplice agente diuersar spiecier, nempè à me, & à Deo. Confirmatur, nam esset vitalis respectu mei, & non esset vitalis respectu Dei: ergo eadem actio esset vitalis, & nō esset. Resp. 1. negando, hæc esse absurdum, quia idem calor potest produci ab igne, & à sole distinctis in specie. Resp. ad secundum: specificari à rebus distinctas speciei, non esse existere rem specificatam in distinctis specie-

bus, ut datur in qualibet vnione, &c. Solum enim sequitur habere esse in ordine ad distincta in specie, nam id est specificari. Resp. ad aliud, verum esse vnam rem non posse esse vitalem in se, & non vitalem in se, adhuc respectu diuersorum, benè verò potest vitaliter procedere ab uno, quin vitaliter procedat ab alio, & sic dicendum est, actionem meæ intellectonis vitalem esse respectu suarum causarum, licet non procedat modo vitali ab omnibus causis, nec denominet omnes causas viuentes, ut visio procedens ab obiecto, & potentia solum hanc denominat videntem, & viuentem, & non obiectum.

281 Obijcies 2. Ut amor noster sit liber, requiritur, quod positis omnibus requisitis possit voluntas amare, vel non amare: sed hoc non posset voluntas posita actione Dei, nam esset Deum ponere suam actionem antequam voluntas, & posita actione Dei esset ponere terminum: ergo non erit liber amor noster, si eadem actione vtimur Deus, & nos. Resp. Non producere Deum actionem, qua nobiscum concurrevit, antequam nos, eam producamus; sed eodem instanti, quo nos volumus, & quia volumus; habet enim Deus suam omnipotentiam in actu primo paratam, & voluntas dum operatur simili determinat omnipotentiam ut operetur: determinat inquam, & se, & omnipotentiam eadem actione vtpotè vtriusque, & ideo nostram Deus non destruit libertatem; nec talis actio se tenet ex parte actus primi, sed secundi, & ideo semper sunt principia libertatis omnino indifferētia.

282 Collige tandem, Deum concurrere ad effectus creatos immediate immidiatione virtutis, & immidiatione suppositi, nam concurrere ita, est concurrere per propriam virtutem immediate, & per proprium suppositum, quin intercedat aliud: sed nec mediat alia virtus, nec suppositum: ergo ita concurrevit.

### SECTIO III. AN DETVR PHYSICA PRÆDETERMINATIO.

283 Prater concursum generalem Dei, Thomistæ inveniunt aliud præviū, medio quo Deus præmonet creature ut operetur, & sic physica præmotio est quædā qualitas prævia, libere à Deo positæ, & necessaria ad quamcumque operationem, & connexa cum determinatione voluntatis, ad quam datur.

284 Sit conclusio. Physica præmotio est superflua in causis necessarijs, & in non necessarijs nociva libertatis. Quam ob rem non datur. Probatur prima pars, nam non requiritur ut causa creata pendeat aut subordinetur per illam ad Deum, siquidem, quæ maior dependentia, quam quod eadem actione causa, & Deus alligentur? Quæ maior sub-

ordinatio, quam pendere ab eo essentialiter in esse, fieri, & conseruari, & pendere à concursu omnipotentiae? Ergo si ad nihil istorum est necessaria, superflua est physica prædeterminatio in causis necessarijs. Deinde, nam apud Thomistas, potentia licet distinguantur ab anima satis dicuntur, depedere ab illa, ex eo quod non possint operari absque ea: ergo si dependent satis ab ea, quin ab ea præmoueantur, etiam causæ creatæ, quia nequeunt operari, quin concurrat Deus, satis pendebunt ab eo, absque auxilio præmonente. Amplius; nam si causa materialis, & formalis non eagent hac physica prædeterminatione cur efficiens? Amplius, nam ignis ex suis prædicatis sufficienter est determinatus, si applicatur ad comburendum: ergo, &c.

285. Respondent requirere adhuc causam efficientem hanc præmotionem, ut intrinsecè per illā applicetur effectui, sicut materia, & forma requirunt vniōnem ad hoc. Contra, nam nihil mirum de istis, quia sunt causæ intrinsecè influentes, neutiquam verò efficiens: ergo. Ignis enim applicatus stupæ absque ullo præmouente ex natura sua vrit, sicut corpus grane ex se descendit, quæ omnia determinantur per suas actiones, & per carentiam impedimentorum.

286. Secunda pars conclusionis probatur: Nempè esse nocuam libertatis. Ex D. Thoma (cui tribuunt contrarij suam sententiam) in secundo, distinct. 38. quæst. 1. artic. 1. ubi ait: *Ipsa autem potentia voluntatis quantum in se est, est indifferens ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed à voluntate se determinante.*

287. Probatur ratione sic: potentia libera est; quæ possitis omnibus requisitis potest operari, & non operari; sed voluntas cum physica prædeterminatione nequit hoc: ergo non est potentia libera; quod voluntas cum præmotione ad amorem non possit producere odium, iam concedunt contrarij, & quod non est in sua manu accipere præmotionem ad odium & non ad amorem, etiam; quia aiunt Deum dare illam cui vult, ad quidquid vult, & modo quo vult: ergo non est in manu voluntatis amare, siquidem nequit actu amare liberè, quin actu invertat præmotionem, quæ ad odium habet, & inverttere illam, non habet in sua manu: ergo. Deinde, nam si ad actu operandum requiritur physica præmotio, ad posse operari requiretur etiam posse habere physicam præmotionem, sicut si ad actuale currere requiritur motus, ad posse currere requiritur posse moueri: ergo si stat in manu voluntatis amare, vel non amare, etiam stabit in eius potestate posse habere, vel non habere præmotionem, quod negat sententia contraria.

288. Probatur secundo: Supponamus quod Deus imperet mihi, vt

hora sequenti audiam sacram, & tali hora præbeat mihi prædeterminationem ad furandum (quod est possibile in eorum sententia) in tali casu non peccarem, nam non haberem requisita ad audiendum sacram, quæ requisita ego inculpabiliter non habebam. Respondent Tunc peccare in omissione sacri, nam licet non habebam omnia necessaria ad actu audiendum, iam habebam ad posse audire. Contra, nam quod Deus mihi imperat est audire actu, non enim imperat mihi, quod possim audire: ergo si Deus non præbet mihi necessarium, ut actu audiam, non peccabo. Confirm. Si Deus mihi imperaret equitare in equis albis, & destrueret omnes equos albos relinquendo nigros, esset impossibilis talis equitatio, & inimputabilis: ergo si solum præbet Deus physicam præmotionem ad furandum, & negat ad auditionem sacri, nequit mihi ad culpam imputari omissione sacri.

289 Respondent secundo: Verum esse tunc voluntatem cum physica præmotione ad furtum non posse audire sacram in sensu composto, benè verò in sensu diuissimo: sicut dum quis sedet, non habet potentiam iungendi sessionem cum ambulatione, licet dum sedet habeat potentiam ambulandi; sic dum habet physicam præmotionem ad furandum, nequit coniungere missæ auditionem cum ea, benè verò habet potentiam in sensu diuissimo. Nota quod voluntas in sensu diuissimo apud omnes est voluntas secundum se: voluntas verò in sensu cōposito apud nonnullos Thomistas est voluntas prædeterminata solum, apud alios verò est voluntas cum prædeterminatione, termino, aut operatione, ad quam prædeterminatur.

290 Impugno hoc sic: Voluntas si non est libera in sensu composto prædeterminationis, nūquā erit libera: nam libertas est, possitis omnibus requisitis: ergo possita prædeterminatione debet esse libera. Confirmatur efficaciter; quia licet, quis habeat potentiam equitandi in equo albo, hoc non existente (quia albedo equi non dat equiti potentiam, sed illam ex se habet) quia tamen deficit requisitum albedinis, quod ponere non est in potestate equitis; nullus dicet, quod eques libere omittit equitationem in equo albo; nec illi poterit imputari: ergo idem dicendum est de præmotione, quia sicut albedo essentialiter requiritur ad equitandum in equo albo; ita prædeterminatione, ad operadum; & sicut prædeterminatione non se tenet ex parte actus primi, nec est in potestate voluntatis; ita albedo equi: ergo. Quidquid respondeat adversarius, hac paritate facile, & efficaciter poterit impugnari, & replicari.

291 Impugno nunc contra constituentes voluntatem in sensu composto ex operatione etiam, nam voluntas cum physica præmotione ad:

ad aliquid opus est voluntas in actu primo cum principijs ad operandum opus oppositum? Ergo non solum in sensu composito cum uno opere, non est potens elicere contrarium opus, verum nec in sensu diviso ab uno opere, si habet physicam præmotionem ad illud, non poterit elicere opus contrarium.

292. Probatur 2. cōclusio: Nā sequeretur quod Deus esset causa per se peccati, nam qui determinat ad peccatum eis causa peccati; siquidem voluntas erat indifferens, & à Deo determinatur. Respondent determinare ad esse physicum peccati, non ad malitiam formalem illius. Contra, nam entitas physica peccati est identificata, vel essentialiter connexa cum malitia formalis illius: ergo si determinat Deus ad physicum, etiam ad morale; siquidem qui determinat ad entitatem odij Dei, determinat etiam ad malitiam odij Dei, cum qua est connexa: ergo, &c.

### S E C T I O IIII.

#### *AD ARGUMENTA CONTRARIA RESPONDETUR.*

293. Obijcies 1. Deus non determinat creaturam, sed ipsa se determinat? Ergo ipsa est primum agens. Nego conseq. Nam primum agens est quod operatur independenter à quolibet alio, & à quo omnes operationes pédēt, quin egeat à fortiori, & ex necessitate alia concausa, quod habet Deus, secus creatura. Replicant: Deus non determinat causam secundam ad operandum: ergo Deus determinatur à causa secunda, & subordinatur illi, siquidem Deus operatur secundum voluntatem causæ secundæ, volentis illum afferre ad concurrendum cum ea. Resp. concedendo, Deum determinari à causa secunda, vt patet ex scriptura: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Ecce aquam, & ignem porrige manum ad quod volueris.* Ergo constat ex scriptura Deum applicare suam omnipotentiam in actus: & postea creatura se determinat, & Deus concurret cum ea ad quocumque: nexo tamen quod Deus subordinetur causæ secundæ; immo hæc subordinatur Deo, nam si noluissest prius concurrere Deus cū ea, nihil facere posset, & Deus pro suo libito potest determinare creaturam, & impedire operationem, sed non facit.

294. Obijcies 2. Ponamus quod in instanti A, imperet Deus iusto, vt eliciat actum amoris, licet in tali instanti iustus non possit non elicere illum, tamen elicit libere: ergo licet possita physica præmotione non possit voluntas non elicere operationem, elicit eam libere. Probatur antec. Nam si voluntas posset in tali casu non elicere actu, pos-

posset coniungere carentiam talis actus cū gratia, ac per consequens peccatum: sed hoc non potest voluntas iusti: ergo nec, non elicere amorem, & tamen elicit libere. Resp. Nego paritatem, quia homo libere se disponit ad gratiam, & est in eius manu illam expellere ponēdo peccatum, & carentiam gratiæ, non tamen ad physicam prædeterminationem. Insuper sine gratia potest fieri operatio per aliud auxilium: neutquam verò sine physica præmotione apud vos.

295 Obijcies 3. Deus habet potestatem, ut homo operetur illum aetum, quem Deus voluerit; sed hoc nequit facere nisi media physica præmotione: ergo datur. Probatur mi. Nam si non inclinaret hominem, ad quod Deus vult, per physicam præmotionem, esset per auxilium indifferens, medio quo voluntas maneret in determinata ad operandum: ergo non esset in manu Dei determinare hominem ad quod voluerit. Confirm. Nam si Deus non daret physicam præmotionem, non magis faveret isto, ac peccatori: siquidem in sententia non admittente physicam prædeterminationem, duobus hominibus possitis cum equali auxilio potest unus peccare, & alter mōereri: ergo non faveret plus mōerenti, quam peccanti.

296 Concedo mai. & nego min. Nempe non esse in manu Dei, ut homo eliciat illum aetum, quem Deus vult; quia Deus habet scientiam medium, qua noscit, quod si in tali occasione præbeat homini hoc, vel illud auxilium, operabitur hunc, vel illum aetum; est autem in manu Dei ea præbere, absque physica præmotione. Ad confirm. Resp. maius beneficium facere Deum mōerenti, quam peccanti; nam illi dat auxilium in occasione in qua scit per scientiam medium bene operaturum, eo vtendo. Sicut si ego do Petro argentum, & scio quod cum illo efficiet eleemosynam, do etiam Paulo, & scio quod cum eo faciet necari alium, quamvis equaliter dem, magis Petro faveo.

## SECTIO V.

### AN DEVS DETERMINET QVOAD INDIVIDVVM causas secundas.

297 **D**Vbium est, quæ sit causa determinans causas necessarias, ut producant hunc effectum potius quam alium, quem poterant producere?

298 Sit 1. conclusio. Causæ necessariae, quando sunt ultimo dispositæ determinantur à se ipsis, quoad speciem, & etiam quoad individuum. Quam ob rem superfluit determinatio Dei.

Du-

299. Dubium est maius circa determinationē quoad individuum in causis liberis. Et ut nostra conclusio intelligatur, & tententiae, quas omisi refferre, impugnentur, nota quod ut voluntas possit prosequi amore, vel odio aliquod obiectum, non requiritur, quod amor, vel odium repereretur ei, sed solum obiectum attingendum. Deinde inter amores, quibus voluntas potest amare aliquod obiectum, dantur species distinctae, & in qualibet specie amoris dantur plura individua, quorum unum est magis intensum quam aliud; & voluntas determinatur ad alicum magis, & minus intensum, quin noscat hanc maiorem intensionem.

300. Sit secunda conclusio: Voluntas se determinat quoad individuum. Probatur, quia quoties causa creatæ potest tribui effectus, dedecet Philosophum, tribuere Deo: sed voluntati potest: ergo. Probatur 2. Nam voluntas cum omnibus requisitis ad amandum, si Deus ei præparet multos amores in individuo, quin Deus eam determinaret possit, vel negatiæ, amaret voluntas, si velet; sed non amat amorem in communi: ergo amat amorem in singulari, & in individuo, & sic sicut voluntas se determinaret ad amandum, ita ad amandum hoc amore præ alio.

301. Dices: Voluntati non representari omnes amores in individuo, & sic non posse ferri in hunc præ alio. Contra, licet voluntati non representetur hic amor magis intensus, præ alio minus intenso; vel hic amor in specie, præ odio, libere se determinat ad alicum magis intensum, vel minus (apud adversarios) & etiam ad amorem, potius quam ad odium, vel è contra, ergo similiter. Dices quod voluntas iam habet motivum ad hoc ut feratur magis, vel minus intense, quod residet in obiecto proposito: & stat in eo, quod bonitas obiecti proponatur ei intense, vel remissè; & ut feratur potius in amorem, quam odium; habet etiam motivum, si indifferenter, sed plus de bono in eo proponatur. Contra: Nam multoties obiectum intense representatum amat voluntas remissè, & è contra: ergo non stat disposita in representatione. Ad aliud dico, quod voluntati non representatur amabilitas obiecti per hanc speciem amoris, potius quam per aliam, & tamen se determinat quoad hanc speciem: ergo etiam quoad hoc individuum.

302. Obijcies 1. Si determinatio causa necessaria quoad individuum non penderet à circumstantijs temporis, & loci, sequeretur posse producere infinitos effectus in individuo: ergo non pendet à sola causa. Resp. Infinitos effectus simùl nego: disiuntive, & scorsim concedo.

303. Obijcies 2. Non tollitur libertas, nec meritum ex eo quod Deus dicat: supposito quod voluntas amet libere, & possit hoc agere pluribus ambris in individuo, eam determino non ad amare (ad hoc enim illa se determinabit) sed ad iungendum amorem, quem producet libere cum hoc actu in individuo. Resp. Non destrui libertatem, nec meritum, sed non

licet Philosopho recurrere ad Deum in rebus, in quibus cause creatæ pos-  
sunt se determinare, & sic ob superfluitatem sententiam reiçimus.

304 Obijcies 3. Non est in manu voluntatis elligere hunc actum præ alio,  
nam nullum habet ad hoc fundamentum: ergo nec determinatur ad hunc  
præ alio. Pater in puerō extrahente vnam albā à loco obscuro, ubi sunt  
plures albae, & plures nigrae, tunc est in eius manu vnam extrahere; non  
tamen nigrā, sed casu & fortuitu extrahit nigrā præ alba. Resp. distin-  
guendo: Ergo voluntas non se determinat ad hunc amorem præ alio libe-  
re, concedo; non libere, sed casu & fortuitu nego. Pater in ipso exemplo;  
quod stat pro nobis, nam licet non se determinet libere potius ad extra-  
hendam albā, quam nigrā; tamen ipse se determinat ad extrahendam  
vnam in singulari, licet casu & fortuitu extrahat hanc præ alia; sic voluntas  
se habet in extrahere hunc præ alio in individuo.

305 Dices: ergo si nec Deus, nec voluntas libere excentur ad hunc præ  
alio, erit casu & fortuitu respectu Dei, & voluntatis. Resp. concedo, res-  
pectu voluntatis, & nego respectu Dei; hic enim evidenter noscit, volunta-  
tem hunc extracturam fuisse præ alio; ab æterno enim novit eius deter-  
minationem, quam potuit impeditre, si voluisset mille modis.

306 Obijcies 4. Nihil volitū quin præcognitum: ergo si voluntati non  
representantur individua amoris, non se potest determinare. Resp. Actus,  
vel amores singulares non comprehendunt, sed obiecta eorum (hæc nota) que-  
iam representantur per cognitionem, & postea voluntas se determinat exer-  
cendo libertatem. Retorqueri etiam potest hoc, in hac, vel illa specie amo-  
ris, in amore, vel odio, in amore intenso, ut quatuor, & ut sex, que omnia  
non prænoscuntur, nec ei representantur, & libere determinantur ad illa:  
ergo similiter.

307 Nota in fine, has conclusiones intelligi iuxta ordinariam prouiden-  
tiā Dei; aliter enim Deus ad quidquid velit, & voluntates nollint, potest  
cogere eas; destruendo libertates carum per physicas præmotiones, si velet.

## DISPUTATIO XII. DE CAUSA MATERIALI.

### SECTIO I. DE EIVS EFFECTU, ET CAUSALITATE.

308 **A**ristoteles sic definit causam materialē: *Id. ex quo, cum insit, ali-  
quid sit.* Hic conceptus præcipue convenit materiae primæ respe-  
ctu formæ, & compositi; secundo ipsi composite respectu accidentium, si  
in eo recipiuntur. Tertio dispositionibus respectu formarum, ad quas dis-  
ponunt: & licet non sint strictè causa materiales, ad eius genus redu-  
cuntur.

Sic

309 Sit prima conclusio: Causa materialis propriè est causa. Probatur, nam sufficit ad id influere physicè in quid defectibile: ergo si materia prima est pars intrinseca, & essentialis totius, & recipit intrinsecè formam materialem, ita ut compositum recipiat esse ex partibus, ex quibus intrinsecè coalescit, erit propriè causa materialis respectu horum.

310 Obijcies 1. Si daretur causa materialis, maximè propter dependentiam formarum materialium, & accidentium, qua nequeunt naturaliter, sine subiecto conservari: sed ista dependentia potest salvare, quin sit causa materialis: ergo. Probatur min. Nam etiam sine approximatione inter agens, & subiectum, nequit produci forma materialis, & sine alijs conditionibus, & non sunt causæ materiales formarum: ergo. Resp. In conditionibus diuis nullam relucere formalitatem eminenter influxiā, propria & principali virtute in formam, ut in terminum directum, sed sunt requisita causæ principalis; in materia etiam respectu animæ rationalis nulla invenitur ratio, quare possit esse illius causalitatem, est tamen causa materialis hominis, nam est causa eius unionis, & sic solum dependentia, modo quo dixi, arguit causæ rationem.

311 Obijcies 2. Materia, nec recipit, nec constituit compositum; deinde non constituit formam; ergo nullius est causa. Resp. Quod ut sit causa compositi sufficit ut illud constituat ut subiectum formæ, vel unionis, & licet non constitutas totum compositum adæquate, constituit inadæquate, & sufficit esse partem compositi, licet non sit pars formæ, nec sui ipsius. Imò hoc est de ratione causæ componentis materialiter.

312 Obijcies 3. Magis dependet unio ab extremis, quam forma materialis à materia; unio enim nequit esse sine extremis adhuc diuinitus: sed extrema non sunt causa unionis, ergo nec materia formæ. Resp. Nos non dicere esse causam formæ ob dependentiam, vt cumque; sed media actione essentialiter dependet iam fundante, quod non competit extremis respectu unionis, siquidem si creatur non recipitur in extremis, & sic non ita pendet ab eis; & si educitur dependenter ab aliquo extremo, ab isto pendebit, tamquam à causa materiali iuxta dicta.

313 Sit secunda conclusio. Causalitas materiae respectu compositi est unio cum formæ; & respectu formæ est receptio ipsius formæ in materia. Prob. Nam in tantum materia causat compositum, & formam, in quantum uniuersum cum hac, & hec recipiunt in illa. Probatur antec. Nam sicut media actione causa efficiens produceit effectum, ita media unione fit totum, & media receptione recipitur forma.

## SECTIO II.

## DE CAUSA FORMALI, EIUS EFFECTU, ET CAUSALITATE.

314 **C**ausa formalis definitur ex Aristotele: *Quiditas rei. Contra, nam hoc convenit materie. Ita ergo potest definiri: Pars quae informans materiam componit totum.*

315 Effectus causaformalis est compositum, quod resultat ex materia, & forma; & causalitas est unio, qua mediae unitur materia, & forma, sive sit receptio ut in Leonina, sive non, ut in rationali. Præter effectum physicum formæ, qui est compositum, habet alium, qui est formalis, & stat in illis denominationibus, quas forma tribuit materie, sive forma sit accidentis, sive substantia, ut patet in albedine denominante subiectum album, & in nigritate nigrum.

316 Illi effectus formales alij sunt primarij, alij secundarij, alij possitivi, alij negatiui: positivus effectus est ille, qui introducitur, vel ponitur à forma: negativus est expulsio formæ contrarie. Effectus formalis primarius est, qui identificatur cum eadem forma, inseparabilis adhuc à Deo, & stat in denominatione, per quam subiectum redditur informatum, seu habens formam. Probatur: Nam denominatio informati, subiecti, vel habentis formam nequit separari à forma communicata subiecto: ergo. Effectus formalis ab aliquibus constitutus per specialem denominationem, quam forma dat subiecto capaci communicata, siquidem adhuc Deus nequit facere, ut subiectum denominetur calidum sine calore, album sine albedine; nec potest facere, ut albedo communicetur subiecto capaci, & quod non reddatur album; & sic in denominatione propria cuiuscumque formæ in subiecto capaci ponunt uti effectum formalem primarium, alij secundarium. Effectus secundarius negativus est, qui subsequitur ad effectum formalem positivum, ita ut omnis effectus secundarius negativus possit suppleri à Deo sine forma, & potest impedire à Deo adhuc possita forma, v. g. Effectus secundarius negativus positionis frigiditatis est destrucciónis caloris, & hæc destrucciónis caloris potest à Deo evitari, faciendo, ut cohabitent frigus, & calor, vel etiam potest ponere destructionem caloris, & non introducere formam frigiditatis.

317 Dubium i. est: An totus effectus formalis identificetur cum formæ solum. Resp. negatiuè: Nam stat in unione formæ cum subiecto capaci recipiendi denominationem ab ipsa formæ communicata: ergo non stat in sola forma, siquidem deficiente unione cum subiecto, quod sit capax, deficit effectus formalis formæ, & sic coalescit ex duplice. Prob. Nam gratia in lapide non dat suum effectum formalem reddendi Sanctum, & in anima dat: ergo ob capacitatem ad denominationem.

318 **Doubium 2.** An subiectū capax sit conditio, vel partiale constitutivum effectus formalis? **Resp.** Nihil ex his esse, nam subiectum recipit totum effectum formalem; ergo si esset subiectum partiale constitutivum effectus formalis, se ipsi recipere. **Probatur 2.** Nam subiectum non est conditio ipsius formæ, ergo nec est conditio effectus formalis ipsius.

319 **Obijcies:** Eo ipso quod deficit subiectum capax deficit effectus formalis formæ: ergo partialiter stat in hoc. **Resp.** Deficit effectus formalis formæ, quia deficit subiectum capax, nego: quia deficit unio illa, qua ingreditur in effectum formalem formæ, concedo. Subiectum enim solum est res recipiens effectum denominationis, & sicut non valet, quod unio sit, & consistat in extremis, nec visio in obiecto, etiam si illæ deficiunt deficientibus his, ita nec valebit in præscoti.

### SECTIO III. ALIQUA DE EFFECTU SECUNDARIO NEGATIVO.

320 **I**am dixi effectum secundarium negativum esse expellere formā contrariam; nunc examinandum est in quo sit hæc expulsio.

321 **Nota,** unam formam expellere aliam in genere causæ formalis; nam expellit illam per informationem, quam præbet subiecto incompatibilem cum informatione alterius formæ; sed hoc est in genere causæ formalis, & sic se habet forma expellens: ergo expellit in genere causæ formalis. Deinde, non in genere causæ efficientis; nam ad hoc requirebatur, quod produceret physicè aliiquid incompatibile cum forma præexistente; sed nihil producit forma adveniens: ergo si præcise propter informationem istius provenit parentia alterius, est in genere causæ formalis aliam expellere.

322 **Dices:** Vnum corpus expellit aliud in genere causæ efficientis à loco vbi est: ergo etiam forma aliam. **Resp.** Hoc esse per physicum impulsu productum in expulso ab expellente, quin expellens sit forma loci, & hoc non contingit in forma. **Dices:** Deus nequit supplere effectus causæ formalis: sed potest expellere unam, quin ponat aliam: ergo quia non est hæc vis formæ. **Resp.** Nequire supplere positiuos effectus causæ formalis; bene vero potest negatiuos. **Dices ex D. Thoma:** Peccatum efficienter expellit gratiam: ergo una forma efficienter expellit aliam. **Resp.** Quod D. Thomas sumpsit peccatum prout est actio peccaminosa prouenientis efficienter à peccatore, & producens peccatum, quo medio expellit gratiam efficienter, sicut productio caloris ab igne est id, quo ignis expellit frigiditatem: tamen peccatum, ut est forma incompatibilis cū gratia, & informat animam reddens eam foodam, est causa formalis eius expulsionis.

323 **Nota etiam:** Expulsionem formæ contrarie non solum dicere parentiam talis formæ, sed parentiam talis formæ, quæ præexistebat unita cum sub.

subiecto, in quod intrat nova forma: sicut mors dicit carentiam vitæ præexistentis.

324 Sit conclusio. Causalitas secundaria causæ formalis est priuatio formæ præexistētis in subiecto; quæ priuatio prouenit ab intrinseco ab introductione formæ advenientis. Probatur: Nam media priuatione talis formæ consequitur suum effectum secundarium, qui est eam expellere: ergo est causalitas causæ formalis.

325 Obijcies 1. Talis priuatio est effectus causæ formalis: ergo nequit esse causalitas. Resp. concedo antec. & nego conseq. quia est verumque, & à fortiori debent esse idem, siquidem illud debet esse causalitas, & effectus causæ formalis, quod manet possita causa formalis; cum ergo possita forma in subiecto, nihil maneat aliud, quod possit esse effectus, & causalitas formæ advenientis, nisi carentia formæ præexistentis, hinc est quod debet esse causalitas.

326 Obijcies 2. Causa formalis expellit aliam formam, per unionem per quam vnitur subiecto alterius formæ; & hæc vniuersitatem expulsionis non se habet ut expellens: ergo se habet ut causalitas qua forma expellit. Resp. Expellere per unionem tamquam per applicationem, vel conditionem, non verò tamquam per causalitatem, nam non potest esse causalitas illud, quo possito adhuc potest impediti effectus diuinatus ut dixi.

### SECTIO III.

#### AN INTRODUCTIO VNIUS FORMÆ SIT PRIOR expulsionē alterius.

327 **L**Orca dixit: Formam expellentem esse prius tempore, & sic quod in primo instanti coexistunt simul duas formæ substanciales in subiecto, & si sint contraria, licet sint gratia, & peccatum. Sed hoc aperte impugnatur: nam si in uno instanti conservantur naturaliter, cur non in reliquis? Et sic naturaliter simul erunt in eodem subiecto duas formæ substanciales, & duas formæ contraria: duplex absurdum nempè esse simul duas, & esse contrarias, & oppositas.

328 Sit conclusio: Introductione unius formæ est prior prioritate naturæ expulsione formæ contraria. Probatur: Nam ideo forma contraria expellitur, quia de novo advenit eius materiæ alia forma, non verò est contra: ergo prior est introductione prioritate naturæ. Patet in frigore, quod est causa, ut expellatur calor: ergo. Confirmatur ex axiomate recepto: Generatione unius est corruptio alterius: ergo ad generationem, vel introductionem frigiditatis subsequitur destructio, aut corruptio caloris; alias nequirent defendere.

Philosophi vnam formam expellere aliam, siquidem, si esset prior expulsio, non tribueretur advenienti.

329 Obijcies 1. pro prima sententia: Si in eodem instanti, & subiecto non concurrunt forma veniens, & fugiens, non possent pugnare, nec expelli; ad hoc enim requiritur, ut attingatur: ergo inveniuntur iunctæ, si expellontur. Resp. quod licet hæc pugna sit in ordine ad idem subiectum, consistit in incompatibilitate, quam habent formæ contrariae in eodem subiecto, quæ incompatibilitas impedit, ut adhuc pro uno instanti in eodem subiecto copatiantur, & non est pugna quæ pendeat à contactu. Et si rogas quomodo calor expellit frigiditatem, quam iam non invenit in subiecto? Dico, quod eam expellit, dum in instanti, in quo existit calor desinit esse frigiditas, cum qua habet incompatibilitatem, & sic in tali instanti iam est carentia frigiditatis.

330 Obijcies 2. contra idem: Introductio caloris est prior, per nos expulsione frigoris: ergo pro illo priori, pro quo existit introductio caloris, non intelligitur expulsio frigiditatis, nam in tantum existit vna forma contraria in aliquo subiecto, in quantum non existit expulsio talis formæ: ergo si pro illo priori, pro quo existit forma, quæ introducitur, non expellitur contraria, coexistent in illo instanti. Resp. concedendo antec. & distinguendo conseq. pro illo priori, pro quo existit introductio caloris, non intelligitur expulsio frigiditatis negatiæ, idest datur carentia frigiditatis nego; non dum intelligitur præcisius, idest in tali signo, in quo introducitur calor, præcinditur ab expulsione frigiditatis, concedo. Nam habet se taliter, quod introductio caloris non constituantur formaliter, per expulsionem frigiditatis, sed potius illa causet istam. Ad aliam probationem distingo antec. In tantum existit vna forma contraria in aliquo subiecto, in quantum non existit expulsio talis formæ distingo; in quantum non existit negatiæ; siue non existit negatio talis formæ concedo; in quantum non existit præcisius, siue in quantum præscindimus ab existentia nego, quia prioritas naturæ, & aquo noui consistit in eo, quod; illud quod est prius existat in aliquo instanti, ante productionem alterius, nam hoc est proprium prioritatis temporis, sed solum requiritur, quod unum existat dependenter ab alio in eodem instanti, ut Sol, & lux.

331 Obijcies 3. Antequam forma introducatur, subiectum debet disponi: sed vna ex dispositionibus est expulsio: ergo præcedit. Resp. quod expulsio formæ contrariae, nec est prærequisitum, nec dispositio ad introductionem alterius, sed solum est quid subsequentum, & sic non debet præcedere ad introductionem.

332 Obijcies 4. Natura intendit ut finem introductionem vnius formæ: ergo prius ponitur medium expulsionis, ut in Egroto. Resp. Verum esse Egro.

Egrotum prius applicare media in medicamentorum, & ratio est: nam sunt causæ sanitatis, & dispositio aut virtus illius; verò non expulsio, sic se habet, nam nec disponit nec causat. Sed subsequitur.

## DISPUTATIO XIII.

## DE CAUSA FINALI, ET EXEMPLARI.

## SECTIO I. QVID SIT CAUSA FINALIS.

333 **F**inis sic definitur ab Aristotele: *Id cuius gratia aliquid fit. Dividitur in finem cuius, & cui. Cuius est bonitas, quæ intenditur consequi: cui est subiectum cui intenditur talis bonitas. Dividitur etiam in finem, qui, & quo. Qui est res quæ intenditur consequi; finis quo est id medio, quo est possidendum finis qui. Et ex hoc duplice fine resultat unus integer finis. Dividitur etiam in finem ultimum, & non ultimum: Ultimus est, qui ita intenditur ut sistat voluntas in eo, quin subordinet illum ad aliud, ut Deus in sperante beatitudinem: non ultimus est, qui est medium ad aliud finem, & ut medium intenditur.*

334 Sit conclusio: Propriè convenit ratio finis, fini cui, & qui: nam propter filium, qui est finis, cui, & propter salutem, qui est finis, qui, aliquid fit, nempè in medicamenta applicantur: ergo sunt propriè finis: nam gratia filij amat sanitatis à Patre, & gratia sanitatis applicantur medicamenta: ergo ambo mouent voluntatem ad media.

335 Obiecies 1. Sola salus est id cuius gratia applicantur: ergo. Resp. negando, nam non solum amat sanitatis, sed salus propter convenientiam filii: Obiecies 2. Quod amat propter aliud, non est finis sed medium: atqui salus non propter se, sed propter filium amat: ergo. Minor probatur. Nam si Pater non amat filium, nec amat salutem: ergo amat eam non propter se, sed propter filium. Resp. distinguendo maiorem: Quod amat propter aliud non est finis, sed medium, si amat propter aliud præcisè, quin simul etiam detur complacientia circa propriam bonitatem salutis, ob quam filio amat, concedo: si amat salutem propter filium, & simul detur complacientia in ipsa salute, nego; & sic propter se, & propter filium amat. Ex quibus arguitur nullum ex his esse adæquatum finem, non quod ex his, non fiat integer finis. Vel dic tunc rem amatam propter aliud non esse finem, sed medium, quando ponitur vel applicatur ex vi talis amoris, ut deserviat illius possitio ad causandam aliam, quod non verificatur de salute,

SECTIO II.

*DE RATIONE CAVSANDI FINIS, EIVS EFFECTV, ET ACTIONE.*

336 **N**ota; vt quis operetur amore prosequitio, propter aliquem finem, debere dari in fine vnam bonitatem ex tribus; vel ad odio habendum, vnam malitiam ex tribus contrarijs; sufficit autem bonitas aparens, aut existimata.

337 Sit 1. conclusio: Ratio causandi finaliter in actibus amoris stat solum in ipsa bonitate aut honesta, aut utili, aut delectabili, licet solum representatiuè sit aliqua ex his bonitatibus possibilis. Patet in nostris desiderijs. Probatur etiam. Nam si non; maximè quia non stat in hac bonitate, sed in cognitione illius; sed hoc aperte est salsum, si quidem nec egrotus amat cognitionem salutis, nec ab ea mouetur, licet per eam moueat eum salus: ergo. 2. Qua cognitionis gratia non sumit potionis amaras: ergo. Cognitio enim solum est ut applicatio finis ad voluntatem, ad causandum finaliter.

338 Obijcies: Cognitio bonitatis movet voluntatem ad amorem; aliter enim sibi non potest mouere, nisi media cognitione: ergo causat finaliter. Resp. Cognitionem mouere voluntatem; non quia voluntas eget cognitione ipsa, sed quia eget ipsius obiecto, & licet non aliter possit voluntas adipisci obiectum nisi per cognitionem, cognitio erit applicatio obiecti, non verò quæ mouet, sicut approximatio ignis non virit.

339 Sit 2. conclusio: Effectus causæ finalis est actus procedens à voluntate, siue sit elicitus, siue imperatus. Probatur, nam illud est effectus finis, ad quod eliciendum mouet finis: sed ad hoc mouet: ergo. Probatur min. Nam propter finem elicere voluntas amorem medijs, & imperat alias potentias, ut eliciant suos actus, & sic isti sunt effectus causæ finalis.

340 Sit 3. conclusio: Causalitas finis respectu actus eliciti, & imperati, est ipse actus elicitus. Probatur, nam causalitas finis, est illud medio quo actus procedit à voluntate, propter bonitatem finis: sed hoc est ipse actus: ergo. Min. probatur: nam actus elicitus fertur per semetipsum in finem: ergo iste erit causalitas finis. Confirmatur: sicut causa efficiens causat media actione, ita finis medio illo, quo amat: ergo sicut causalitas causæ efficientis est actio, ita finalis causæ actus elicitus, est actio. Quod causalitas actus imperati sit actus elicitus. Probatur: nam actus imperatus, v.g. Actio externa est indifferens ut sit propter hunc, vel alium finem, ut in eleemosyna, quæ potest

varijs finibus commodari, & determinatur ad hunc finem præ alio, per voluntatem imperantem: ergo aetas voluntatis imperas aliquam actionem propter finem erit causalitas media, qua finis causat actum imperatum.

## SECTIO III. ALIQUA DVBLIA DECIDUNTUR.

341 Sit prima conclusio: Causa finalis non est causa physica, sed moralis. Probatur ex Aristotele afferente, finem solum causare metaphoricè aliciendo, & atrahendo voluntatem, & non physicè influendo in actus internos, & externos, sed intentionaliter: ergo moraliter. Probatur 2. Nam si finis esset causa physica, physicè deberet existere, quando causaret, quod non habet: ergo. Probatur 3. Nam si esset causat physica, se ipsam naturaliter causaret; nam causat media, à quibus producitur ipse finis: sed quod est causa mediorum est causa finis: ergo daretur causa physica, quæ se physicè causaret naturaliter, quod est absurdum. Probatur 4. Nam obiectum formale actus non dicitur causa physica actus, sed moralis, & formalis extrinseca: ergo ita est finis, & non causa physica.

342 Sit 2. conclusio: Creaturæ rationales operantur propter finem non verò insensibilia. Ratio est, nam hæc non habent cognitionem finis, ex qua cognitione moueantur ad media eliecenda, quod requiritur ad finem; impropriè tamen, & metaphoricè attribuitur aliquando, sicut dum dicimus, quod finis corporis grauis descendantis est centrum, & finis fluminum est mare.

343 Sit 3. conclusio: Deus operatur ad extra propter finem. Prob. Nam Deus facit multa opera externa, & præbet multa media hominibꝫ, & Angelis, vt cōsequantur proprios fines, v.g. vt salventur, & sic operatur Deus propter finem. Non verò Deus operatur ad intra propter finem, siquidem dum Pater generat verbum non facit, est enim genitum non factum, & sic numquam in suis potest facere. Si tamen vis impropriè esse finem, amare se: propter se transeat, non verò strictè.

344 Sit 4. conclusio. Videntur etiam bruta operari propter finem, & probatur sic, nam aues, vt irundo operantur in portando paleas, & constructione construunt nidum propter commoditatem morandi in eo, quam imperfecte cognoverunt, & amant vt apprehensam. Dices: bruta non posse apprehendere utilitatē mediorum ad consequendum finem: ergo nequeunt operari propter finem. Resp. distinguendo: Nequeunt comprehendere hoc per aliquem sensum externum, concedo: per aliquem interiorem, nego. Nam aliqua percipiunt bru-

ta per sensum internum, quæ non cognoverunt per externum, ut patet in ove noscente lupum sibi ut disconvenientem, quæ cognitio excitatur in ove per species insensatas, id est per species non prouenientes à sensibus externis, quæ species deserviunt ad conservationem naturalem ipsius ovis.

345 Dices: Si bruta operarentur propter finem amarent vnu propter aliud: ergo cognoscerent vnum propter aliud: ergo discurrerent. Resp. concedo antec. & distingo conseq. Possunt noscere vnum propter aliud per cognitionem apprehensuam, concedo: per iudicatiuam, nego. Non enim noscunt irrationalia per iudicium, per quod noscant vnum propter aliud prius cognitum, tamquam propter obiectum formale; hic enim est modus specialis naturæ rationalis, non vero noscere vnum propter aliud imperfecte per apprehensionem materialem imperfectam, licet sufficientem ad representationem conducentiam mediorum ad finem: si hoc enim negaretur brutis, operarentur solum pendere, & impetu naturæ, quod est contra plures experientias.

### SECTIO III. DE CAUSA EXEMPLARI.

346 **A**ristoteles sic definit causam exemplarem: *Id in quod Artifex inspiciens operatur*. Divus Thomas sic: *Est forma, quam imittatur effectus ex cognitione agentis determinantis sibi finem*. Dicitur quod causa exemplaris est forma, quam imittatur, vel quod est *id in quod*, quia effectus causatus ab agente debet assimilari causæ exemplari, quæ similitudo non debet esse casu & fortuito, sed ex intentione ipsius agentis.

347 Quatuor requisita imponunt multi huic causæ. Primum est, illud obiectum externum, quod est exemplar, ad cuius similitudinem intendit agens producere effectum. Secundum est, cognitione speculativa, qua agens cognoscit, animadvertisit, & contemplatur ipsum obiectum. Tertium est, altera cognitione practica dictans modum efficiendi opus, ut assimiletur originaliter obiecto, quod vult agens imitari. Quartum est, opus productum ad similitudinem illius obiecti, quod erat exemplar. Nunc dubitatur in quo ex his stet propriè exemplar.

348 Sit i. conclusio. Cognitione speculativa obiecti non est exemplar: Nam non convenient illi definitiones dictæ; non enim est id in quod, &c. ergo.

349 Dices: Sæpè Pictor, absente obiecto externo, reflectit supra cognitionem, qua speculatur obiectum, quod imittatur: ergo est exemplar. Resp. Tunc imitari non cognitionem, sed obiectum, quod licet

physicè sit absens, est intentionaliter præsens à cognitione; sicut sanitas est finis Egroti, & non cognitio illius, licet non physicè, sed intentionaliter sit præsens.

350 Sit 2. conclusio. Cognitio practica modi assimilandi opus cum obiecto, nequaquam est exemplar, ob easdem rationes, ac speculatio, & ob easdem impugnationes opus productum non est exemplar, sed effectus exemplaris.

351 Sit ergo 3. conclusio. Causa exemplaris solum stat in eo obiecto, quod Artifex intendit imittari. Probatur, ex verificatione definitionum in eo. Ex quo infertur causam exemplarem secundum se, & in actu primo non includere cognitionem, sicut nec finis in actu primo: benè verò in actu secundo: non in recto, sed vt conditionem, sine qua non potest causare finis, nec exemplar, nisi vt noscantur, sicut nec ignis, nisi vt approximatus, ita nequeunt mouere, nisi vt representata ab illa potentia.

352 Sit etiam 4. conclusio. Causa exemplaris, & etiam finalis non reducitur ad genus causæ efficientis, siquidem non physicè producit; sed ad genus causæ moralis, & intentionalis, nam solum mouet, dirigit, & illuminat artificem vt apprehensa: ergo est moralis.

#### SECTIO V. DE FATO, CASV, ET FORTVNÆ.

353 **A** Multis cum Boetio sic definitur fatum: *Immobilis dispositio reribus mobilibus inherens, per quam divina prouidentia suis quoque necatur ordinibus.* Et ab alijs sic: *Ordo causarum secundarum diuinam prouidentiam exequentium.* Potest sumi Fatum prout est in Deo, & sic talis ordinatio est prouidentia: & potest sumi prout est in nobis ad aliquid agendum. Colligitur ex hoc, non debere admitti Fatum in causis liberis; nam Fatum est dispositio necessaria reperta in causis ad effectus. Est contra Antiquos asserentes, omnes effectus, tam causæ liberæ, quam necessariæ debere tribui Fato. Contra enim quia quod imponit necessitatem ad operandum, negandum est in causis liberis.

354 Fortuna sic solet definiri: *Causa per accidentem eorum, quæ eueniunt præter intentionem agentis:* V. g. Dum quis intendit cum lapide deicere avem, & homo oculte existens fuit iactus à lapide proiecto, sine tali intentione.

355 Casus definitur sicut fortuna, cum hac solum differentia, quod casus est ab agente, qui sit incapax operandi, propter ipsam, & properter alium finem, vt sunt insensibilia, sicut tegula feriens hominem dicitur effectus casualis, & non fortuna.

356 Collige hinc, respecta Dei nullum evenire casum, nec fortunam, nam omnia praeuidet ita, ut nihil eueniat praeter prouidentiam Dei, nec praeter res, quas Deus cognovit, nec praeter modum, quo eas dispositit.

357 Iubenal is Etnicus, & Poeta sic fortunæ illusit: nullum lumen adest, nisi sit prudentia: sed te nos facimus, Fortuna, Deam Cœloque locamus.

### LIBER TERTIVS PHISICORVM.

Postquam egimus de causis intrinsecis, & extrinsecis compositis, agimus de eius proprietatibus, & perfectionibus, nempe motu, &c.

#### DISPUTATIO XIV. DE MOTU, ACTIONE, ET PASSIONE.

##### SECTIO I. DE MOTU.

358 Aristoteles sic definit motum: *Actus entis in potentia, prout in potentia.* Optima est definitio haec, nam hic non agitur de motu locali, sed de motu sive actione, qua effectus producitur à causis dependenter à subiecto, & ideo dicitur in potentia, quia debet esse in subiecto inhalationis, sive educationis: *Prout in potentia ponitur ad significandum, quod in subiecto debet præcedere carentia motus,* vel ut alij dicunt, carentia formæ, quæ acquiritur per motum.

359 Obijcies: Forma est actus entis, nempe materiæ in potentia, prout in potentia, siquidem est materiæ prout potentis eam recipere: sed non est motus: ergo definitio convenit alijs à definitio. Confirmatur in formis substantialibus imperfectis, vt in embrione, quæ forma est dispositio ad aliam, & in calore ut quatuor, qui est dispositio ad calorem ut octo.

360 Resp. Non convenire formis substantialibus: nam istæ non sunt actus entis in potentia, prout in potentia, quia ad hoc requiritur, quod sit actus imperfectus, quod satis indicant illa verba *prout in potentia,* scilicet ad terminum talis actus sive actionis, vnde ille actus non tam est terminus motus, quam sit motus ad aliquem terminum, quod nunquam reperitur in formis substantialibus perfectis, nec in alijs minus perfectis, sive substantialibus, sive accidentalibus, vt intendebat confirmatio, quia tales formæ semper habent rationem formæ, non vero habent rationem viæ solum, sive rationem solam productionis alterius formæ, quod requiritur essentialiter ad rationem motus: ergo formæ nunquam sunt motus, sed terminus mouens, & imittans.

Co-

361 Collige hinc, & dari terminum à quo, & terminū ad quem; A quo est ille, qui deperditur, vel à quo transit subiectum commune ad terminum ad quem: iste est, quem recipit subiectum neimpē forma. Quæ corumpitur ut introducatur alia est terminus à quo, & introducta, est ad quem.

362 Terminus à quo diuiditur in terminum à quo formalem, & in terminum, à quo totalem: Terminus à quo formalis est solum forma ligni, quæ fugit dum venit ignis: Terminus à quo totalis est totum lignum, siquidem licet materia nunquam fugiat, valet dici, quod destruitur lignum, veniente igne. Idem dic de termino ad quem. Ipsa carentia, quæ præcessit solet vocari etiam terminus à quo, sed priuationis.

363 Diuiditur etiam motus in instantaneum, qui est qui sit in instanti, vt generatio lucis in aëre, & in successuum, qui est qui non sit vno instanti, vt productio caloris ut octo in ligno. Hic motus successivus adhuc diuiditur in unum, qui est continuus, & in aliud qui est discretus. Continuus est, qui sit absque illa interruptione: discretus qui sit cum ea, vt quando nunc producitur unus gradus caloris in subiecto, & postea transacto aliquo tempore, producitur alter in eodem subiecto.

364 Dubium est: an omnibus ijs motibus conveniat ratio motus propriæ? Resp. affirmatiuè: Nam eis convenit definitio Aristotelis: ergo. Dices, Motum instantaneum non esse in potentia, prout in potentia, nam in eodem instanti in quo est motus, datur forma: ergo non est in potentia ad illam in ullo instanti. Insuper, nam motus ut diximus, est actus imperfectus, & relinquit subiectum in potentia ad actum perfectum: ergo cum in instanti, in quo datur motus instantaneus, datur terminus talis motus, non erit actus, nec in potentia, prout in potentia.

365 Resp. Licet verum sit, quod in instanti reali, in quo datur motus instantaneus, detur etiam terminus talis motus, tamen aliqua prioritate intelligitur prior ipsa productio, sive ipsum fieri formæ, quam forma producta: quod sufficit, ut productio, sive generatio formæ sit via ad ipsam formam, quæ generatur, & sit actus imperfectus ad perfectum.

366 Instabis: Quod est in potentia ad formam, est cum priuatione illius formæ: Sed instantanea generatio non reliquit materiam cum priuatione formæ; nam si hoc esset, in eodem instanti reali esset generatio formæ, & carentia illius: ergo non est in potentia. Resp. quod est in potentia ad formam, est cum carentia, vel priuatione formæ distinguo: Si illud quod est in potentia est prius prioritate temporis res pec-

pectu talis formæ, concedo: Si sit prius prioritate originis, naturæ aut simili alia prioritate, nego: Et ex hac prioritate non arguitur esse cum carentia illius, quod est posterius, vt patet in Patre Æterno, qui est prior prioritate originis Filio; & in Sole respectu lucis, & tamen non sunt cum carentia, vel priuatione Filii, & lucis: Motus ergo sub denominatione talis communiter summittur pro illo, qui actuat potentiam, prius tempore existentem, ante motum.

## SECTIO II.

*AN ACTIO DISTINGVATVR AB AGENTE, ET TERMINO.*

**L**OQUIMUR tamen de actione accidentalí, quam substantiali; tamen de eductiva, quam creativa.

367 Sit 1. conclusio. Distinguitur realiter ab agente in actu primo. Prob. In Deo qui ab æterno exticit absque actionibus, quas nunc habet: ergo. Etiam in creaturis patet, quæ aliquando producunt, & aliquando non: ergo non identificantur actiones cum eis, siquidem separantur. Dices: actiones non ut cunque esse idem cum principio, sed cum principio disposito, & hoc semper producit, ut tale. Contra: Nam causa libera positis omnibus prærequisitis, quæ sunt dispositiones, potest adhuc non operari: ergo. Probatur etiam in causa necessaria, cui potest Deus impedire operationes, adhuc si sit disposita, ut accidit in igne Babilonico: ergo.

368 Sit 2. conclusio. Omnis actio de facto existens non distinguitur realiter à termino producto, benè verò ab alio termino unito. Probatur prima pars: Nam actio qua producitur unio humana existens inter corpus, & animam non distinguitur ab unitione: sed est vera actio; & unio est vere terminus illius: ergo non omnis actio distinguitur à termino producto. Secunda pars probatur: Nam talis actio est unio extremonum, & cum ab ijs distinguiatur, iam distinguitur à termino unito.

369 Sit 3. conclusio. Omnis actio, quæ de facto producit terminum entitativum est realiter distincta à termino producto. Probat, Nam quilibet terminus entitatis de facto existens est indifferens, ut producatur per hanc, vel per illam actionem, ut patet in accidentibus Eucharistie, que post Consecrationem producuntur per creationem, & antea erant per generationem; & patet etiam in Christi humanitate, quæ est producta per actionem supernaturalem, & potuit per naturalem: ergo terminus entitativus distinguitur ab actione.

370 Sit 4. conclusio. Non implicat actio identificata cum termino entitatiuo producto. Probatur: Nam non repugnat Angelus de possibili, qui peracta produci per actionem indistinctam: nam de essentia actionis solum est, quod sit essentialis determinatio, qua agens determinatur ad producendum, & terminus determinatur, ut producatur. Sed non implicat terminus, qui per semetipsum sit essentialiter determinatus, ut producatur ab agente, & determinet per se ipsum, agens: ergo nec actio identificata cum termino entitatiuo producto.

371 Sit 5. conclusio. Implicit principium identificatum cum actio-  
ne. Probatur: Nam qualibet causa est diuinitus separabilis à suo effe-  
ctu, quem petit producere: Sed eo præcisè quod daretur principium idem cum actione, non esset separabile ab effectu, quem petit producere: ergo non est possibile principium, quod non distinguitur ab actione per quam producit effectum.

372 Deinde, vel istud principium, quod se ipso esset actiuia produc-  
tio alterius termini, esset ex illis rebus, de quibus diximus, produci  
passiuie se ipsis; vel non esset ex illis, sed ex alijs, quæ non sunt pas-  
siva productio sui, sed producuntur actione à se distincta; Atqui  
utroque modo repugnat: ergo repugnat principium, quod se ipso sit  
actiuia productio alterius. Minor quoad utramque partem prob. Quo-  
ad primam, nam si se ipso esset agere aliud, & simul suum agi, esset si-  
cuit actiones medie, quæ de facto dantur, nam fieret à suo agente, ut  
producatur suum terminum à se distinctum. Id ipsum autem præstant  
actiones medie de facto, quæ tamen non sunt principium termini, sed  
pure sunt via: & sic tale principium assit potius via, & non principium.  
Quoad secundam partem prob. Quia si produceretur actione à  
se distincta, cum ipsum principium sit actio producua alterius ter-  
mini, daretur actionis actio, contra sèpè dicta.

373 Obijcies 1. Actio non esset via, nec ratio producendi terminū;  
si terminus non distingueretur ab illa: ergo non est possibilis actio,  
qua sit idem cum termino. Resp. 1. Iam esse viam agentis ad termi-  
num, licet non termini ad se ipsum. Resp. 2. Non omnem actionem  
requirere esse viam termini, ut distincti, sed sufficit esse impropriè  
viam, vel modum agentis respectu termini, dummodo sit propriè  
ratio producendi terminum: hoc habet talis actio, & sufficit, licet ra-  
tionem viæ propriè non habeat.

374 Obijcies 2. Actio generatiua hominis habet terminos distin-  
tos quos vnit, nempè materiam, & formam: ergo hæ denominantur  
productæ ab ea. Resp. Nego conseq. quia quando actio haberet duos  
terminos, directum, & indirectum, isti non dat denominationem pro-  
ducti,

ductis, sed illi ab ea. Resp. nego conseq. Patet in Incarnatione, quæ est actio, & tamen non denominatur verbum productum ab ea, licet sit terminus eius, ut ipsa est simul unio. Cognitio etiam est actio, & denominat objectum cognitum, & non productum: ergo.

375 Obijcies 3. contra 5. conclusionem. De facto datur creatura, quæ non producitur, nisi ita ut semper unit animam cum corpore, ut est unio: ergo non repugnat principium identificatum cum actione, quod semper producat. Resp. Non nisi hac unita ratione nostram conclusionem præcipuum enim fundamentum ab absurdo est, quod daretur actionis actio, ut in probationibus vidistis. Disparitatem tamen dare possum, in eo quod de natura essentiali unitatis est semper unita inseparabiliter; de essentia, & natura cause est separabilitas ab effectu suo: ergo contra eius essentiam, & naturam est, quod res sit identificata cum actione, qua producit.

### SECTIO III.

#### *AN ACTIO EDUCTIVA REALITER DISTINGVATUR AB agente, & termino.*

376 Dico primo: Non est adæquate idem cum agente. Probatur: Nam Deus eduxit in exordio mundi primas formas materiales: Sed hec educationes non fuere idem cum Deo: ergo nulla actio est idem cum agente. Minor prob. Nam educatio est materialis actio, & passio, utraque Deo repugnat: ergo. Secundo prob. Nam agens potest esse, qui producat terminum: Sed actio non potest esse, qui producat terminum, ut ex eius essentia constat: ergo non est idem cum agente.

377 Dico 2. Nec est idem adæquate cum termino. Prob. Nam in termino non repugnat illa auctoritas in differentia, ut vel à tali, vel tali causa, vel à Deo solo producatur, quæ actioni repugnat essentialiter, quia est summa determinatio: ergo.

378 Dico 3. Eductio etiam distinguitur realiter ab agente, & termino simul; quia nunc datur ignis A, & ignis B, qui fuerunt agens, & terminus, & dantur simul, & iam non datur actio: ergo actio educitua non est idem cum agente, & termino simul.

379 Obijcies 1. Angelus essentialiter est ens creatum: ergo essentialiter est ens productum à Deo: ergo ens indistinctum essentia liter à productione. Resp. negando ultimam conseq. Ratio est, quia creatura est essentialiter radicaliter quid productum à Deo, non tamen formaliter per identitatem, & sic si prædicatur de illa productio, verificabitur subiectivæ, & extraessentialiter. Angelus est subiectum productionis Dei, non productio ipsa.

380 Obijscies 2. Ex Aristotele assertione, motum non esse quid distinctum à rebus: ergo res identificantur cum actionibus. Resp. distinguendo: Non est quid distinctum entitatiue à rebus, concedo: modaliter nego, & sic Aristoteles dixit, quod non est entitas, sed modus.

## SECTIO III.

*AN ACTIO CREATIVA DISTINGVATVR AB AGENTE,  
& termino.*

381 Dico primo. Creatio non est volitio Dei. Probatur: Nam hinc sequeretur ab æterno esse Angelam creatum, siquidem ab æterno erat volitio, quæ erat creatio, quod est contra Genesim: *In principio creauit Deus, &c.*

382 Respondet Linee, Deum ab æterno posse dici producētem, & creaturæ ab æterno productæ, si ly ab æterno appellat supra creatorē, qui est Deus, & non supra terminū nempè creature: Sieut Deus dicitur ab æterno odio habens peccatorem, & peccator odio habitus à Deo, quia ly ab æterno, appellat supra odio habentem nempè Deum.

383 Contra: Nam est impossibile, quod possit vere dici rem esse productam, quin possit dici esse extra causas pro tempore, aut statu quo est producta: ergo si ab æterno posset dici esse rem productam, ab æterno necessario deberet esse extra causas, & existens, quod est falsum. Ad exemplum resp. Quod peccator, ut odio habeatur ab æterno, non requiritur, quod physicè ab æterno existat, quia illa denominatio odio habiti est intentionalis, ut tamen ab æterno res dicatur productæ, requiritur ut ab æterno dicatur existens, & physicè extra causas.

384 Dico 2. Creatio non est volitio diuina & ipsa res creata. Probatur: Nam eductio Leonis non est volitio Dei, & Leo eductus: ergo nec creatio Angeli erit volitio Dei, & Angelus creatus. Probatur 2. Accidentia panis, & vini ante Consecrationem sunt simili cum voluntate Dei, eorum vero creatio est post Consecrationem, & non ante Consecrationem: ergo voluntas non est essentia creationis, &c.

385 Dico 3. Tām termini natura sua dependentes, quam non dependentes distinguntur à creatione. Probatur prima pars in quantitate Euchastistica, quæ est natura sua pendens, hæc distinguitur à creatione, siquidem ab illa separatur, quando definit esse sub accidentibus Corpus Christi: ergo termini natura sua pendentes distinguntur à creatione. Probatur secunda pars: Nam eductio, ut vidimus, distinguitur à termino educto: ergo creatio distinguitur à termino creato. Probatur etiam, quia Angelus, qui insi-

nitis creationibus potest à Deo creari, si cum illis identificaretur, non potest esse, quin cum omnibus esset: hoc est falsum, ut ex se pater: ergo, &c.

386 Dico 4. Creationem non esse carentiam, neque entitatem possit uā, sed modum. Probatur; Nam creatio est actio physica physicè producens, ut quo terminum: Sed id nequit carētijs convenire: ergo nec esse creatio. Deindē, de ratione omnis entitatis est esse indifferentem, ut determinetur: Sed hoc est directe contra essentialiam actionis, quæ est summa determinatio: ergo non est entitas.

### SECTIO V.

#### *ALIA DVBLIA DE ACTIONE PERCVRRVNTVR.*

387 Quæres 1. Qua ratione actio eductiva producit terminum dependentem à subiecto? Resp. quia est unio termini cum subiecto. Probatur, quia omnis eductio producit terminum, & unit illum cum subiecto: ergo ideo eductio erit dependentia termini à subiecto, quia ipsa est unio termini producti cum subiecto. Confirmatur: Nam ideo creatio est talis, quia non unit terminum cum subiecto in hæsionis: ergo ideo eductio erit talis, quia unit terminum cum subiecto in hæsionis.

388 Quæres 2. An omnis actio sit intrinseca termino, vel agenti? Resp. Actionem transiuntem esse intrinsecam termino, non verò agenti. Prob. Nam illud est intrinsecum, quod est intime præsens: sed ita se habet actio respectu termini: ergo Minor prob. Nam nequit intelligi, quod actio det esse termino, quin sit intime præsens termino: ergo si illi dat esse, est intime præsens: ergo intrinseca.

389 Non esse intrinsecam agenti patet, non enim est intime præsens illi, nam ut det esse termino, non requiritur, ut sit intima agenti: ergo actio transiens solum est intrinseca termino.

390 Quæres 3. A quo specificetur actio? Resp. ab agente, à termino, & à modo tendendi. Probatur prima pars: Nam est via eorum: ergo essentialiter specificatur ab eis. Confirmatur: Nam quia unio est essentialiter via extremonum, ab eis specificatur: ergo etiam actio, quæ est via, &c. Deinde mutato quolibet mutatur actio: ergo specificatur ab eis.

391 Quæres 4. An aliqua substantia possit de possibili aliiquid, ut causa principalis creare? Negant Thomistæ, & Scotistæ. Fundantur in eo, quod ens, & nihil distant simplicitur infinitè, & dum ens crearet, vinceretur in hoc esse hæc distantia simpliciter infinita: sed ad hoc requiritur virtus simplicitur infinita: ergo si hanc non haberet talis substantia possibilis, nec posset creare. Retorquo argumentum: Inter terminum a quo, & ad quem datur distantia infinita eadem ratione, ac inter ens, & nihil: Sed virtus ge-

neratia non est simpliciter infinita; ergo nequit per generationem vincere hanc dilectionem. Negabis hoc. Et ego illud.

392 Sit ergo nostra conclusio: Possibilis est aliqua creatura, quæ possit aliquid creare, tanquam principialis causa. Ita plures Autores. Probatur. Nam ex perfectione termini colligitur perfectio causæ: sed terminus creatus est finitus: ergo causa non requirit esse simplicitur infinita. Deinde; nec ex parte modi requiritur infinitudo. Probatur: Nam modus est operari sine subiecto: hoc non involuit infinitudinem: ergo. Probatur 2. Nam Deus communicat creaturis participationem suæ cognitionis, amoris, aliorumque attributorum: ergo non implicat, quod communicet alicui creaturæ participationem eminentiæ creatiæ principaliter.

393 Obijcies: Inter ens possitivum & nihil, datur infinita distantia: ergo implicat creatura potens creare. Resp. Nego antec. quia hæc solum datur inter ens infinitum, & nihil: secus inter ens finitum, & nihil: Nam quod creaturæ est finitum. Resp. 2. cum Lince: illam distantiam vinci per creationem minus principaliter provenientem à creatura, & principalius à Deo: cum ergo in Deo iam præluceat virtus simplicitur infinita, ad quid in creatura, quæ minus principaliter se gerit?

### DISPUTATIO XV. ET SECTIO I. DE INFINITO.

394 **I**Nfinitum explicit Aristoteles: cuius aliquid semper est extra; id est cuius qualibet determinata pars sumpta, semper manent aliae, & aliae sine fine accipiendæ: quam ob rem sume quodlibet determinatum & terminatis instans, & alia sine fine percurrenda invenies.

395 Dator infinitum simpliciter secundum essentiam; & infinitum secundum quid. Primum est, cuius essentialis perfectio terminum non cognoscit, qualis est solus Deus. Secundum est, quod limitata essentia gaudet, & alia ratione præteressentiali constat, quæ infinita est, ut secundum numerum, aut latitudinem, &c. Infinitum secundum quid dividitur in cathegoreticum, & sincathegoreticum. Primum est quod secundum partes actuales est ita infinitum, ut careant fine. Secundum est quod secundum partes actuales est finitum; & infinitum, quatenus infinitæ partes addi possunt quas continet in potentia. Sic anima rationalis, ut duras & ut præsens instans connotat, finita est; infinita tamen ut terminativa aliorum, & aliorum instantium, quibus si sine fine potest correspondere.

396 Quodlibet horum infinitorum est triplex. Secundum multitudinem: secundum extensionem localem: secundum iunctionem gradualem. Primum est, quod infinitas amplectitur unitates. Secundum est, quod occupat spatiū sine termino. Tertium est, quod gradibus interminabilibus coalescit.

397 Nota, quod si haec partes, aut hi gradus, quibus fundatur infinitudo, sint actu infinitæ, pullulat infinitum cathegorematicum: si partim sunt actu, & partim in potentia, infinitum cognominatur sive cathegorematicum.

398 Nota etiam: nullum esse infinitum quantumvis maximum, quod Deus per cognitionem non percurrat, tam in aggregato, quam in singularis eius partibus; non illas successivè enumerando, sed omnes ut sunt in se, perfectissimè comprehendendo.

## SECTIO II.

## AN PONI POSSIT IN RERVM NATVRÆ INFINITVM IN ACTU?

399 **R**atio dubitandi est, quia entitatis possibles, certo numero tenentur, ultra quem non sunt aliæ possibles. Deinde, quia licet possibles sint infinitæ entitatis, non est omnino certum, quod haec infinitudo entitatum sit possibilis ad coexistentiam actualem.

400 Suppono nunc cum Divo Thoma, creaturas possibles esse infinitas saltem quoad multitudinem, & magnitudinem quantitatum. Probatur hoc; nam quem actum intellectus inventies, qui non sit noscibilis per alium reflexè, & ille per alium, & ille alius per alium, &c. in infinitum? Idem de actu voluntatis: ergo sunt possibles infiniti actus voluntatis, & intellectus. Si autem sunt possibilia infinita individua actuum intellectus, &c. cur non infinita individua hominum, equorum, &c.

401 Confirmatur: nam non datur repugnantia ex parte rerum; quia si usque nunc prædicata hominis cum tot individuis non repugnant, cur cum alijs pluribus, & infinitis? Nec datur ex patte Dei, cuius virtus extenditur ad omnia, quæ inter se non repugnant: ergo, &c.

402 Observa etiā ut dignum, & utile notatu, quod infra Deum dantur infinitæ species perfectiores, & perfectiores in infinitum; nam in eis nulla potest assignari, supra quā alia perfectior nō sit assignabilis: & nō ideo Deus ultimæ speciei perfectioris erit terminus, aut finis aggregati huius, quia Deus cum non sit intra hoc aggregatum, nequit ab illo claudi.

403 Nota etiam: nullum infinitum augeri posse versus partem, versus quam est infinitum; nam non esset infinitum, siquidem supponeret ultimam extremitatem, cui vniebatur augmentum. Pari formiter negabis posse moveri localiter lineam, aut corpus infinitum versus partem, qua est infinitum; nam hoc supponit partem ultimam, quæ mobe

batur,, & transibat ad occupandum locum, quem non occupabat: sed hoc repugnat linea infinita: ergo, &c.

404 Nota etiam: nullum infinitum posse esse maius alio secundū partem qua est infinitum. Probatur sic: ponamus duas lineas infinitas versus orientem, ut una maior esset alia, nonne requirebatur, quod maior dicere posset minori: vsque huc e quales currimus; tu tamen hic cessas, & ego amplius progredior? hoc non aborret mens infinitam vtramq; lineam apprehendens? ergo negandus est excessus. Non nego quod à parte antea, id est versus partem, qua incipiebant in infinitum extendi, posse dari magis & minus, supponendo quod non vide quaque sunt infinita; hoc tamen probat, quod creatura sit maior alia, qua parte sunt finitae, & materialiter, non vero qua infinita, quod conatur conclusio adversa.

405 Obijcies; creet Deus infinitos mores, & in quolibet vnam tantu formicam, ambo erunt infinita; vniat vna parte formicas suo ordine, & alia parte vniat montes, quis negabit maius, & longius esse infinitum montium, quam formicarum?

506 Resp. maiores esse singulos montes singulis formicis; nego tamē maius esse infinitum infinitorum montium, quam infinitum infinitarum formicarum, quia ambo carent fine.

### SECTIO III. RESOLVITVR QVESTIO.

507 Ico primò: per potentiam Dei absolutam dari potest infinitum in actu secundum magnitudinem, & multitudinem. Probatur; nam actu sunt possibles infinitae entitates: ergo si non repugnat quod simul possint existere, non repugnabit, quod simul existantur. Confirmatur: nam nullus homo contradictroriè opponitur cum existentia alterius, nec hic alter cum altero distincto, nec hic cum alio. Vnde ergo origi potest hac repugnantia, vt simul non existant infiniti homines?

408 Dices: non bene argui ex possibiliitate ad actualitatem, quia certum est posse numerari in infinitum entitates omnes possibles, & ex eo, quod possint numerari, non arguitur posse reduci ad actum hanc numerationem omnium entitatum possibilium, ergo &c.

409 Nego conseq. & Resp. numeratione ex alio capite repugnare, nā de ratione numeri est, quod contineat determinatè primum, & ultimum, & de ratione infiniti est id excludere; quam ob rem hinc orietur repugnantia, ut actu numeratio existat; infinitum vero actu poni non arguit in eo finem, & ideo ex hoc capite non est cur repugnet.

Con-

410 Confirmatur conclusio: actu enim nequeūt existere infinita res: ergo actu concessuri estis, quod existunt infinita negationes & carētias: ergo iam datur aliquod infinitum.

411 Dico secundò: infinitū secundū intensionē implicitat contradictionem, tam quoad possibilitatem, quam quoad existentiam. Hanc conclusionem ad tractatum de generatione, vbi fusse probatur, remitto.

412 Nota in fine infinitum magnitudinis, & multitudinis posse dari etiam de potentia ordinaria Dei, si constet partibus, aut unitibus, quæ ex una parte possint seorsim produci de potentia ordinaria Dei, & ex alia non sint ex natura rei incōpossibiles inter se, vt Angeli, quorum uterque ex natura sua non petit non existere alium.

413 Non idē dicendū de quantitatibus sublunaribus, quæ indigent ad sui existentiam influxu Cœli, & hunc non impetrarent extra mundi ambitum, & sic non possent existere, nisi intra illum; & sicut in mundo, quia limitato, non infinitæ quantitates comprehendendi possunt, idē repugnat infinitum quantum sublunarium.

### SECTIO III. SOLVNTVR ARGUMENTA.

414 **O**bijcies primò: si Deus produceret infinitum exauriret suā Omnipotentiam. Retorquo argumentum; quia Deus ponebat existentes infinitas entitates exauriret potentiam eas ponendī ergo quando Deus ponit existentem unam solam entitatem exaurit eminentiam, aut potentiam eam ponendi, quod abhorrent aures. Resp. non exauriri. Tū quia eas conservaret, tum quia eas posset anhilare, & iterum reproducere: ergo semper omnipotentia ad hęc munera indemnis manebat.

415 Dices: supponatur hęc omnia iam patrasse, nempē anihilasse eas, & eas reproduxisse omnibus modis, quibus poterat: ergo iam nihil restabat producendum: ergo exulta manebat. Resp. dans hanc suppositionem, & dico quod tunc nihil Omnipotentia lēdebat, quia hęc impotentia oriebatur ab extrinseco ex parte termini, non ex parte sua.

416 Obijcies secundò: infinitū productū à Deo non caderet sub aliquo peculiari fine; ergo nequit produci à Deo. Resp. nego anteced. caderet enim sub fine ostendendi Deum suam omnipotentiam, aut sub alia libera intentione.

417 Obijcies tertio: esse numerabile, vel mensurabile, est passio quantitatis: sed hoc non haberet illa quantitas infinita: ergo nō posset produ-

duci. Resp. esse passiones quantitatis finitæ, non infinitæ.

418 Obijcies quartò: si daretur lapis infinitus, haberet infinitā gravitatem: ergo moveretur infinita velocitate: ergo in instanti: sed est impossibilis motus localis in instanti: ergo & lapis infinitus. Resp. distingo anteced. haberet infinitam gravitatem extensivè, concedo: intensivè, nego, idest haberet gravitatem infinitè extensam in partibus infinitis, quibus constabat: at quælibet pars lapidis illius haberet determinatos gradus intensionis, qui sunt finiti. Resp. etiam ut dixi, quod non posset moberi, si esset infinitus lapis ob rationem allatam.

419 Obijcies 5. si detur infinitum hominum, quorum vterque sumat unum lapidem, tunc finietut infinitum lapidum: ergo &c. Resp. quod si successivè illos lapides summererent, nunquam omnes summeretur, sed semper maneret alius, & alius sine fine summendus si simul, finientur per infinitum.

## LIBER QVARTVS PHYSICORVM DE LOCO.

### DISPUTATIO I. ET SECTIO I.

#### DE LOCO REALI, ET IMAGINARIO.

420 **A**ristoteles sic definivit locum: ultima superficies corporis primò continentis immobilis, v.g. quando unum corpus circundatur alio, superficies ultima circumdantis dicitur esse locus alterius intra ipsum contenti.

421 Nota 1. ly ultima superficies, ad excludendas reliquas superficies corporis continentis, quæ non sunt locus, quia non sunt ultimæ, nec immediatè locatum attingunt.

422 Nota 2. ly corporis continentis: ut excludatur à ratione loci, ultima superficies corporis contenti, quæ potius gaudet ratione locati quam loci.

423 Nota 3. ly primò continentis, idest immediatè, quamobrem licet ego à domo circunder, & continear non est locus, quia non primò, & immediatè, sed solum ab aere circunferor immediatè, & primò, & ideo est locus.

424 Sed opus, & labor est in illa particula immobilis, nam viderur locum mobilem esse, siquidem aer, & aer mobetur.

425 Non cum Arriaga illam particulam superfluam notes, ab immensi Doctorum communitate aberrans, qui illam particulam ut necessariam salvant, & sic redime Aristotelem ab hac scđitate cum Toloto de-

defendente locum esse immobilē! In primis, quia locus est terminus motus localis: ergo deber esse immobilis. Alias si moberetur cū corpore, nunquam corpus de uno loco in alium transiret, nam secum portaret eundem locum anteriorem.

426 Insuper turres, & Pontes manent fixæ in eodem loco, & tamen superficies aëris, & aquæ mutantur quotidiè: ergo si locus est idem, & permanens, aliquid datur in tali loco, per quod sit permanens, & immobilis.

427 Dico ergo locum supra definitum, importare duo, nempe, & superficiem concavam, & distantiam physicam à centro. Superficiem dicit pro materiali, distantiam vero à centro dicit pro forma- li loci, & hæc est, quæ constituit locum in ratione immobilis, & iux ta mutationem vel non mutationem istius, mutatur vel non, locus. Vnde aqua in vase elevata, mutat locum, quia mutat distantiam à centro, licet non superficiem vasis. E contra turris & pontes.

428 Vnde Sol licet non mutet distantiam mathematicā à centro, quia tamen mutat physicam etiam mutat locum. Centrum ergo est mensura locatorum, sicut tempus est mensura durantium, licet centrum non sit in loco, sicut nec tempus in tempore.

429 Infero locum naturalem & physicum non esse terminum in trinsecum motus localis. Probatur, quia locus nō producitur per illum, siquidem iam supponitur productus. Deinde nec recipitur in illa, immo corpus est, quod locatur in loco: ergo locus est terminus extrinsecus locati & non intrinsecus.

## SECTIO II. *De spatio imaginario.*

430 **S**patium imaginarium est illa interminabilis capacitas corporibus vacua, carentijs plena, apta tamen corporibus repleri, qualis est illa, quæ datur supra omnes cœlos, siquidem supra illos non repugnat alios plures mundos produci.

431 Intolerabilis est sententia dicens, hanc capacitatem esse fictionem. Quia nullo fingente intellectu, datur supra cœlos aptitudo, vt ibi ponantur corpora; ergo datur realis capacitas. Deinde, quia si Deus destrueret omnes creaturas existentes inter cœlum & terram; & è cœlo deiceret gravissimum saxum, quis non videt, velocissime descensurum; ergo per motum. Motus autem fit de loco in locum; sed non descenderet per realem; quia nil reale positivum mediaret inter cœlum, & terram: ergo per imaginarium.

432 Dico ergo, spatiū imaginariū esse non repugnantiam præsentia, per quam vel partes vnius corporis posint constiui ianta, vel tanta distantia inter se; vel vnum corpus in tanta, vel tanta distantia ab alio; v.g. extra cœlum non repugnat produci corpora cum hac, vel illa distatia, & suarum partium inter se, & vnius ab alio; ita ut hoc spatiū imaginariū determinate dicat solum non repugnantiam præsentia in tanta distantia, vase vero hanc vel illam non repugnantiam, huius vel illius numero præsentia, ea ratio ne qua diximus de loco reali.

433 Probatur ergo sententia sic explicata, quia in eo debet consistere spatiū imaginariū secundum rem consideratum, quod cū verificetur ex parte rerum, vere etiam adquiratur per motum, tanquam terminus ipsius motus: sed non repugnantia prædicta verificatur ex parte rerum, quia ante ullam fictionem intellectus, est verum dicere non repugnare talem præsentiam, qua corpus tantum distet ab alio. Deinde talis non repugnantia adquiritur re vera per motum, qui facit existentem ipsam præsentiam: ergo in ea non repugnantia præsentia debet consistere spatiū imaginariū secundum rem consideratum.

434 Quæres; an Deus de facto sit ultra cœlum? Resp. affirmativè cum Suarez. Probatur conclusio; nam est debitum immensitati Dei infinita substantialis diffusio, & diffusio. Deinde, nam si corpus loca retur in spatio imaginario, diceretur illi præsens Deus: ergo Deus iam erat ibi: ergo etiam Deo debet correspondere talis præsentia titulo sue immensitatis: ergo Deus est in spatio imaginario.

### SECTIO III. An præsentia distinguatur à re præsenti.

435 Ico 1. præsentiam realiter distingui à corpore præsenti, & à loco reali, ubi est præsens. Probatur, nam datur in rerum natura Petrus & hic locus, quin Petrus sit in hoc loco: ergo Petrus in hoc loco, aliquid addit supra entitatem Petri, & huius loci. Probatur anteced. nam hoc loco perseverante, potest Petrus esse præsens Romæ: ergo Petrus & hic locus, non identificatur cum præsentia Petri in hoc loco: ergo Petrus in hoc loco aliquid addit praeter entitates Petri, & huius loci. Id ergo quod addit est præsentia. Dices, Petrum in hoc loco esse vtrumque simul, nō quodlibet seorsim sumptum. Contra, quia vel esse simul Petrum & hunc locum, addit aliquid supra meras entitates Petri & loci, vel nihil? Si 2. ergo eo

eo ipso, quod sint entitates huius loci & Petri in rerum natura erunt simul, quod ut falsum iam impugnauimus. Si primum : ergo aliquid additum dicitur ergo id erit praesentia, quod intendimus.

436. Queres. Qualis sit effectus formalis praesentiae? Nota, quodlibet corpus esse indifferens, ut alteri sit approximatum, vel distans: & tunc dicitur alteri esse approximatum, quando ita quodlibet est extra aliud, ut nullum aliud inter ea mediare possit: & tunc distans, quando interponuntur alia corpora inter unum & aliud, & erit magis vel minus distans pro maiori, vel minori longitudine interpolitorum. Proprium ergo est praesentiae, hanc corporum indifferentiem auferre, ita ut sit de ratione praesentiae ut sic, reddere corpus formaliter indistans, vel approximatum loco.

437. De ratione vero talis praesentiae ut talis est, reddere corpus taliter, vel taliter indistans, seu formaliter approximatum. V.g. praesentia quam habeo in hoc loco, est ratio formalis propter quam ab illo non disto: immo ratione illius denominor illi approximatus: hoc enim posito, datur praesentia mei in tali loco inevitabiliter; & hoc ablatu, datur distantia mei ab illo, quae est contraria praesentiae: ergo praesentia formaliter consistet in tali predicato. Quænam autem sit talis indistantia, & approximatio ad locum, statim explabo.

438. Dico 2. quod praesentia est modus. Probat. quia ut diximus, praesentia est praedicatum superadditum loco & locato, ratione sui indistans a tali loco, & intime affixa locato, illud approximans, & applicans ad spatium, cum quo necessariam habet connexionem, & alligationem, ita ut nec divinitus posit ab illo separari, sed haec est essentia modi ergo praesentia est modus.

439. Obijties. Modus ille non producitur a corpore, nisi ut iam indistante a loco, ergo ante modum iam erat praesentia. Distinguo anteced. ut indistante formaliter & allitative, nego: fundamentaliter, & vialiter, concedo antec. & nego consequent.

440. Ex dictis infero animam rationalem, & Angelos propriè esse praesentes locis, quia propriè sunt indistantes, & approximati locis, ut clarum est, ergo & praesentes.

### SECTIO IIII. Quotuplex sit praesentia localis.

441. Inter praesentias locales, perfectior est immensitas Dei, que omnem replebilem locum adimpleat se ipsa, & est eius essentia.

## Disputatio XVI.

xia entitative, qua parte attributa idem sunt cum essentia. Datur deinde alia præsentia determinata, quæ est illa, qua corpus limitatum, est indistans, & approximatum, & pro illo instanti alligatum spatio finito. Alia est circumscripiva, qua res ita in loco determinato constituitur, ut in eo habeat singulas suas partes extra alias, ut præsentia rei materialis. Alia est definitiva, qua res aliqua ita est in spacio divisibili, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte & indivisibili illius spatij, sed definitivæ: ita ut talis præsentia non sit infinita, sed habeat finem, & limitem: hac præsentia fruatur corpus Christi in Eucharistia, & etiam Angeli.

442 Dubium nunc est, qua ratione differant præsentia definitiva, & circumscripiva. An essentialiter, an vero accidentaliter. Et nō est dubium de præsentia definitiva Angeli, & circumscripiva materialis, nam hæ certum est, quod differunt specie; una enim est materialis, & alia spiritualis. Quæstio est de præsentijs rei materialis, quarum una sit definitiva, & altera circumscripiva, quales sunt, quas habet Christus in Cœlo, & in Eucharistia.

443 Dico has præsentias esse essentialiter distinctas. Probarur, nam nulla pars præsentia circumscripiva potest partem corporis sibi correspondentem cōstituere in pluribus partibus spatiij: at hoc potest definitiva: ergo distinguntur essentia liter. Vnde constat præsentiam, qua Christus gaudet in Eucharistia, esse supernam quoad substantiam. Probatur, tum quia est supra vires, & exigentiam totius naturæ: ergo supernatum quia semper miraculo reproducitur: ergo est superna.

444 Quæres. An præsentia subiectorum distinctorum specie, distinguatur specie? Resp. distingui, si afficiantur illis prout diversis, quia diximus esse modos, qui se ipsis cōnectuntur cum subiecto: ergo si hæc specie differunt, etiam illæ.

## SECTIO V. An idem corpus posse esse in dupli loco?

445 **C**ertum est apud Catholicos, idem corpus posse esse in uno loco circumscriptive, & definitive in alio, ut Christus in Cœlo, & in hostia: in hac definitive, & illic circumscriptive. Deinde est certum quodlibet corpus naturaliter esse determinatum ad unam tantum præsentiam circumscriptivem. Difficultas est, an posit de potentia Dei, habere duas circumscriptivas simul, vel plures.

446 Conclusio est affirmativa. Prob. i. Non implicat, quod corpus

pus Christi circumscriptive sit in uno loco, & definitive sit in alio: ergo nec quod circumscriptive sit in duobus. Consequentia prob. quia non repugnat ex parte subiecti, in quo datur poterit ad plures presentias circumscriptiveas, licet successive eas nunc recipiat: nec repugnat ex parte presentiarum, quia una presentia circumscriptive, nec est negatio alterius, nec contradictorie illi opponitur, ut constabit ex solutione argumentorum: ergo. 2. prob. quia presentia circumscriptive non circumscribit corpus nec finit, aut claudit, ita ut nequeat divinitus stando intra illam simul esse extra, ut patet in Eucharistia: ergo quod sit extra, non est contra essentiam circumscriptive: ergo poterit esse divinitus intra, & simul circumscriptive extra, quin ex hoc sequatur aliqua repugnantia contra essentiam primae presentiae.

447 Obijcies 1. de ratione loci est adæquare corpus contentum: ergo si esse potest in alio loco, non adæquaretur, siquidem non adæquate esset in illo. Resp. hoc fidei contrariari, siquidem ex eo, quod Christus esset in loco, quem in celo occupat, adæqua retur ab illo loco: ergo non posset esse in alio, & sic non esset in hostia, si ex eo quod sit in uno, ita adæquatur ab eo, ut non aliud occupare possit. Resp. ergo, quod ab utroque loco adæquaretur corpus: non per unum, sed per repetitam cōmensurationem, quarum quilibet commensuratio adæquaret corpus quoad sufficientiam, & quoad possitivum essendi ibi, licet non quoad non esse alibi.

448 Obijcies 2. Corpus potest esse in duplice loco: ergo in pluribus: ergo in omnibus: ergo in infinitis: ergo esse potest immensum. Resp. 1. distinguendo ultimum consequens: esset immensum immensitate creatae & ab alio, aut defectibili, concedo: increata, & independenti, quæ est propria Dei, nego: Adhuc ergo illa creatura non habet aliquid Dei. Deinde, quia Deus libere posset illam producere, & postea eam posset destruere, posset etiam subtrahere cōcursam, ut omnem transcenderet locum, quæ infirmitates immensitatib[us] Dei repugnant. 2. nego 3. conseq. de infinitis.

449 Obijcies 3. si posset idem corpus esse in duplice loco per duas presentias, poterit & in eodem, sed hoc repugnat: ergo &c. Probatur minor: nam cum accidentia individuentur a materia, non poterint esse duæ numero presentiae in eodem subiecto, præcipue respectu eiusdem loci. Resp. nisi falsa ratione argumentum, nam iam fuisse impugnavi supra, accidentia individuari a materia. Deinde admitto sequelam, ut non absurdam; nam si non obstat idegitur asser-

merica subiecti; ut idem numero subiectum pro diversis temporibus sit in eodem loco per diversas numero praesentias, cur non poterit idem contingere pro eodem tempore?

450 Obijcies 4. si quantitas ponetur in dupli loco, esset eadem, & diversa: sed hoc implicat: ergo &c. Mai. prob. esset eadem, vt supponimus; diversa probatur: quia mediarent corpora intercedentia: sed hoc arguit distinctionem inter extrema, inter quae mediant: ergo esset diversa. Resp. hoc non probare diversitatem quantitatis quoad entitatem, sed quoad loca diversa, quae occupat illa eadem & indivisibilis entitas quantitatis; quod nota ad responsionē simuliū argumentorum, à paritate Christi vilocati, cuius corpus possum Cæstraugustę in hostia consecrata, distare videtur a se ipso posito Romæ in alia hostia, quin re vera distet a se distantia entitatis, sed extrinseca loci & corporum intercedentium.

451 Queres. An corpus posit absque illa praesentia conservari de potentia extraordinaria? Pars negans fundatur in eo, quod nequit intellectus noster concipere corpus, nisi sub aliqua praesentia. Sed infirma est hæc ratio, quia Omnipotens Dei manus non est intra nostri intellectus metas constringenda.

452 Arriaga sic eam probat. Nequit intellectus sine aliqua duratione corpus aliquod concipere: ergo nec sine aliqua praesentia. Resp. discrimen esse, quod res durans non distinguitur a duratione bene vero praesentia à re praesenti; Potest enim praesentia corrupti non corrupta re praesenti, neutquam vero corrupta duratione, potest res durare.

453 Sit ergo nostra mens; quamlibet rem, quæ vel non est praesentia, vel praesentia modus, posse absque praesentia conservari. Probatur, nam homo distinguitur à sua praesentia: Deinde neque est modus hominis, nec per illius actionē producitur: ergo potest Deus cessare pro suo libito ab actione conservativa praesentia hominis, ipso homine perseverante. Hæc intellige de praesentia superaddita (& idem dicam de duratione superaddita si detur): de praesentia enim quæ solum sit correspondentia quædam ad locum imaginariū et respectivū centri, est inintelligibile quod posit deficere, & idem dicam de duratione respective ad tempus imaginarium.

454 Nota tamen, vnam praesentiam non posse esse praesentem loco per praesentiam aliam superadditam. Probatur à paritate albedinis, quæ non potest esse alba per aliam albedinem, & animæ rationalis, quæ nequit informari per aliam: ergo neque praesentia esse

præsens per aliam præsentiam. Quod intellige adhuc de potentia extraordinaria; quia Deus nequit facere, quod intellectio reddat in telligētem aliam intellectionem: ergo neque quod præsentia aliam præsentiam præsentem. Ratio à priori est, quia Deus nequit facere, quod forma det suum effectum formalem subiecto, cuius non est informativa: sed vna præsentia non est informativa alterius, ut subiecti indifferētis; quia illa est per se determinata; ergo vna præsentia nequit aliam informare adhuc divinitus.

**SECTIO VI.** *An Corpus in duplice loco existens, habeat necessariam eadem accidentiam.*

455 In sententia afferente, omne quod reperitur in composito, esse præsens per præsentiam quantitatis, non est difficultas. Nam si eadem quantitas est, quæ transfertur ad duplē locum, si reliqua compositi sequuntur præsentiam quātitatis, etiam accidentia omnia illius compositi erunt in duplice loco. Et sic solū est difficultas in sententia, quam nos defendimus, nempe quālibet compositi entitatem esse in loco per præsentiam sibi propriam.

456 Nota etiam, alia esse accidentia, quæ pendent à loco, vel quia per illa sit res existens in loco, qualis est præsentia: vel quia se ipsi connectuntur cum ipsa præsentia. Talis est motus localis, situ, distantia, &c. Alia sunt accidentia, quæ secundum se sunt absolute à loco, ita ut quantumvis varietur locus, ipsa maneat secundum suam entitatem invariata. Talia sunt albedo, nigredo, calor, &c. Non est difficultas de primis accidentibus, nam cum sint de per se fixa loco determinato, nequeunt esse in utroque se ipsis. Dubium est, an accidentia secundi generis, quæ commitantur corpus in hoc loco, debeant esse in alio, quando corpus bilocatur.

457 Sit conclusio. Non repugnat, quod corpus simul existens Romæ, & Oscæ sit album Romæ, & non album Oscæ. Probatur, nam albedo habet distinctam præsentiam in una parte, ac in alia; ergo potest Deus destruere præsentiam quam habet Oscæ, quin lèdat præsentiam, quam habet Romæ, ergo maneret album Romæ, & non album Oscæ, vbi abesset præsentia albedinis.

458 Obijcies: si corpus esset album Romæ, absolute esset verū dicere, illud corpus esse album, ut concedimus; deinde si non esset album Oscæ, absolute possit dici, non esse illud corpus album; pre-

cipue cum albedo sit accidens absolutum à loco: ergo verificarentur duo contradictoria. Resp. concedo, quod absolute posset dici: illud corpus esse album Romæ, & non esse album Oscæ; nam vt ali- quod coniunctum sit verum, necessarium est, quod utraque pars illius sit vera; & vt sit falsum, sufficit quod una pars illius sit falsa. Vnde si corpus fuerit album Romæ, utraque pars erit absolute vera, nempe quod sit album, & quod albedo eius sit Romæ, vt vero sit fal sum corpus esse album Oscæ, necessarium non est, quod corpus re vera non sit album, sed sufficit quod albedo eius non sit p̄sens Oscæ: & ideo verificari potest, quod nō sit albū Oscæ, etiam si non ve rificetur quod non sit album absolute. Et ratio est, quia vt proposi tiones opponantur, debent esse eiusdē de eodem cū eisdem circū stantib⁹ loci, temporis, &c. Cum autem circumstantia loci non effet eadem, cum duplex daretur locus; ideo nō opponerentur tales pro positiones, si amb⁹ essent vere, vel 2. Nego antec.

459 Ex quibus legitime infertur, corpus bilocatum posse in du pli loco contrarias habere qualitates, adhuc & formam, & caren tiā. Quod p̄t̄ dicta patet manifeste in corpore Christi bilo cato, quod in vno loco movetur ad motum vnius hostie, & in alio quiescit; quia etiam quiescit hostia: ergo diversitas locorum tollit contradictionem p̄dicatorum, respectu eiusdē subiecti; ergo etiā tollit quamlibet aliam oppositionē; non enim est maior ratio vnius quam alterius.

### SECTIO VII. An duplex corpus posit simul esse in eodem loco,

460 C'ertum est naturaliter non posse. Experientia enim docet quod vnum corpus, si alterius locum occupat, expellit, aliud: ergo nequeunt naturaliter cohabitare.

461 Dices: experientia novimus vas cinere repletum, tantum aquę capere, ac si nihil cineris haberet: Deinde si aurei numi conijciantur in vas aqua plenum, nihil aquę fluit: ergo datur penetratio.

462 Resp. negans utrumque experimentum. Et quoad primum attinet, fateor, vas plenum cinere multum aquę bibere, quia condensatur cinis aqua frigiditate, eiusque pondere comprimitur, qua ratione aer, cineris poros ocupans egreditur, & locum relinquit aqua. Etiam quia cinis habet vim exalandi aquam, & ideo plures eius partes abeunt in subtilissimas exalationes.

Ad

463 Ad secundum resp. quod vas, quando aqua non vertitur, non est omnino plenum aqua, licet nobis videatur esse; si vero est plenum, non circubites quod tantum aquæ fluerit, quantum occuparent illi aurei nummi; vel si non fluit, est quia aqua ascendit in medio supra vasis labium, ut sepe contingit. Solum ergo nunc procedit difficultas de potentia absoluta Dei.

464 Sit 1. conclusio; Quando vnum corpus expellit aliud, ideo est quia vna quantitas expellit aliam ab eodem loco ad modum causæ formalis. Nam ratione incompatibilitatis, quam cum alia habet, petit, ut cum presentia eius non conservet Deus presentiam alterius in eodem loco. Admodum quo vna forma incompositibilis cum alia, eo quod sit in eodem subiecto, petit quod Deus cesseret à conservatione alterius ibidem presentis; ergo hoc petit vna quantitas ratione incompatibilitatis formalis.

465 Vnde liquida orietur 2. conclusio, nēpe quod Deus de potentia absoluta poterit componere penetrationem duarum quantitatum in eodem loco. Probatur in Christo Domino, qui ex intermerato claustro Mariæ prodixit in lucem, qui etiam sepulcrum, & celos penetravit. Ratione probatum qui expulsio à loco in genere cause formalis est effectus secundarius, & impedibilis a Deo. Tum quia si vna quantitas est cum alia impenetrabilis ratione impulsus mutui, quo reciproce se excludunt, cur Deus non poterit concursum negare illis ad hanc pugnam? Quo ablato, auferantur vires ad se excludendum, & per consequens poterunt se conciliare, in eodem loco cohabitando, si provenit ab incompositibilitate formalis, ad similitudinem duarum formarum; ergo si duas formas (& si contrarias) iuxta veriorem Philosophiam potest Deus componere in eodem subiecto, multo melius duas quantitates in eodem loco.

466 Nota tamen, quod si duo lapides miraculosè penetrarentur in medio aëris, non posset quilibet naturaliter moveri. Prob. quia producerent duo lapides duas presentias in eodem loco, & hoc non potest naturaliter expediri, nam unus egrediendo, & dilabendo ab alio, traharet per alterius partes, immo nec simul possent, quia per talem motum deberent producere unam sui presentiam simul in eodem loco, quod naturaliter non posset contingere; ergo naturaliter non mouerentur.

467 Obijcies; ex suppositione quod corpus sit in duplice loco, in quolibet conservat eadem accidentia naturaliter, & datur illi concursus ad producenda illa: ergo etiam dandus est duobus cor-

poribus, quando concurrunt in eodem loco, ut connaturaliter producant motum in eodem loco.

468 Resp. esse disparitatem in hoc, quod quando corpus est in duplice loco, iam datur in illis duobus locis aliquid ratione cuius congrue, merito, & rationabiliter detur talis concursus; nam si datur intuitu corporis, ubiquecumque sit corpus, illic dandus est talis concursus. At corporibus in eodem loco existentibus, nihil datur ratione cuius producatur talis concursus; nam non ratione suarum entitatum secundum se, ve constat, quia ex se non petunt ponere duas sui presentias in eodem loco, sed in diversis. Nec ratione duplicis presentiarum, quam de facto habent in eodem loco; nam cum haec sint incompositiles in eodem loco, quilibet ex illis petit ex natura rei, quod altera non conservetur in consortio illius; ergo ex nullo capite.

### DISPUTATIO XVII. ET SECTIO I.

#### DE VACVO, ET CENTRO.

469 **D**Vplex datur vacuum, unum terminatum, aliud interminatum. Hoc est vacuitas illa, quae mundum precessit, vel quae extra cœlum apprehenditur. Vacuum terminatum ex Aristotele est, *locus carentis corpore*. Ex quo inferatur vacuum esse concretum quoddam accidentale constans loco pro materiali, & pro formali carentia corporis contenti.

470 Sit conclusio: vacuum non datur ex natura rei. Probatur experientia plurium corporum, quae innatos impetus reprimunt ad illud evitandum. Patet in fistula, cuius extremitas inferior attingit aquam. Tunc si ore trahatur aer, confessim ascendit aqua, contra innatam gravitatem. Idem videtur in illa fiala, quae Hispanè cognominatur, *ventosa*, & in alijs naturæ individuis: ergo naturaliter repugnat vacuum.

471 Ratio vero, quare natura tanto conatu satagit, ne vacuum derur, est. Quia corpora sublunaria, non possent frui cœlesti influxu, si alicubi daretur vacuum; quia illa corpora, quae infra vacuum essent, non participarent directo influxum, siquidem non possent illum Astra traijcere per illam vacuitatem.

472 Quæres, qua virtute moventur corpora ad impediendum vacuum, cum sepe gravia contra nativam inclinationem sursum a-

gan-

gantur. Sit conclusio: cuilibet corpori indita est virtus quædam attractiva, qua alia corpora, vel saltim ea, quæ supra ipsum existunt ad se trahit, simulque tracta retinet veluti glutino sibi afixa.

473 Ratio est, quia quodlibet corpus tendit in proprium centrum, ut ibi fruatur cœlorū influxibus in ea proportione, quæ magis illi congruit ad sui conservationem: his autem non posset frui, nisi in spatio interiecto alia corpora darentur, per quæ cœlum possit trahi eere suos influxus in corpora distantiora, & ideo congruum est, quod sicut corporibus inferioribus indita est vis, qua tendant in proprium centrum, alia quoque potiantur virtute, qua sibi afixa retinere possint corpora superiora, per quæ cœlorum influxus illis communicari possint.

474 Hinc fit, quod dum aërem ore trahimus ex fistula, trahamus etiam aquam infinitæ parti aëris contiguam, si vim habeamus ad illam trahendam; si auten vis gravitatis est maior, quam impulsus ore impressus in aëre ad aquam trahendam, tunc nec aëre trahimus. Nam sicut agens nō potest unam partem mouere, quin moveat aliam, cum qua est unita, sic aës, dum est aquæ contiguus per virtutem, qua aqua illum sibi tenet affixum, fieri non potest, ut trahatur aës, nisi virtus sit ad aquam simul trahendam.

475 Dices 1. vno unius partis quantitatis cum alia potest ab aliquo ingenti impulsu disolvi, licet mediet stricta vno: ergo etiam hæc vno, seu alligatio corporum provenies à virtute attractiva, poterit magno impetu disolvi, & vnum ab alio separari, etiā si in spacio medio nullum corpus subrogetur.

476 Resp. experientiam docere facile disolvi vniōnem inter duas quantitates, quando est corpus, quod in medium interiectum interponatur. Præterea experientia ducet nulla vi humana posse latera follium constricta dividiri, aut vnum elevari ab alio, si orificium obstructum, nisi forte rumpantur, vel alia via pateat aditus aëri ad occupandum spatiū intermedium. Cuius eventus nulla alia potest ratio assignari, nisi vis attractiva corporum ita efficax, ut nulla vi corporeâ vinci possit, quando aës nō adest, qui in locum relictum à lateribus follium subrogetur; quando vero aditus patet aëri, celsabunt quidein latera follium à mutua sui attractione.

477 Dices 2. Angelos posse hanc alligationem dissolvere naturaliter. Concedo: Sed Deus ut naturæ auctor, & conservator impedit id, ne suam virtutem exerceant in detrimentum Orbis. Sicut cohibet Dæmones inversionem universi causare, quam possent na-

turaliter inducere. P. Arriaga alia via, negat vacuum, quia scilicet Deus, d. m mundum creavit, illum creavit plenum, & non potest in aliquo loco vacuum dari, nisi talis materia quanta transeat, ut se penetret cum alia. Quod repugnat fieri naturaliter.

## SECTIO II.

*De centro elementorum, & motu corporum in vacuo.*

478 **O**mnia intra cœli ambitum continentur ea dispositione, quæ magis congruit cuiuscunque nobilitati, & aptior est cœlestibus influxibus pro cuiusque natura participandis; ignis ergo ut pote nobiliori natura prædictus ob suam perspicuitatem, subtilitatem, & efficaciam in agendo, supremum, & sublimè locum iuxta cœlestes orbes sibi vendicat. Istum sequitur aët alijs duobus præexcellenter. Infra aërem sucumbit aqua diffusa supra terrę faciem. Postea terra, quæ ut gravis, & crassæ substantię inter elemēta, infimè dignitatis est, infimumque locum posidet in universo.

479 Terræ centrū, in quod omnes eius partes innato pondere vehuntur, est centrum totius universi, & est illud punctum, quod èque distat à cunctis partibus circumferentię cœli. Hinc nascitur terrę firmitas & stabilitas. Nam cum undequaque eius partes in illud punctum inclinentur, ibi impetus illorum taliter sistunt, ut ultra illud moveri non tentent. Immo ultra illud neque moveri possunt, nisi ascenderent. Nam si ex qualibet parte circumferentię terrę datur descensus usque ad illud punctum, necesse est, quod ex eodem punto detur ascensus ad quamlibet partem circumferentię terræ; ascensus autem repugnat terrę substantię.

480 His notitijs prædictis, quæres, an posse moveri animal in vacuo interminato per motum progressum? Resp. affirmative; nam animal habet virtutem loco motivam versus quamlibet partem, & aliunde nullum obest impedimentum ad talem motum: ergo &c.

481 Dices: deficeret aliquod firmum pavimentum, quo nitetur animal: ergo. Resp. hoc non esse impedimentum; quia tunc nec gravitaret, nec levitaret; gravitas enim est descensus ad centrum terræ, levitas est ascensus ad circumferentiā cœli: cum ergo illic nec daretur centrum, nec circumferentia, non daretur gravitare, nec levitare.

482 Dico etiam, quod tunc in vacuo interminato non posset mo-

moveri corpus grave nativa vi, sed ab extrinseco. Probatur: nā hę virtutes gravium, & levium sunt ad causandum motum sursum aut deorsum; sed extra cœlum, nec datur sursum nec deorsum: ergo neque his virtutibus movebitur corpus.

483 Quod ab extrinseco possent moveri, probatur; nam quid obstareret Angelo, ut impelleret corpus aliquod quacumque parte velet? ergo ab extrinseco tunc moveri posset.

## DISPVITATIO XVIII. ET SECTIO I.

## DE TEMPORE.

484 Tempus vnum est reale, & aliud imaginarium. Explicabimus prius reale, quod ab Aristotele sic definitur: numerus motus secundum prius, & posterius. Nota, numerum posse esse numerantem, & numeratum; numerans est actus intellectus, qui numerat: numeratus sunt partes numeratae ab actu; & sic in definitione intelligitur, *ly numerus*, non pro numerante, sed pro numerato, ut expresse Aristoteles se explicuit.

485 Additur *motus* in definitione, ut denotetur tempus non esse numerum partium motus, simul coexistentium, sed successivarum, ut ostenditur per vlcimam particulam secundum prius, & posterius. Etenim hę solum partes, quę sibi invicem succedunt, dicuntur priores, & posteriores. Vnde infero 1. tempus non solum includere essentialiter partes motus, sed etiam prioritatem, & posterioritatem illarum.

486 Infero 2. eundem numero motum, qui constituit diem hodiernum, posse constituere crastinum &c. quia eatenus constituit hodiernum, quatenus est immediate existens post externū: sed est per accidens isti motui existere immediate post externum: ergo &c. Minor prob. nam est illi denominatio extrinsecatum etiam, quia sicut Deus determinavit agens, ut modo eliceret hunc numero motum, potuit determinare ut eliceret alium iuxta dicta supra: ergo est illi per accidens constituere hodiernum, ac per consequens sicut constituit hodiernum, potuit crastinum.

487 Infero 3. hoc tempus, seu hunc numero diem non involuerre determinate hunc motum, sed hunc vel illum vague, ita ut licet hodie daretur motus numero diversus, daretur hic numero dies, qui modo datur. Prob. Nam hic numero dies, v.g. dies primus post mil-

millesimum annum à creatione mundi est talis, quia per mille annos distat à creatione mundi, nec in communione hominum existimatione aliud requiritur, ut annumeretur iste dies, nisi prædicta distantia; Ad hoc autem, ut per mille annos distet, per accidens est, quod hunc, vel illum motum contineat, siquidem cum hoc, vel illo æquiter, eadem constabit distantia: ergo hic numero dies non magis in voluit hunc motum, quam illum.

488 Vnde fit, quod licet posit reproduci hic numero motus, non tamen potest reproduci hic numero dies, siquidem hic numero dies, ut dixi, distinguitur ab hoc numero motu, licet non à motu va-ge; ergo licet posit idem motus, non colligitur quod posit idem dies. Probat. nam ut hic numero dies reproduci posit, necessarium esset, quod transactus semel, posset ponni in eadem distantia iterum à pri-mo instanti creationis mundi, quod implicat; nam si semel trans-actus iste dies iterum poneretur, iam non distaret mille annos tan-tum ab illo instanti creationis mundi, sed supra mille annos dista-ret unum diem; ergo iam esset diversus dies, quandoquidem dista-ret magis ab illo instanti.

489 His positis: a paritate loci imaginarij faciliter tempus i-maginarium comprehendemus. Et sic tempus imaginarium secun-dum se sumptū erit possiblitas, seu non repugnantia partum mo-tus sibi immediate succendentium perenni fluxu; ita tamen ut pro materiali dicat, non repugnantiam harum, vel illarum partium vage; pro formalī vero dicat tantam, vel tantam distantiam deter-minate ab aliquo instanti fixè designato: ad modum, quo supra phi-losophati sumus de tempore reali, & de loco imaginario.

490 Vnde colliges tempus imaginarium non esse ens rationis fictionis; quia possiblitas, seu non repugnantia motus successivi non est quid fictum, sed ens reale possibile: Concipitur tamen à nobis ad modum enitatis actu fluentis, & ideo vocamus illud imaginarium, quia sub hac ratione non est à parte rei, sed tatum fictum per no-strum intellectum.

491 Obijcies. Nulla carentia tollitur, nisi per formam: at qui nō advenit forma vlla opposita instanti imaginario, quia non ad-venit repugnantia opposita non repugnantia; ergo nec tollitur in-stans imaginarium: ergo nec post unum succedit aliud. Resp. tem-pus imaginarium non esse carentiam, sed esse quoddam nil in quo datur non repugnantia ut producatur unus motus post alium, quæ non repugnantia non deperditur, & successio stat in motibus pot-e-tibus succedere.

**SECTIO II.** *An duratio distinguatur à re durante.*

492 **D**urare, si proprio loquendum sit, nihil aliud est, quam in esse accepto perseverare, atque adeo res in primo instanti, quo existit, non dicitur durare, sicut nec res in instanti primo quo producitur, non dicitur conservari, sed in tempore sequenti: Vnde durare dicit præexistentiam durantis, quæ est extrinseca denomination. Nunc verò summittur duratio pro correspondentia ad tempus sive reale, sive imaginarium; sive hæc correspondentia sit in primo instanti productionis, sive in sequenti. Quærimus ergo nunc. An quælibet res temporis respondeat per semetipsum, vel per aliquam formam superadditam, sicut corpus habet esse in loco per præsentiam distinctam.

493 Dico primo: duratio motus successivi non est forma intrinseca realiter ab illo distincta. Probatur, nam eatenus motus successivi durat, quatenus partes eius sunt priores, aut posteriores: sed hoc non habent per formam distinctam realiter ab ipso motu, vt ex Aristotele dicebamus supra ergo non durat motus successivi per formam aliquam realiter ab illo distinctam: ergo, &c.

494 Ex hoc infero, motum successivum ad hoc ut sit durans, non requirere, præter prioritatem, & posterioritatem partium, formam aliam extrinsecam cui dicatur respondens (sicut de rebus permanentibus dicemus), sed se ipso durare per solam immediatam successionem partium; quia cum hæc sine alia forma extrinseca sufficiat, ut motus constituantur in ratione temporis, necesse est quod sufficiat ut in ratione durantis constituantur, siquidem tempus nihil aliud est quam duratio motus successivi.

495 Iufero secundo: in rebus permanentibus duratio non est forma intrinseca positiva realiter distincta. Probatur, quia sicut per præsentiam constituitur res distans, vel approximata huic, vel illi loco, ita per durationem constituitur res distans, vel approximata huic, vel illi temporis: sed eo ipso quod existente hoc die producatur Petrus, distat ab anno præterito per unum annum, & approximatus est crastino die: ergo eo ipso durat, etiā si non addatur forma aliqua intrinseca. Minor probatur; quia non potest Petrus existere simul cum aliquo tempore, quin distet à reliquis eodem modo, ac tale tempus distat; sed si existente hoc tempore producatur Petrus, necessario existet simul cum illo, quia iam tunc existet unus, & aliud: ergo necessario distabit à reliquis eodem modo, ac illud

illud tempus: ergo durabit per illud sine forma aliqua *intrinseca*.

496 Dico tertio: duratio creata nō est sola entitas durans, sed supra illam formaliter involuit tempus extrinsecum reale, vel *imaginariū* cum eadem distantia ab eodem instanti fixo. Itaque duratio Petri formaliter involuit; tum ipsam existentiam Petri; tum etiam tempus extrinsecum reale, vel *imaginariū*; tum etiam quod existentia Petri tantum distet ab instanti aliquo fixo, quantum distat tempus extrinsecum, & quod non magis distet.

497 Probatur in primis quod duratio Petri addat aliquid extrinsecum supra entitatem Petri; quia hodie duravit Petrus plus quam heri: ergo hodie aucta est duratio Petri, non ratione alicuius *intrinseci*, cum ratione entitatis secundum se perseveret eadem, ac heri; nec ratione alicuius formae *intrinsecè superadditæ*, ut diximus: ergo ratione alicuius *extrinseci*.

498 Quod verò id, quod additur, sit tempus extrinsecum, & æqualis distantia modo dicto, probatur: Nam eatenus Petrus durat in hoc tempore, quatenus huic temporis coexistit: sed coexistens huic temporis constituitur per suam existentiam, per hoc tempus, & per æqualem distantiam: ergo &c. Minor probatur: Quia eo ipso, quod sit hoc tempus, & existat Petrus cum eadem distantia ab instanti creationis mundi, & cum negatione maioris distantie, dicentur coexistere Petrus & hoc tempus extrinsecum reale vel *imaginariū*, præcisso quocumque alio, ut ex se constat: ergo &c. Hoc argumentum probat existentiam Petri includi etiam formaliter in duratione ipsius Petri.

499 Obijcies primo: hoc quod est Petrum durare, separari potest ab existentia Petri & hodierni diei: ergo aliquid dicit præter vtrumque. Probatur antec. Nam Petrus potuit existere heri, & hodie mortuus esse: ergo iam daretur in rerum natura existentia Petri secundum se, & existentia hodierni diei, quin Petrus duraret hodie.

500 Resp. distinguendo antec. Hoc quod est Petrum durare, hodie, separari potest ab existentia Petri & existentia hodierni diei, in diversa aut inæquali distantia ab instanti creationis mundi, concedo antec. In distantia æquali, nego antec. Concedo autē conseq. Nam duratio hodierna Petri apud nos, non est sola existentia Petri & hodiernæ diei: sed involuit etiam æqualem vtriusque distantiam ab instanti creationis mundi: & sic manet solutum hoc argumentum, quod Arriage evidens videbatur.

501 Obijcies secundo: Ut Petrus distet localiter ab aliquo loco, indiget praesentia intrinseca superaddita: ergo ut distet a tempore indiget duratione intrinsecè superaddita.

502 Resp. negando conseq. quia existente Petro, sunt simul in rerum natura plura spatia a quibus potest magis, vel minus distare, & ideo eget aliquo superaddito, quo habeat esse de facto magis, vel minus distans ab illis; at tempus cum stet in perenni fluxu partium motus, non potest habere plures partes simul. Vnde ut Petrus isti parti temporis respondeat & non alteri, nihil aliud necessarium est, nisi quod ista fluente, ipse existat. Dicitur autem, ista fluente, existere, si aequaliter habeat distantiam ab instanti aliquo fixo, ut dictum est.

## LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

503 **S**equimur in hoc libro Arist. methodum; qui (quia scopus Philosophiae est agere de ente naturali) postquam egit de eius essentiali compositione, motu, & affectionibus, in hoc compositionem integralem aggreditur, missa faciens non adeo difficultia, ut ad difficultiora perveniat. Nos igitur ad eius normam de continuo permanentis quam successivi compositione, tractabimus.

### DISPUTATIO XVIII. *De continue.*

#### SECTIO I. *Aristotelis sententia, & aliqua notanda.*

504 **N**ota quod continuum est res ex pluribus partibus integralibus unitis resultans, ut aqua. Dividitur in permanens & successivum. Primum est, cuius partes omnes cum unione sunt simul, in rerum natura: secundum est, cuius partes immediate sunt una post aliam indefectibiliter, ita ut simul duas non producantur. Difficultas ergo est. An continuum componatur ex partibus, quae in alias possint dividi in infinitum, vel an deveniendum sit ad alias partes, ita minutus, ut non possint amplius partiri. Aristoteles defendit continuum consurgere ex partibus, quae in infinitum sunt divisibles; ita ut in qualibet semper magis & magis restet aliquid dividendum. Aristotelem secuti sunt innumeri Autores & Philosophi, & Theologi.

505 Suppono 1. has partes infinitas continui non se ipsis uni-

ri, sed media superaddita vnione, aut nexu distincto.

Suppono 2. non vniuersitatis partes per contactum aut contiguationem inter se; nam Aristoteles, & omnes distingunt continuum a contiguo: nam continuum est, quorum ultima sunt vnum. Contigua quorum ultima sunt simul. Vnde continuum est vnum per se, prout opponitur contiguo, quod est vnum per accidens.

506 Suppono 3. vnuiones continui carere divisibilitate, quam habent partes continui; & sic tales vnuiones esse puncta, sive indivisibilita; nam ex Aristotele, non est inconveniens, quod indivisibile attinet partem divisibilem.

507 Suppono 4. dari in continuo indivisibilia terminativa, quae sunt, quæ hinc & inde terminant illud, & finiunt illius extensionem. Hæc debent esse indivisibilia: Nam si partibus constarent in infinitum divisibilibus, nihil esset in illis, quod posset dici ultimum continuum; null a pars esset, quæ posset pro ultima assignari; & propterea quodlibet indivisibile continuativum, quando continuat partes localiter extensas, debet occupare diversum locum ac partes, quas continuat.

508 Suppono 5. duo esse genera partium in continuo. Quædam sunt determinatae, id est, certæ magnitudinis, quæ in se non includunt, alias partes alterius magnitudinis à se distinctæ etiæ certas, ut unus palmus vlnæ, qui non continet in se partes alterius palmi, sed dantur quatuor palmi in vlna inter se distincti. Hæc partes dicuntur aliquotæ, sive aliud quid, sive quia aliquoties sumptæ, seu repetitæ componunt totum continuum: hæc dicuntur finitæ modo quo infra dicemus.

509 Aliq dantur partes quæ nuncupantur proportionales inæquales, indeterminatae, & comunicantes. Proportionales dicuntur, quia palmus v.g. servata proportione minoris, & minoris quantitatæ, dividitur in plures partes, ut in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmariorum. Inæquales dicuntur, quia nulla datur certa, & designabilis magnitudo, in qua illæ partes conveniat & sint æquales, sed semper una est aliquid alterius, ut semipalmus, medietas palmi: indeterminatae, quia nullum habent terminum parvutatis, sed qualibet assignata, potest dari alia minor & minor.

510 Ex his fit 1. partes proportionales, ut tales, non esse comparandas cum alijs adæquate distinctis ab ipsis, sed cum ijs quæ in ipsas dividuntur, & in quas possunt dividiri, ut medietas palmi est proportionalis, non quatenus componit cum alia medietate integrum pal-

palmum, sed propter divisum à palmo potest dividi in alias &c.

511 Fit et quod in magnitudine duorum palmorum possunt in veniri mille palmi communicantes, immo infiniti; etenim erunt tres palmi, si coniungatur secunda medietas primi palmi cum prima medietate secundi; quatuor vero, si deinceps quarta pars primi copuletur cum tribus prioribus secundi, & sic de alijs. Est tamen ad vertendum, quod isti non poterunt dici mille, seu infiniti palmi simpliciter, sed tantum secundum quid; quia non ita dantur mille palmi, ut unus sit omnino ab altero distinctus & exclusus & aliquotus sive aliud quid ab alio, sed singuli praeter duos primos, includunt partes alias aliorum.

### SECTIO II. *Difficultas duplex proponitur.*

512 Circa predictam doctrinam duplex insurgit difficultas. Prima est, quod ex dictis videtur inferri, partes aliquotas, seu determinatas non minus dicendas esse infinitas, quam proportionales; nam haec dicuntur infinitae quia inter illas non datur ultima; sed nec inter aliquotas datur ultima: ergo &c. Minor probatur, quia qualibet pars aliquota dividitur in duas alias aliquotas, cum qualibet ex illis, in qua dividitur, sit determinatae magnitudinis. Deinde qualibet ex illis duabus potest dividi in alias duas determinatas propter eandem rationem: præterea qualibet ex illis potest in alias duas determinatas, & sic in infinitum, ita ut nulla possit dividi in duas determinatas, quarum qualibet in duas determinatas etiam non possit dividi: ergo nulla datur ultima inter partes aliquotas.

513 Resp. partes aliquotas non esse tales in ordine ad divisionem, sed in ordine ad compositionem; quia cum haec dicantur aliquotæ, quia aliquoties susceptæ totum componunt, semper referendæ sunt ad componendum totum aliquod cum alijs eiusdem magnitudinis.

514 Hinc est, quod licet minores, & minores in infinitum possint assumi ad totum aliquod cum alijs æqualibus componendum, nihilominus semper assumenda est aliqua determinata (quia cum non possumus assignare, nisi determinatam, nec possumus assumere ad componendum, nisi determinatam) ex qua incipiat compositione à nobis construenda, quæ quidem de facto erit prima in ordine ad compositionem.

515 Partes vero proportionales, ut tales, comparantur cum alijs in quas possunt dividiri; cum autem nulla posit esse divisio partium, ultra quam non sit possibilis alia, non datur ultima pars in divisione, ac per consequens sunt actu infinitae partes dividenda.

516 Secunda difficultas est, an partes proportionales sint infinitæ simpliciter, vel secundum quid? Resp. esse simpliciter infinitas, quia partes quæ de facto dantur in continuo, ita se habent, ut quælibet posit dividi in duas mutuo se excludentes, & adæquate distinctas à se inuicem, & illæ in alias duas adæquate etiam distinctas inter se, & sic infinitum: ergo de facto sunt simpliciter infinitæ, siquidem ita dantur, ut una non posit dari, ultra quam non detur alia adæquate distincta ab illa, aqua dividitur: ergo sunt infinitæ simpliciter.

517 Obijcies infinitum simpliciter nequit claudi terminis, sed continuum clauditur terminis: ergo, &c. Probatur: nam ex Aristotele duobus terminis clauditur: ergo &c. Resp. nequit claudi terminis sub ea ratione qua est infinitum, concedo: sub alia, nego; v.g. potest dari infinitum Angelorum in hoc cubicalo, quod quia est infinitum unitatum, nequit claudi inter duas unitates, quia in hac ratione est infinitum. Potest tamen claudi intra determinatum locum, quia non est infinitum quoad extensionem, sed quod unitates. Ita dicendum de infinito partium proportionalium, quod non est infinitum, quoad extensionem, sed quoad unitates partium minorum, & minorum in infinitum, & ideo nequit in illo dari aliqua minima, ita ut non detur alia minor.

### SECTIO III.

*Discutiuntur argumenta philosophica pro sententia Aristotelis.*

518 **A**ristoteles probat sic suam sententiam: indivisibile additum immediate indivisiibili non facit maius: ergo continuum non potest constare ex solis indivisiibilibus. Probatur antecedentiam indivisibile additum indivisiibili, tangit illud secundum se totum, siquidem cum non habeat partes, nequit secundum unam se tangere, & non secundum aliam: sed ea quæ se tangunt secundum se totum, occupant eundem locum: ergo non faciunt divisibile. Resp. punctum immediate additum punto, illud tangere secundum se totum, nec propterea esse penetratum cum illo; quia contactus duorum

rum non debet esse secundum omnia latera extrinseca & talis contactus nihil aliud est, quam quod immediate collocetur vnum post aliud, ita ut nihil mediet inter utrumque: cum autem indivisible nullas habeat partes, eo ipso quod est alteri immediatum, tangit illud secundum se totum.

519 Secundo arguunt: ex non quantis non potest resultare quantum: sed puncta non sunt quanta: ergo non potest resultare ex illis continuum, quod est quantum. Res maiorem esse falsam, quia ex his quae non sunt homo, nempe ex materia, & ex forma resultat homo; & ex his quae non sunt infinita, immo finita, partes resultat infinitum; quilibet enim dies constituens eternitatem est finitus, & eternitas resultans est infinita. Deinde minor propositio etiam est falsa, quia essentia quantitatis stat in impenetrabilitate, & cuilibet puncto convenit esse impenetrabile: ergo & quantum.

520 Tertio arguunt ex definitione continui: Continuum, sive continua sunt quorum ultima sunt vnum: sed duo puncta non habent ultima: ergo non possunt continuari. Negatur minor; nam continua in sententia Zenonis sunt ea, quae vniuntur inter se tanquam partes integrales; contigua vero sunt in illius sententia, quae cum sint localiter proxima, non sunt vna.

521 Hic omitto argumenta circuli, & rotæ & similia: tum quia æqualiter utramque sententiam opprimunt; tum quia potius ad Mathematicos, quam ad Philosophos attinent, & tractent fabrilia fabri; tum quia ob eorum ingentem difficultatem, non cum brevitate, cui consulimus, compatiuntur. Vide Auctores fusse illa trahentes.

### SECTIO IIII.

#### *Alia argumenta de Velocitate.*

522 Aristotelici sic evertere intendunt Zenonis sententiam probantes inde sequi, non posse dari vnum motū velociorem alio. Probat sic: moveatur testudo, & aquila per dimidiam horam, aquila non acquirere plus spatij, quam testudo; nam hæc in singulis instantibus temporis acquirere singula puncta spatij, & aquila nequit etiam nisi vnum punctum spatij acquirere in quolibet temporis instanti, cum non posset transire ad secundum punctum, quin prius adquiverit primum: ergo aquila non plus spatij acquirere in dimidia hora, quam testudo; quod à nemine concedendum.

Dif.

523 Difficile quidem argumentum, sed æque ab omniābus respōdendum; quia licet in qualibet hora, seu quadrante dentur infinitæ partes, ac instantia temporis, & in quoilibet spatio infinitæ partes, ac puncta; si testudo, & aquila moveantur simul per vnum quadram horæ, testudo in qualibet parte proportionali temporis adquirit partem proportionalem spatij & in instanti punctum spatij. Aquila vero in qualibet parte proportionali temporis tantum adquirere poterit vnam partem proportionalem spatij & in instanti punctum spatij; & sic aquila & testudo idem spatium adquirerent, si eodem tempore moveantur, cum in quavis parte, partem & in quovis instanti punctum spatij percurrant: Et sic partes motus aquile non possunt comprimi inter se magis, quam partes motus testitudinis. Nec dicas, quod aquila in quavis parte temporis adquirit maiorem partē spatij, quā testudo; quia eam, quā vocas maiorem, ita adquirit ut successive non omnes eius partes percurrat, nec duas simul, quāvis minimas, adquirat; quod idem præstat testudo.

524 Si dicas, quod eo motus est velocior, quo minores habet morulas, & tardior quo plures habet, & primum habere motum aquilæ & secundum, motum testitudinis. Contra: demus manum ita velociter moveri, vt in dimidia hora leucam percurrar, eodem tempore percurrit Sol plusquam centum quinquaginta mille leucas, & sic eodem tempore, quo manus adquirit vnum punctum spatij, necesse est adquirat Cœlum centum quinquaginta mille puncta spatij: vnde post quodvis instans, quo manus adquirat vnum punctum spatij, debet quiescere per centum quinquaginta mille instantia, quæ consumit Sol in adquirendis punctis spatij, quæ esset magna quies, & oculis perceptibilis, quod cum experientia pugnat. Similiter in motu rotæ, in eodem instanti moventur partes eccentricæ, ac concentricæ, & illæ velocius moventur, cum plus percurrant spacij; & in istis nequeunt dari morulae; aliter vel rota flecteretur, vel discontinuaretur.

#### SECTIO V. Zenonis sententia proponitur, & probatur.

525 Sententia Zenonis est: continuum componi ex solis punctis indivisibilibus finitis. Probatur hæc sententia primo, quia non potest continuum infinitis partibus constare; si enim Deus omnia indivisibilia, quibus haec partes vniuntur, corrumperet, nihil ibi maneret divisibile, seu compositum; quia hoc essentialiter dicit vniuersum.

nem; ergo quæ manerent, essent indivisibilia & sic ex illis de facto componitur continuum.

526 Dices, de essentia continui est esse divisibile in semper divisibilia, & sic non possunt indivisibilia ita separari, ut partes manerent sine illis. Sed hoc est petitio principij; argumentum enim probat, continuum non dividi in semper divisibilia, & dicas Deum non posse separare omnia indivisibilia à partibus, quia continuum dividitur in semper divisibilia, quod est reddere conclusionem proportionate.

527 Deinde, partes & indivisibilia ita sunt in continuo, ut hæc ab illis realiter distinguantur, & sic poterit Deus cessare a conservatione illarum, quin cesseret à conservatione indivisibilium.

Sed estò primum impliceret, tamen Deus cognoscit omnia indivisibilia, realiter à partibus distincta. Vel ergo partes illas, quas Deus ita cognoscit, videt esse indivisibles, vel divisibles? Si primum, hoc intendo. Secundum dici nequit, quia cum Deus eas cognoscat realiter distinctas ab omnibus indivisibilibus, nequit illas cognoscere ut ex eis compositas & sic nec ut divisibles.

528 Rursus. Si continuum componeretur ex infinitis partibus & punctis, cum quodvis eorum sit impenetratum cum alio, occuparet diversum locum & sic continuum haberet infinitam extensionem ob infinita puncta. Si dicas non habere infinitam, quia illæ partes proportionales sùt indeterminatæ & inclusa in ipsis indeterminatis. Contra, quia licet illæ includantur in aliquotis, quævis illarum est in diverso loco ac alia; & sic si sunt infinitæ, infinitam component extensionem.

## SECTIO VI. *Probatur eadem sententia in successivis.*

529 Suppono primo, in motu esse quasdam partes simul existentes, & quasdam successivas. Tempus vero ex his ultimis coalescit. Hoc supposito, probo tempus non posse constare partibus successivis in infinitum divisibilibus, sed ex solis instantibus componi.

530 Primo sic: Vel id, quod immediate succedit post hoc instans est divisibile divisione successiva, vel indivisible? Si secundum, habeo intentum. Si primum. Vel habet omnes suas partes simul immediate post hoc instans, vel omnes successive, unam post aliam. Si primum, est indivisible quoad successionem, & sic non constituit partes temporis, sed instans. Si secundum, omnes sunt ultimo divisi,

sæ; quia si quando est vna pars, iam nulla alia coexistit cum illa, non poterit illa in plures partes dividi.

531 Dices 1. post instans succedere partes non existentes secundum se totas, sed successivè per aliquid sui. Sed contra. Illud aliquid sui, per quod existunt, vel est indivisibile, & sic instans; vel divisibile & sic, vel habet omnes suas partes simul, & erit duratio instantanea; vel successive & erunt ultimo divisa & sic reddit argumentum.

532 Dices 2. partes temporis esse præteritum, vel futurum; Ratione autem instantis, quod inter illas mediat, dici existere. Sed contra. Vel pars præterita habuit existentiam aliquam ante instans & futura illam habebit post illud, & si ita est, existent ratione sui. Vel nullam, nisi per ipsum instans: & sic, cum istud existit, neque vna est præterita, nec alia futura: pro instanti enim in quo datur existentia alicuius rei, talis res non dicitur præterita nec futura.

### SECTIO VII.

#### *Explicatur continui compositio in sententia Zenonis.*

533 Continuum componitur ex solis indivisibilibus finitis, ita inter se dispositis, ut ex duobus punctis unitis, resultet linea; ex duabus lineis unitis superficies, & ex tribus lineis unitis resultat corpus; quia omnes istæ requiruntur ad profunditatem, quæ est de corporis essentia, & constitutione.

534 Ex his, linea est divisibilis secundum longitudinem, non quoad latitudinem & profunditatem; quia nec est lata, nec profunda. Superficies secundum longitudinem, & latitudinem tantum; corpus vero secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

535 Unio continui est modus penetrabilis cum punctis; non tamen debet penetrari cum utroque punto, quod coniungit, sed cum illo, quod Deus determinet.

536 Uniones punctorum materiæ primæ non recipiuntur, nec inhærent vni puncto ut subiecto inhesionis, sed creantur, ut dixi. Uniones vero punctorum quantitatis vel alterius formæ, que recipiuntur in subiecto, recipiuntur in punctis materiæ primæ; in quibus recipiuntur puncta quantitatis cum ipsis penetrata.

537 Continua successiva, alia sunt tantum successiva infieri, se.

semel tamen producta perseverant simul, sic productio caloris sit per successionem, tamen gradus caloris producti sunt permanentes.

538 Alia vero ita sunt successivè, ut prior pars non perseveret, adveniente secunda, sed statim esuat ut partes motus localis. Hæ non continuauntur per veram vniōnēm, sed per immediatam successionem; quia non potest dari vniō duorum, nisi ambo simili existant.

### SECTIO VIII.

*Explanatur difficultas de velocitate motus iuxta sententiam Zenonis.*

539 Noto primo, mobile corporeum non posse per motum localē acquirere præsentiam in spatio, cui non est approximatum: Non tamen requiritur, quod in hoc instanti applicetur, sed sufficit quod immedietè ante fuerit applicatum. Noto secundo, vt mobile secundum se totum acquirat præsentiam in spatio sibi proximo, non esse necessarium, quod præcesserit immediate applicatum secundum omnes suas partes, sed sufficit, quod aliqua fuerit illi immedietè applicata: Maior enim approximatio requiritur in agente, ut agat, quam in mobili, vt acquirat præsentiam; & tamen ut illud agat, secundum omnes suas partes, sufficit quod secundum aliquam sit applicatum passo.

540 Ex his, quod motus sit tardus, consistit in eo quod mobile in primo instanti adquirat primum punctum spatij, & in secundo secundum &c. Si autem in primo instanti tertium punctum mobilis transeat ad primum punctum spatij, & in secundo ad tertium, & in tertio ad quintū, & sic de reliquis, iam motus non erit ita tardus, ac præcedens; quia in quovis instanti adquirit mobile duo puncta simul, & hoc provenit à maiori impulsu illi impresso à motente.

541 Ex his: si impulsus magnus imprimitur mobili quatuor punctorum, v.g. transibit primum punctum mobilis immediate ad occupandum primum punctum spatij denuo adquirēdi; quin prius sit præsens alijs tribus punctis spatij, quæ occupabant secundum, tertium, & primum punctum ipsius mobilis. Sufficit enim quod illis fuerit applicatum mediate. Vnde hic motus erit velocissimus.

(†)

P

SE-

## SECTIO IX.

*Quomodo defendendus Aristoteles ab argument. Sect. 5.*

542 In continuo successivo non sunt concedendæ partes, quæ de facto sint priores & posteriores in infinitum; et tantū partes si bi succedentes, quæ sint virtualiter infinitæ, taliter ut motus sit simultaneus transitus ad partem aliquotam spatiij, sive magnam, sive parvam pro varietate impulsus; quæ pars re vera est formaliter instantanea.

543 Ex his ad argumentum primum factum Sect. 5. Respondeatur non esse petitionem principij; quia ibi assignatur continui definitio tradita ab Aristotele, & ab Scolasticis admissa; qua posita, necesse est Deum non posse separare à partibus omnia indivisibilia.

544 Ad secundum dico, quod partes possunt comparari cum indivisibilibus, quæ in se continent, à quibus non differunt adæquate, sed tanquam includens ab inclusō; & cum indivisibilibus, per quæ continuantur cum alijs partibus à se distinctis, & ab his distinguuntur adæquate, & ideo possunt ab eis actu separari. Sic videtur quædam indivisibilia distincta adæquate à partibus, alia vero solū inadæquate distincta.

545 Ad secundum ibi adductum dico, partes proportionales infinitas non constituere extensionem simpliciter infinitam; quia sunt indeterminatæ; & licet singulæ diversum locum occupent, ita ut non possint penetrari, si quævis post aliam successive percurriatur; quia tamen sunt inclusæ in partibus finitis, possunt percurri ratione partium.

546 Continuum vero ex infinitis indivisibilibus, esset infinite extensum, quia quodlibet indivisibile additum reliquis redderet continuum determinate maius; quod non præstarent partes proportionales. Et hæc est ratio disparitatis.

547 Corpus sphæricum positum supra planum, illud tangit in puncto; Quando vero sphæricum movetur, pars istius tangit partem plani; taliter ut nulla posit a signari pars ita minima, quæ adæquate secundum se totam tangat illud, sed tantum inadæquate secundum aliquid sui. Idem dicendum est de motibus successivis.

(†)

DIS.

DISPUTATIO XIX.

*De terminis magnitudinis & paruitatis, ac de inceptione, & desitione rerum.*

**H**EC facilia in sententia Zenonis : Dicam tamen quid in sententia Aristotelis.

SECTIO I.

*An viventia habeant terminos magnitudinis & paruitatis.*

548 Termini magnitudinis & paruitatis dicuntur illi, quos trahere non potest res, cuius sunt termini. Utique terminus est duplex. Alius extrinsecus, alius intrinsecus. Intrinsecus magnitudinis est illa quantitas, in qua res ita potest conservari, ut in maiori non possit. Intrinsecus paruitatis est illa quantitas, in qua res ita conservatur, ut in minori nequeat, & ista dicitur *minimum quod sic*, illa vero *maximum quod sic*.

549 Terminus extrinsecus magnitudinis est ea quantitas, quam non potest res attingere, licet quamlibet minorem posit; & haec dicitur *minimum quod non*, quia earum quantitatum, ad quas res in magnitudine nequit pervenire, haec est minima. Terminus extinsecus paruitatis est ea quantitas, in qua, ratione paruitatis, non potest conservari res, bene tamen in quavis maiori. Haec dicitur *maximum quod non*, quia earum quantitatum, in quibus res nequit conservari, ratione paruitatis, est maxima.

550 Viventia, iuxta omnes, in prima sui generatione petunt terminos aliquos, tam magnitudinis, quam paruitatis; quia experientia constat nullum unquam hominem natum fuisse formica minorem, nec ingenti saxo maiorem. Idem cum proportione est in reliquis animalibus & viventibus.

551 De terminis paruitatis, ratione suadetur. Quia viventia eas habent operationes, ad quas determinata exigunt organa & instrumenta, sine quibus eas exercere non possunt. Potest tamen esse tam parva quantitas, ut in ea nequeant tot instrumenta compingi, & sic requiritur quantitas determinata maior.

552 Deinde debent habere terminos magnitudinis; tum quia viventia ex natura rei formari debent intra uterum maternum, a quo capi non possunt in maiori & maiori magnitudine, ut constat.

Tum etiam, quia omnia membra opem sibi mutuo ferunt ad exercendas suas operationes, quam ferre non possent, si propter nimiam longitudinem, multum distarent inter se.

Quæritur nunc: an hi termini sint intrinseci, vel extrinseci? In sententia Zenonis facile componitur, quia eo quod sint determinati, determinati erunt tam intrinseci, quam extrinseci, cum omnia, ex quibus conflatur continuum, sint determinata,

553 In sententia Aristotelis non possunt hi duo termini coniungi: Ponamus enim vivens non posse produci in vlna, & quod possit produci in qualibet quantitate minori. In hoc casu nulla potest determinari quantitas intra vlnam, quæ sit terminus intrinsecus magnitudinis; quia vivens potest produci in quavis parte intra vlnam; & quavis intra illam assignata, restant infinitæ partes supra assignatam, usque ad complementum vlnæ. Solum ergo requirit intrinsecos: quia ut dixi, requirit vivens terminum. Cum autem, ut ex supradictis patet, nequeat assignari in hac sententia terminus extrinsecus, recurrentum est ad intrinsecos.

## SECTIO II.

*An non viventia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis.*

554 Certum est, non viventia non habere terminos magnitudinis, quatenus est ex se; nam licet de facto terminum habeant, tamen si ignis (& idem est de alijs) applicaretur pabulum ultra cœlum: sine termino cresceret.

555 Ratio est, quia cum singulæ partes non egeant mutua opera aliarum, ut proprias efficiant operationes, sed quilibet, si sint certæ magnitudinis, possit se ipsis suas functiones facere non est necessarium, quod non multum inter se distent. Dices. Magnes, adamas & similia nequeunt crescere instar montis. Fateor: hoc tamen non provenit ratione formæ eorum, sed ex limitatione naturæ, quæ non habet virtutem ut eorum formis tribuat speciales qualitates quas exigunt, ut crescant.

556 Similiter neque habent terminos paruitatis, quia ignis in quavis minima quantitate potest operari ex natura rei, cum habeat virtutem intrinsecam ut comburatur: ergo & conservari. Ex his, omnis forma substantialis petit dispositiones determinatas, quoad intentionem, ut operetur; non vero quoad extensionem. Similiter igitur

ignis

nis in quavis minima quantitate potest operari se solo, loquendo quoad posse virtutis, licet forte non posit, attentis impedimentis extrinsecis.

**SECTIO III.**

*De inceptione, & desitione rerum.*

557 In sententia Zenonis, cum continuum constet solis instantibus, quecumque incipiunt, aut desinunt, id praestant in instanti. Successiva tamen non incipiunt in instanti secundum omnes suas partes, sed in diversis instantibus diversas partes obtinent. Idem omnino est circa desitionem.

558 Permanentia vero, si sint omnino indivisia, desinent, aut incipient secundum se tota, in eodem instanti. Si vero sint divisibilia, vel partes eius sunt talis naturae, ut non possint singulæ sine alijs conservari, quales sunt partes aliquæ viventis, tunc omnes istæ desinent simul in eodem instanti. Vel sunt talis naturæ, ut seorsim conservari possint, & in hoc casu aliquando desinunt in pluribus instantibus, sicut successiva, ut calor; aliquando vero in unico. Quando nempe causa corruptio petat, quod simul pereant secundum se tota.

559 Si vero continuum successivum componatur ex infinitis partibus proportionalibus sibi succedentibus, & per instantia copulatis, est magna in hac re difficultas. Pro qua noto (in hac sententia) inceptionem aliam esse in instanti, & dicitur incepitio per primum sui esse, quia in eo instanti verificatur: nunc est res, & immediate antea non erat. Alia dicitur incepitio in tempore & appellatur incepitio per ultimum sui non esse, verificatur enim: nunc non est res & immediate post erit.

560 Similiter modus desinendi, aliis est in instanti, & dicitur desinere per primum sui non esse, quia in eo instanti est verum dicere: nunc primo non est res, & immediate antea erat. Alius modus dicitur desinendi in tempore, & dicitur desinere per ultimum sui esse, quia in eo instanti est verum dicere: nunc est res & immediate post non erit.

561 Noto in sententia Aristotelis, eo quod aliquid incipit, vel definit in tempore, non est necesse, quod incipiat, vel definat successive. Bene enim potest tota res simul incipere & desinere in tempore, licet non adæquate, sed inadæquate definit vel incipiat. Tunc autem

tem res dicitur incipere in tempore , quando singulae eius partes incipiunt in singulis partibus temporis. Et idem dicito de desitione.

## LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

**P**OST sex libros de mobili & motu, egit Arist. de motore extrin seco, eiusque requisitis ad movendum idest operandum. Quia tamen Nos plura de Motore 2. & 3. Physic. dedimus, in hoc aliqua de requisitis; reliqua in 8. sequenti dabimus.

### DISPUTATIO XX. De propinquitate agentis, & passi.

**S**ECTIO I. *An naturaliter agens posset agere in distans, quin agat in propinquum. Vide num. 210.*

562. In hac re negative respondeo cum Philosopho & pluribus. Primo quia experientia constat, quod si inter agens & passum, corpus aliquod interponatur incapax actionis agentis, nihil agens producit in passo. Sic videmus Solem non illuminare cubiculum, si corpore aliquo opacco (quod incapax est recipiēdæ lucis) occludatur fenestra. Experimur etiam, colorem, pariete interposito, non vide ri, non alia de causa, nisi quia non potest in illo producere species intentionales, quas mittit ad potentiam visivam, ut eam determinet ad visionem.

563. Secundo: si agens posset naturaliter agere in distans, quin in propinquum, non esset cur natura tanto opere conaretur vitare vacuum; quia licet hoc daretur, posset terra cœlestes participare influxus.

564. Obijcies: Basiliscus occidit aspectu homines distantes, quin aeri intermedio noceat: magnes atrahit ferrum, quin aerem, aut aliqua corpora intermedia atrahat, & sic de alijs: ergo agens, ut agat in distans non debet, agere in medio. Respondeo in his exemplis qualitatem, quæ producitur in distans, difundi per totum medium, in quo non causat eos effectus, quia non habet temperamentum proportionatum ad illos patientes. Quod diffundatur in medio patet, si enim interponeretur paries, illos effectus nullatenus producerent.

## LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

**A**ristoteles agit in hoc libro de primo motore, probatque dari vnum primum motorē, sive vnam i. causam ex illo principio, quod: quidquid movet ab alio movetur. De i. causa Deo, omnium Creatore, iam egimus supra. Nunc agimus cum Aristotele an Mundus potuerit ab æterno creari.

DISPVVTATIO XXI. *De Inceptione Mundi.*

565 Putavit Aristoteles mundum necessario fuisse conditum à Deo ab æterno; iam vero sive sanctum est, incepisse in tempore.

SECTIO I. *An creatura aliqua permanens potuerit esse ab æterno.*

566 Certum est, ad hoc, ut operatio sit libera, non requiri quod agens liberum præcedat tempore sine tali operatione; libertas enim tantum sifit in eo quod agens operetur cum indifferentia. Deus potuit producere ab æterno creaturam aliquam permanentem, ita D.Thom. i.par.quæst.46.art.2.& alij plurimi.

567 Ratio est, quia non implicat talis productio, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ. Ex parte Dei non implicat, propter rationē causæ, aut agentis liberi; quia nec de ratione illius, nec istius est, quod tempore præcedat effectum. Nec repugnat ex parte creaturæ; quia nullum prædicatum datur in ea, oppositum cum æternā duratione; quia cum plurimum creaturarum prædicata non opponatur cum æternitate à parte post, nec opponi dicentur cum æternitate à parte antea.

568 Si dicás implicare, quia esset æterna, quod est proprium solius Dei. Respondeo non esse æternam essentialiter, & intrinsece, modo quo est proprium Dei; sed extrinsece, & accidentaliter. Ex his: si Deus ab æterno produceret creaturam, eam produceret & conservaret libere, simpliciter & absolute loquendo: secus ex suppositione, quia cum eam produceret ab æterno, non posset facere, quod non esset in æternitate.

SECTIO II. *An res successiva potuerint esse ab æterno.*

569 Sententia negans est verior: prob. Mobile (& idem est de alijs

alijs successivis) quod ab æterno moveretur, vel transiret de loco, in quo creatum fuit, ad alium in eodem instanti, seu duratione, vel immediate post? Si primum: in eadem duratione esset in eo loco, quia in eo creatum fuit; & non esset, quia illum reliquit, cum transiret ad alium: quod implicat. Si secundum: ergo in eo instanti seu duratione, in qua creatum est, fuit verum dicere: nunc non est motus, & immediate post erit. Et sic motus ad alium locum habuit initium & primum esse, sed post primum instans: ergo non ab æterno.

### DISPUTATIO XXII. De principijs proximis motus localis.

570 Inter principia immediata motus localis, quædam sunt intrinseca mobili, ut gravitas & levitas, quædam illi proveniunt ab extrinseco, ut impulsus. De omnibus agemus.

#### SECTIO I. De Gravitate & Levitate.

571 Gravia & levia moventur in suum centrum per virtutem intrinsecam. Constat experientia, quia si saxum ingēs in medio aere ponatur, & obstacula auferantur, devolvitur in centrum magno impetu.

572 Motus autem ille non provenit immediate à generante. Sæpe enim distat generans, vel destructum est. Nec provenit ab aere ambiente; hic enim ex se inclinat in motum sursum potius, quam in motum deorsum. Nec provenit ab ipso centro per virtutem atraktivam, quia centrum est punctum quoddam imaginarium in quod tendunt gravia, ut in ipso siant præsentia; hoc autem cum non sit aliiquid existens, ut alibi dixi, nō potest realiter atrahere corpora gravia. Vnde talis motus causari debet immediate ab intrinseca virtute corporis gravis, cum nō sit aliud à quo causetur. Idem omnino dico de levi.

573 Gravitas & levitas sunt formæ accidentales realiter distinæ à substantia corporum gravium, & levium. Ratio 1. quia in hostia consecrata remanet gravitas, nihil remanente substantiæ panis. Secundo: aqua dum calefit, transit de gravi in levem, perseverante tota substantia aquæ; & sic ab ista debent realiter distinguiri.

574 Gravia & levia principaliter moventur à sua gravitate, & levitate; quia gravitas est causa adæquata motus deorsum, ut dixi, & sic respondent illi omnes formalitates effectus, atque adeo est causa principalis illius.

575 Vnde moveri ab intrinseco non est proprium solum vi-  
ventis, sed etiam competit gravibus & levibus. Ex his testimoniis  
Aristotelis, quæ assertūt gravia, & levia moveri à generante, seu à re  
movente, intelliguntur, moveri à generante quatenus generans de-  
dit illis virtutem & principium determinans ad hunc motum  
potius quam ad aliū.

SECTIO II. *Alia de Gravitate & levitate.*

576 Ex dictis infertur primo, quod gravitas definitur: *Quali-  
tas ex natura rei debita corporibus ad motum deorsum determinatē  
eliciendum.* Levitas vero definitur: *Qualitas ex natura rei debita  
corporibus ad motum sursum determinatē eliciendum.* 2. gravitatem  
immediate causari à temperamento primarum qualitatum (si sint  
qualitates secundæ) vt levitas, quæ producitur in aqua calefacta;  
quæ non ab alio producitur nisi à temperamento qualitatum pri-  
marum, (quæ tunc inveniuntur in aqua) caloris videlicet & alia-  
rum.

577 Rogabis. An corpora gravia gravitent, & levia levitent in  
centro? Respondeo negative: deficit enim finis gravitandi; qui est  
adquirere centrum: ergo dum sunt in illo, impeditur talis virtus.  
Idem dico de levitate ob eamdem rationem.

578 Quæres: qualis sit causa motus projectorum? Respondeo  
esse qualitatem quamdam à projiciente impressam corpori pro-  
jecto, quæ impulsus appellatur. Probat. Nam nec aër circunstans,  
nec projiciens potest esse: ergo illa qualitas impulsus. Prob. antec.  
quia extincto projiciente, perseverat motus: ergo non potest pro-  
venire ab illo. Nec ab aëre circstante. Prob. quia quis crederet aë-  
rem tanto imperu agitate pilam à tormento q̄reō explossam, vt me-  
nia labefactet, & vrbes dilapidet? Præcipue, cum contra aërem ejus-  
citur? ergo ab impulsu provenit.

579 Obijcies: Si ab hoc impulsu proveniret motus lapidis,  
non pateretur violentiam: ergo , &c. Prob. quia non esset ab ex-  
trinseco, sed ab intrinseco: ergo. Respond. nego ant. & probatio.  
Nam impulsus extra virtutem & propensionem mobilis est ab ex-  
trinseco impressus, quod sufficit ad violentiam; aliter enim calor,  
quia est intra aquam, non illam violentaret, quod nemo di-  
xit.

## SECTIO III. De Impulso.

580. Impulsus est qualitas, pertinens ad primam speciem qualitatis, quæ dicitur habitus, seu dispositio; & ad secundam, quæ est potentia, & potentia. Impulsus potest admittere intensionem & remissionem, quod satis patet ex experientia, & ex eo quod sit qualitas, cuius essentia est intendi, vel remitti.

581. Dicendum est impulsum dessinere ex defectu conservantis, quia licet re vera conservetur à Deo, conservatur ramen ad mensuram vis impulsivæ; ita ut si hæc petat durationem motus lapidis per dimidiam horam, concursus Dei attemperetur ad conservationem tantum illius per dimidiam horam. Prob. ex paritate causæ secundæ, quæ potest disponere de concursu Dei ad quidquid voluerit. Vnde constabit, in quo differat impulsus, à gravitate & levitate: ille namque est qualitas cito transiens: gravitas, & lenitas diu permanentes.

582. Impulsus potest causare motum versus quamlibet differentiam loci, gravitas vero & levitas versus unam tantum: gravitas nempe solum deorsum & levitas sursum. Et hæc de octo Physicorum libris Aristotelis Stagiritæ.

FINIS PHYSICÆ.

DE

# DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE.

## DISPUTATIO XXIII. &

### SECTIO I. *De requisitis ad Generationem.*

§83 **N**ota dari duplex accidens: vnum, quod est dispositio universalis & communis vt est quantitas, quæ in omni generatione præcedit; & aliud quod est dispositio particularis, vt calor vt octo ad generationem ignis.

584 Sit 1. Conclusio. Quantitas non recipitur in toto composto, sed solum in materia prima. Prob. 1. nam quantitas hominis non potest recipi in forma: ergo in materia: ergo etiam in alijs materijs recipitur; nam omnes sunt eiusdem speciei. Antec. prob. nam animæ rationali quantitas non potest tribuere suam formalem de nominationem, ergo illa non est eius subiectum connaturale.

585 Prob. 2. nam quantitas est dispositio ad omnem formam præparans pro ea materiâ: ergo in hac debet recipi, siquidem debet formas præcedere, nam nulla dispositio est in illo ad quod disponit, sed in illo, quem disponit ergo, &c.

586 Sit 2. conclusio: Cætera accidentia disponentia ad formâ, vt sunt qualitates primæ & secundæ, non recipiuntur in forma, nec in materia, sed in quantitate. Prob. 1. nam calor introductus in hostia consecrata, non in alio potest recipi, nisi in quantitate: ergo quantitas erit semper subiectum reliquarum qualitatum. Prob. 2. cum Recentiore. Etenim, quia primum subiectum est materia, necesse est, vt omnia reliqua accidentia referatur ad eam, media quantitate, in qua recipientur. Confirmatur nam accidentia manent cù eodem esse post consecrationem, ac ante illam: sed recipiuntur in quantitate: ergo signum est, quod ante illam erant recepta in ea:

587 Dices, quod calor qui producitur in hostia, quando est consecrata, recipitur in quantitate, non vero quando non est. Contra nam eidem dispositionibus specificis & numericis potest calefieri hostia quæ est consecrata, sicut quæ non est: ergo eodem modo,

&c. Nec dicas, quod illa accidentia non producuntur ab igne, sed in præsentia illius à Deo: quod fit actione superna & indebita. Contra nam hæc sunt miracula superflua, ergo, &c. Prob. antec. nam dum in aliquo passo resultant effectus agentis ex applicatione illius, non debent tribui miraculo, dum non constat contrarium: ergo naturaliter illic producit ignis. Imo esset miraculum, si applicato igne pro aliquo tempore, non combureretur hostia consecrata.

588 Argues 1. Anima materialis Leonis dicitur extensa & impenetrabilis cum alio: ergo recipit quantitatem. Resp. retorquens. Anima rationalis dum est in homine, habet etiam esse impenetrabilis cum alio: ergo recipit quantitatem? Falsa consequentia. Resp. 2. talem impenetrabilitatem non habere, quia recipiat quantitatem, sed quia est intime affixa rei recipienti & habenti quantitatem: sicut calor Petri & Pauli sunt impenetrabiles, quia sunt affixi rebus quantis.

589 Argues 2. destruta forma compoſiti deſtruitur quantitas, ergo recipitur in ea. Probat. antec. nam aliàs sequeretur, quod haberet firmorem vñionem quantitas, quam forma ſubſtantialis. Resp. quod quantitas non permanet, expulsa forma quia habeat firmorem vñionem: sed quia est proprietas materiæ primæ nullum habens contrarium, & ſic non potest corrumpi, nec expelli à materia prima, licet forma corrumpatur: nam hæc non caret contrarijs, ſicut quantitas.

590 Argues 3. Licet forma ſubſtantialis recipiatur in materia media quantitate, non recipitur forma in quantitate: ergo neque reliqua accidentia. Resp. disparitatem eſſe, quod forma ſubſtantialis producitur ad conſtituendum vnum ens per ſe, quod non faceret cum quantitate, ſed cum materia: ergo ſi hoc non competit reliquis accidentibus, niſi adherere, & hoc obtinent cum quantitate, recipientur in ea.

591 Sed interrogabis: Cur quātitas recipiatur in materia, & reliqua accidentia nō ſed in quantitate? Resp. id eſſe, quia quātitas eſt diſpositio communis & prima diſpositio materiæ, & ſic immediate à fortiori debet recipi in illa, & diſponere immeđiate illam ad alia. Reliqua vero accidentia, licet ſint diſpoſitiones materiæ, non ſunt primæ, ſed diſponunt materiam, inveniendo prius quātatem ſitam in materia, & ſic recipiuntur, in illo quod prius in

veniunt: Hispanie: en lo primero que topan, que es la quantidad, vt ita mediante ea, affigantur materia, quam disponere veniunt, quantitas vero, quia est prima, quæ venit ad materiam, nihil invenit in quo possit, nisi in ea.

592 Adverte accidens petere inhærere, ita vt æqualiter petat ad hoc, substatiæ, aut accidens, vt patet in calore hostiæ cōsacratae.

**SECTIO II.** *An detur resolutio vsque ad materiam primam.*

593 Sit conclusio. In genito manent accidentia corrupti, & sic non sit extinctorio omnium, nec resolutio & destrucción omnium, dempta materia 1. Prob. 1. nam ultima dispositio, vt introducatur forma genita, connectitur cum ista: illa præcessit in corrupto, nam fuit dispositio; & manet in genito, quia connectitur cum illo: ergo plura accidentia corrupti sunt in genito. Patet etiā in gradu caloris, qui est ultima dispositio ignis connexa cum eo. Confirm. Nam materia requiritur disposita ante ignem, ergo calida. Nec dicas, quod prærequisitar prioritate naturæ solum. Cōtr. Paulatim disponitur: ergo cum tempore.

594 Prob. 2. Nam attritio peccatoris præcedit ad introductiōrem Gratiae Sacramenti & manet post gratiam. Deinde nigredo Etiopis vel Corvi, post mortem manet. Prob. 3. Nam accidentia non subiectantur in forma, sed in materia, aut quantitate; sed manet materia: ergo etiam accidentia. Totus labor stat in probanda maiori; quam sic probo. Nā in primis dispositiones præcedunt formam genitam in genere causæ materialis; nam dictus calor determinat inceptive materiam, vt sit sub forma ignis & non aquæ: Nā ad formam ignis non solum requiritur, quod præcedat materia, sed materia calida: ergo, &c.

595 Deinde, nam si forma esset subiectum accidentium, esset subiectum illarum qualitatum, quæ essent dispositiones ad illam expellendam, quod nequit audiri. Nulla enim res est causa, nec materialis, sive ruina: ergo forma ligni non recipit calorem disponenter corrumperet illam, introducendo ignem: & sic forma non est subiectum caloris.

596 Nota. Nos hic loqui de illis accidentibus quæ sunt communia omni generationi: aliqua enim sunt proprietates formæ & con-

concomitantes formam, tam in adventu, quam in fuga; veniente enim forma veniunt, & pereunte pereunt, quam obrem nec est quæstio solum utrum resolvatur quantitas, sed etiam illa alia accidentia.

597 Prob. 4. Conclusio, auctoritate Aristotelis, quæ potest de servire ut ratio; dicit enim, facilius converti elementum simbolum quam disimbolum: minus enim est vincendum, quia in simbolo solum una corrumpitur qualitas: ergo alia transit in aliud, in quod convertitur: ergo non datur resolutio omnium.

598 Prob. 5. Nam si ejicitur sursum canis & moritur in aëre, tunc datur conversio de vivo in mortuum, quin terminetur impulsus adhuc: ergo ille impulsus qui est accidentis, fuit assistens dum vivebat & dum mortuus est: ergo. Si dicis non esse eundem impulsum. Contra, nam quæ causa est, tunc invenibilis productiva alterius similis impulsus? Nulla. Ergo. Confir. insuper, nam in homine mortuo manent eadem cicatrices & idem color: ergo.

599 Prob. tandem. Nam si in instanti in quo corrumpitur una forma, destruerentur omnia accidentia; sequeretur, quod non esset tam proclivis materia vni formæ, ac alteri, & sic quod carbones, quando perdant formam ignis, & qualiter acciperent formam nivis, ac cineris, quod est falsum: ergo manent dispositiones, quæ expulserunt formam antiquam, & vocant nobam, ad quam sunt misse ab agente.

600 Dices, manere sigillatam materiam à forma expulsa, ut potius introducatur una forma quam alia. Contra: Nam vel hæc sigillatio aut præparatio materiae, est aliquid accidentis actuale, vel non? Si est: ergo iam aliquid accidentis corrupti manet in genito: Si non est: ergo nihil manet in materia, per quod potius sit disposita ad hanc quam ad aliam.

### SECTIO III. Argumenta.

600 Arg. 1. Accidentia intrinsece denominant totum: ergo recipiuntur in illo intrinsece, & non in sola materia. Confir. Nam anima rationalis non denominatur quanta, quia non recipit quantitatem: ergo si formæ materiales denominantur quantæ, recipiuntur eam: & sic pereunte forma, omnia pereunt.

601 Resp. 1. Totum etiam hominem denominari genitum, cum tamen generetur sola unio. Respond. 2. dato, quod in toto re-

ci-

cipientur, non recipi æqualiter; in materia enim recipientur, ut in subiecto eductionis, in anima, ut subiecto denominationis, quod sufficit, ut intrinsece denominetur ab eis. Sic Verbum intrinsece denominatur unitum, & est subiectum denominationis unionis.

602 Ad confirm. Res. disparitatem esse inter formas materiales & animam rationalem, quod ista est indivisibilis & incapax denominationis quantæ, secus illas, quia sunt divisibiles, & licet non recipient, possunt tamen admittere denominationes à quantitate.

603 Dubium est. An ultima dispositio ad formam novam dependeat efficienter ab illa, vel dependeat in suo primo esse ab alia forma distincta, vel ab altero agente? Respond. non posse dependere in suo i. esse à forma ad quam disponit. Prob. sic: nam non potest pendere in suo primo esse ab illo, quod subsequitur ad suum esse; sed ad ultimam dispositionem subsequitur forma, ad quam disponit, ergo non potest habere suum primum esse ab illa. Vide Phisicam.

604 Arg. Contra hoc: In primo instanti in quo est forma ignis, est ultima dispositio: ergo in eo illa potest conservare istam: ergo poterit etiam primo producere eam. Aliqui concedunt in primo instanti ultimam dispositionem posset produci à forma, Sed nego de produci, & etiam nego de conservari in i. instanti, quia in illo datur actio agentis, ergo in illo non potest cessare talis actio, ergo nec potest advenire actio fornicæ, quia ultima dispositio naturaliter nequit duas actiones totales terminare.

DISPUTATIO XXIII. *De Generatione ut sic.*

SECTIO I. *Quid sit generatio in communi, & eius terminus.*

605 **A**ристoteles. tripliciter eam definivit. 1. *Mutatio de non ente ad ens.* 2. *Mutatio totius in totum, nullo sensibili mantente.* 3. *Mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.* Haec tres definitiones coincidunt in unam. Displicerent omnes, si Aristoteles loqueretur de omni generatione. Non autem loquitur nisi de generatione ut mutatio est. Nam generatio qua sit de novo, v.g. Cœlorum, non sive mutatio, nam non præcessit parentia, nec privatio formæ; ergo. Insuper, si generatio reproducatur, adhuc erit

erit vere generatio, & non erit transitus de non habere formam ad habere illam, nam esset eadem forma: ergo.

606 Alii dicunt sic definiri generationem substantialiem: *Productio substantiae dependenter à causa materiali.* Contra. i: nam accidentis potest produci actione educativa. Sed hæc actio esset generatio, & non esset productio substantiae, sed accidentis: ergo, &c. Item 2: nam etiam substantia potest produci actione accidentalis; sed hæc actio esset generatio & non esset substantialis, licet esset productio substantiae dependenter à causa materiali: ergo ruit definitio.

607 Sic ergo conclusio. Generatio substantialis creata est: *productio substantialis termini dependenter à subiecto.* Prob. per particulam productio, conuenit cum generatione Verbi. Per particulam à subiecto, differt ab illa; & per particulam substantialis, differt ab accidentalis. Nota duplicum esse terminum generationis; unus est *quo* & alter *quod.* *Quo* est ipsa generatio, aut unio partium compo- siti. Terminus *quod* unus dicitur partialis, & alter totalis. Totalis est totum resultans ex partibus, quarum una est genita, ut inter hominis corpus & animam unio. Terminus *quod* partialis est una ex partibus genitis, ut anima bruti quæ non inpropre ut unio est pars, sed est pars & proprie genita.

608 Adhuc dividitur terminus *quod* generationis in unum, qui est terminus *qui* genitus, & alium, qui est terminus *qui* communicatus. Primus est pars essentialis, quæ est genita, ut forma bruti. Secundus est illa pars, quæ unitur alteri media unione quæ est generatio, ut anima rationalis materia, quæ media generatione unitur ad constitendum hominem generatum & materiale.

609 Dubium nunc est. An generatio substantialis distinguiatur ab alteratione, seu actione qua producitur ultima dispositio ad formam? Resp. affirmative. Probarur. Nā uero potest una actio aut generatio deservire ad duas res, quarum una est prior alia, & una dependet ab alia; sed alteratio est prior generatione substantiali, & generatio substantialis dependet ab ea: ergo non potest eadem formalissima actio tendere in eas, nec esse eadem generatio. Item nam divinitus potest esse generatio absque alteratione, & è contra alteratio quin resultet generatio: ergo distinguuntur. Item. Nam generatio est via (loquor de substantiali) ad substantiam tanquam ter-

terminum connaturalem; alteratio est via ad accidentem, nempe ad ultimam dispositionem, ut ad terminum connaturalem: ergo distinguuntur.

SECTIO II. *Aliqua dubia.*

610 Primum, quid sit corruptio substantialis? Respondeo esse destructionem alicuius termini dependentis a subiecto per actionem substantialis. Probatur, nam debet esse opposita generationi: ergo si haec est actio substantialis dependens a subiecto, illa erit defectus talis actionis.

611 Secundum, quomodo intelligendum est quod ait Aristoteles, nempe generationem unius esse corruptionem alterius? An scilicet sint idem, aut quod semper concomitantur, an, quod una sit causa efficientis, aut formalis alterius?

612 Dico non debere intelligi in sensu identico, nam in effectu coeli fuit generatio, & non corruptio alterius: sed in concomitante & causaliter. In concomitante, nam omnis generatio (loquor de illa quae est mutatio) fert secum corruptionem alterius, ita ut non reperiatur una sine altera. In sensu causaliter, nam licet generatio & corruptio se concomitantur, sed tamen generatio est natura prior, & causa corruptionis; nam quia unum generatur, ideo aliud corruptitur, non vero est contra.

613 Sed nota, quod quando dicitur generationem unius formae esse corruptionem alterius. Per hunc alterius non semper intelligitur, alterius formae, sed alterius quod corruptibile sit, quod aliquando est sola unio ut in homine, & ubi forma incorruptibilis sit.

614 Dubium 3. est an dentur duas actiones positivae realiter distinctae, una media qua totum generetur, alia media qua corrumpatur? Respondeo negativè: nam non requiritur actio ut corrumpatur, quia corrupi unam rem, nihil aliud est quam destrui talem rem, quae dependebat a subiecto: sed hoc est cessare actionem qua res fuit producta: ergo ad hoc non requiritur nova actio positiva.

615 Vnde licet non dentur duas actiones, dantur duas mutationes, una negativa quae est transitus ligni, v. g. de ligno ad non lignum, alia positiva de non igne ad ignem.

616 Dubium 4. utrum corruptio per se intendatur a natura: id est ab agente naturaliter & necessario operante. Resp. negativè. Probatur, nam agens naturale necessarium, quando producit, solum inten-

dit producere sibi simile: ergo non intendit per se corruptere aliam formam, licet in re corruptat per accidens. Confirmatur, nam ignis æqualiter produceret ignem in materia ligni, si nō inveniret formam ligni, ac si inveniret, immo velocius introduceret, nam non haberet contrarium quod vinceret, aut expelleret.

### SECTIO III. Quid sit Generatio viventium?

617 Sic definitur rectè: origo viventis à vivente à principio coniunctio in similitudinem naturæ. Per particulam origo convenit cū omni actione productiva. Per particulam viventis à vivente differt à generatione, quæ generantur vermes in cadavere: & per istas particulas patet, causas viventis non solum debere cōcurrere passive ad generationem alterius, nempè ministrando materiam, sed passiue & active etiam; qua parte excluditur à generatione vitali generatio Hevæ: nam Adamus non habuit concursum activum, sed passivum solum, praestando materiam.

618 Per has etiam particulas excluduntur generationes partium quæ augentur in viventi, & etiam generationes capillorum, vnguum, &c. nam harum productio non est origo viventis à viventi, sed origo unius partis viventis ab alia parte, quod non sufficit ad generationem de qua loquimur; alias enim homo esset pater capillorum, & sui ipsius.

619 Ly à principio coniunctio, nō requirit coniunctionem localēm, sed quandam consubstantialitatem, vel coniunctionem alicuius partis generantis, receptam in genito, vt in Patre Divino, natura quam communicat genito, & in homine semen cum natura genericā, aut specificā; Et licet in generatione plantæ mediet semen, non est generatio vitalis: in primis quia ipsum semen non est pars substantialis viventis, aut seminantis, nec est viventis à vivente; nam vivens generans aliud, vt propriè generet, debet esse constitutive vivens, vnu & aliud, quamobrem plures ponunt in ly à principio coniunctio particulam poscitivo.

620 Ex quo infertur Dæmones incubos non generare, quando semen hominum transportant in uterum mulieris, sed homo cuius est semen, dicitur quod generat; illi enim solum applicat activa passivis. Infertur etiam, quod solum dicitur propriè generati pullos ab illis à vibus, quæ generarunt ova, non ab illis quæ fovent ova, ita vt Perdi-

ces nesciāt in eātē matrē, & tunc pergunt, & desinunt soven-  
tem, si non est vera mater, vt ait Ieremias, perdix sovet quā non pe-  
perit.

621 Particula in similitudinem naturae requirit, vt generans con-  
netur, & per se intendat suam numericam aut specificam naturam  
infundere in genito; si tamen per accidens eveniat, quod solum con-  
veniant in natura generica, vt ex Læna, & PardoLeopardus; & mulus  
ex asina & equo, hoc est præter intentionem agentis, per se vero sem-  
per generans vitaliter intendit suam naturam specificam dare.

622 Arguunt 1. Nostra deficitio convenit processioni qua Spiritus  
Sanctus procedit à Patre, & Filio: ergo est genitus, quod est hære-  
ticum. Resp. negan. antec. nam licet processio Spiritus. S. sit cum simi-  
litudine naturæ, non vero in similitudinem naturæ, nā licet procedens  
sit identice similis, non tamen est similis ex vi formalí processionis.

623 Arguunt 2. ex nostra sententia sequitur generationem pedi-  
culorum ab homine esse vitalem, & esse Patrem eorum. Respondet  
negando sequelam, nam non procedunt ab homine prout specialiter  
vivente, siquidem æque, aut potius producuntur in cadavere, aut ho-  
mine mortuo quam in vivo: item procedunt ab excrementitia mate-  
ria, & non à principio coniuncto cum ipso generante.

624 Dividitur generatio in unam, quæ est anomala, & in aliam,  
quæ est analoga aut univoca. Prima est quæ non servat morem con-  
mūnem, & regularē, quæ exigit natura, id est, absque semine, aut aliter  
&c. vt generatio Hevæ ex parte Adami, & illæ quæ sunt cōcursum Dœ-  
monis incubi. Analoga vero est quælibet ex illis, quæ nunc dantur.

#### SECTIO IV. *De causis Generationis viventium.*

625 Materia ex qua generatur homo vitaliter, solet dici Græce  
sperma, & Latine semen, quod definitur ita: *Corpus humidum, & cali-  
dum ad perfectam animalis generationem.* Causa materialis seminis est  
alimentum ultimum, nam ex eo fit. Causa efficiens sunt testes, qui ela-  
borant illud; causa finalis est generatio animalis, nam gratia illius da-  
tur & producitur.

626 Sit conclusio, foeminæ emittunt verum semen, & active co-  
currunt ad generationem, non per humorem aqueum similem virili  
semini, sed per verū & realē. Prob. 1. Ex Anathomica arte constat fo-  
minas habere eadem instrumenta ad efficiendum, & emittendum se-  
men, ac viri: ergo &c.

627 Nec obest quod Salomon Sapientia secundo ait, se fuisse

formatum in utero in sanguine, & semine virili: ergo foemina solum ponit sanguinem. Respondeatur enim ex Cornelio à Lapide, semen mulieris habere colorem sanguineum, & ideo comprehendendi nomine sanguinis.

628 Sed dices: ex eo quod in homine dentur mamillæ, nempe ea dem instrumenta ad efficiendum lac, ac in foemina, non sequitur dari in homine lac: ergo nec ex eo quod dentur eadem instrumenta, &c. Respondeo in homine dari mamillas ad ornatum, & fortitudinem, & non cum eisdem organis; at foeminis instrumenta seminis ad quod aliud munus possunt deservire, nisi ad elaborandum semen? Vel 2. Respondeo negando antecedens, nam in Brasilia sèpè omnes homines tantum lac habent, ut suos iofantes creent suis mamillis. Ita alii Auctores.

629 Arg. 2. Beata Virgo fuit Mater Christi sicut aliæ, excepto, concurso viri; sed non emisit semen, alias amississet, integraté virginitatis, sicut vir (qui licet non concurrat mulier, si emitit semen, perdit suam integratem:) ergo nec aliæ foeminae emittent semen. Min. probatur. 2. Nam Ecclesia ait de Christo procedens homo sine semine: ergo.

630 Resp. nego mai. Nam Ecclesia dictū intelligendū est sic, procedens sine semine, idest, sine semine extraneo, & virili. Ad primam autem min. probationem. Resp. nō sequi amississe integratē, nam repudiavit virgo omnes congressus viri, & hoc semen fuit positum in loco convenienti ab Spiritu Sancto obūbrante, ut absque aliqua talis seminis decisione & absque delectatione carnali fieret hæc generatio in ipso semine virgineo, sicut ab alijs assertur de sanguine eius, nec vir amittit virginitatem per emissionem seminis solam, sed per illam libidinosè, & voluntariè factam, quod non potuit dari in Christi conceptione.

631 Argument 3 ergo Mulier se sola potest naturaliter generare absque mixtione seminis virilis; siquidem habet eadem instrumenta, potentiam & qualitates. Resp. negando sequelam, nam homo & foemina sunt cause subordinatæ; quamobrem una nihil potest sine alia producere, quia essentialiter mutuo pertinetur attemperatæ duæ ad generationem; semen enim vel non est eiusdem speciei, vel earundem qualitatum, foemineum cum virili, & sic non supplebit foemineum; licet enim sanguis sit in uteroque idem specificè, facultates generativæ, & organa distinguuntur specie (vel saltim in qualitatibus requisitis) licet animæ non distinguantur in specie.

Nec

632 Nec obest similitudo mulierum in facie & voce cum spadonibus, ut non emittant illæ verum semen, sicut nec istitum quia sicut similitudo non probat sterilitatem, sicut in spadonibus, ita nec seminis defectum; tum quia etiam aliqui viri fæundi sunt similes mulieribus, & sic similitudo non probat. Nec quod mulieres coitus nō debilitet, probat defectum seminis; nam id provenit quia mulier recipit intra se, & vir extra se.

633 Infero quod vtrumque semen secundum partem humidiorē concurret passiue, & secundum calidorem, & spirituosiorem active. Patet in tritico in quo datur quædam particula mixta, in qua residet vis activa germinandi, qua corrupta, non amplius germinat. Vnde fornicæ, ut non germinet amplius, corrodunt eam.

634 Dubitabis. An semen sit causa principalis productiva animæ bruti? Resp. negative. Primo, quia semen non vivit, ut in Libris de Anima videbimus; & si viveret, ex eo quod fuisset decissum, moreretur: ergo non potest esse causa principalis formæ bruti, quæ vivēs est; siquidem omnis causa debet esse aut perfectior, aut æque perfecta, ac effectus. Vnde causa principalis est Pater influens medio semine ut virtute instrumentalī.

### SECTIO V. De formatione fætus.

635 Difficultas est, quæ partes corporis prius efformentur? Quidam aiunt prius efformari medullam spiritualem, quæ est sicut carina id navi. Alij iecur, & hoc probat Empedocles experientia: narrat enim se vidisse quandam genituram, quæ efformati incipiebat, & vidit solummodo iecur, quin perciperet alias partes. Etiam narrat Aristoteles, se experientia vidisse, quod illud, quod formari incipiebat, erat cor, quamobrem ait cor prius efformari.

636 Affero tamen, quod licet aliquando contingat, quod una pars efformetur ante aliam, non introducitur anima in una parte antequam in alia; sed simul introducitur in omnibus partibus præcipuis. Probatur, nam tales partes ita connectuntur inter se, ut quilibet indigeat altera ad suas operationes, & conservationem. Confirmatur, nam si homini auferatur caput, aut cor, aut iecur, statim moritur; si ergo una non potest conservari sine alia, postquam sunt extra uterū, nec intra: ergo simul omnes partes, quæ sunt principales viventis efformantur, vel saltim simul informantur.

637 Dices: potest contingere quod antequam efformentur istae partes principales viventis, efformetur una pars ex non praecipuis; ergo haec pars debet informari ab anima, nam non potest naturaliter esse sine forma. Nego anteced. quia illa pars iam habet formam embrionis aut aliam; nam non ex eo quod sit efformata, debet esse informata, siquidem desiceret tunc illi ultima dispositio, aut conditio, quæ est consortium aliarum partium principalium à quibus pender.

638 Sed dubitabis, quot dies transeant à die conceptionis, usque ad diem, qua anima rationalis unitur materiæ foetus? Pauciores sunt in homine, nam cum sit ex semine calidiori, & robustiori, brevius disponitur eius materia ad animam quam in muliere. Sed quot dies transeant?

639 Theologi dicunt quod in vitis 40. in fœminis 80. Fudatur in illo Levitici, quod mulier pariens fœminam, purificetur octoginta diebus, si virum, quadraginta; ex quo inferunt hos dies purificationis correspondere diebus animationis.

640 Medici concedunt 40. dies fœminis, dicant vero viros animari 3. die sua conceptionis. Sed omissis Medicis, adhæreo Theologis, nam securius est istorum fundamentum. Circa gestationem prolis, experientia docet, quod partus magis naturalis contingit nono mense ut patet in partu B. Virginis. Quidam aiunt posse contingere parturi felicissimum intra quintum, aut sextum mensem, & probant à paritate alicuius terræ, quæ ita est fœcunda ut intra unum annum bis fructum reddat.

641 Etiam septimo mense ferè sunt partus fœlicissimi, ut experientia docet, neutiquam vero octavo mense; & ratio quam Medicis assignant est, quia qui nascitur octavo mense, conatus fuit nasci septimo mense, & quia non potuit, magis defatigatus infans ab impetu dispositionum, quæ instabant ut nasceretur septimo mense, & ideo omnes moriuntur.

642 Sed vide, queso, in Cornelio à Lapide plura scitu digoа ad caput Sapientia secundum 3. 2. ubi plura de tempore partium. In quo loco Salomon satis insinuat, se fuisse in ventre matris decem mensibus. & hic partus est perfectior iuxta aliquos, quia foetus iā animatus debet esse in ventre novem mensibus, sicut fuit Christus Dominus, organizatus in instanti per Spiritus Sancti operationem, quæ dispensatio temporis in alijs non fuit.

Sed

643 Sed quæres, qunam est causa monstrorum? Monstru est pec-  
catum nature aberrantis à communi semita. A multis solet proveni-  
re causis. Primo ex coitu animalium distinctorum in specie, &  
ideo monstra solent habere caput vnius animalis, & pedes alterius  
distincti in specie, vt caput tauri & pedes hominis. 2. propter abun-  
dantiam, vel parvitatem materiæ, ex qua fit generatio, 3. à comixtio-  
ne variorum seminum. 4. ex imaginatione. 5. ex causis extrinsecis,  
scilicet vel à Dæmoniæ, vel à Deo, &c. 6. ex anticipatione aut nimia  
prolongatione temporis, in quo virtualiter paritur.

**DISPUTATIO XXV.** *De Nutritione.*

644 **P**ostquam egimus de generatione, a gendum est de alijs  
Actionibus quæ subsequuntur ad illam.

**SECTIO I.** *In quo sicut Nutritio & quomodo sicut.*

645 Nutritio propriè solum reperitur in substantijs viventibus  
& definitur sic: *Conuersio substancialis alimenti in substancialm aliti*, sed  
dubium est, in qua actione sicut formaliter. Suppono præcedere plu-  
res actiones alterativas ante nutritionem. Prima fit in ore vbi conte-  
runtur cibi saliva mixti, quæ apud Galenum habet magnam virtu-  
tem alterandi cibum. Postea ab ore deferuntur cibi ad stomachum,  
vbi à calore naturali secundo alterantur, & fit prima coctio; vbi sepa-  
rata magna parte excrementitia manet alia pars expurgata liquida  
& alba, quam vocant Medici chilum

646 Ex stomacho traitur chilus ad iecur, cuius calore fit 3. alte-  
ratio & 2. coctio, vbi magis depurata illa masa seu chilus transit in  
formam sanguinis, in qua massa sanguinaria relucet etiam alij tres  
humores, nempè, melâcholia, quæ descendit ad splen, cholera, quæ po-  
nitur in felle, pituita seu flegma quæ divagatur per omnes venas.

647 Postquam sanguis iam est expurgatus, ponitur in vena caba  
quæ diversis ramis, & venis terminatur, quæ venæ dicuntur capillares  
quia minutissimæ, & diffunditur per totum corpus, vbi datur tertia  
coctio, & disponitur illa materia, quæ per corpus divagatur, quæ dis-  
posita additur ad omnes partes corporis. Sed nota quod cor præcisæ  
separat duas portiones sanguinis, unam partem sibi, quam convertit  
in spiritus vitales, & aliam subtiliorem, quam mittit in cerebrum, ex  
qua generantur spiritus animales.

Sit

648 Sit prima conclusio: nutritio hominis stat in unionе animа rationalis cum materia alimenti, quod convertitur, & in unionе eiusdem materiæ alimenti cum materia præexistente, in ipso homine. Prob. nam deficiente qualibet ex his unionibus, deficit nutritio; nam si anima huius hominis unitur materiæ lapidis, non augebitur talis homo, si materia lapidis non unitur cum materia hominis: ergo nutritio hominis stat in his duabus unionibus formæ ad materiam, & materiæ ad materiam præexistentem.

649 Sit secunda conclusio: nutritio in alijs viventibus stat in ag-generatione novæ partis formæ materialis ex materia alimenti, quæ ag-generatione uitat talem partem formæ cum materia alimenti, & consistit in unionе illius formæ, quæ producitur, cum forma præexistente, & unionе partis materiæ alimenti cum parte materiæ præexistentis. Itaque in tali nutritione nempe viventium non rationalium, datur triplex unio, una essentialis, qua unitur pars formæ quæ producitur cum sua materia nova, alia sunt integrales, nempe unio partis formæ præ-existentis, & unio partis materiæ ad materiam præ-existentem.

650 Probatur, nam nutritio in viventibus materialibus, est augmentatione substantiæ: ergo ex hac parte debet esse unio continuativa partialis formæ advenientis cum partiali forma præ-existenti. Est etiæ nutritio conversio alimenti in substantiâ viventis; sed haec dicit productionem novæ partis formæ cum materia alimenti: ergo nutritio distinctioni ab homine consistet in duplice unione continuativa, una materia nouæ ad materiâ antiquâ, & alia formæ nouæ ad formam antecedentem. Et in productione essentiali partis formæ, quæ est unio essentialis ad materiam.

651 Sed dubitabis: an nutritio distinguatur essentialiter & in specie à prima generatione. Resp. affirmativè. Probat. nam prima generatione solum dicit essentialiter productionem formæ in materia; sed hoc totum dicit nutritio, & præterea unionem formæ productæ cum alia parte formæ, & unionem materiæ nouæ alimenti cum materia præ-existenti: ergo distinguitur nutritio per hos conceptus à prima generatione.

## SECTIO II.     *Aliqua dubia.*

652 Dubium 1. est, an nutritio fiat instanti, an successiva? Resp. nō in instanti converti totam materiam alimenti in substantiam viventem, sed successiva. Probatur, quam non implicat quod aliqua pars ali-

menti propinquius adhaerat calori cordis quam alia ergo citius convertetur in vivens. Sicut cito convertetur in ignem lignum, immediatus, & propinquius applicatum igni, quam distans ab illo. Probatur 2. nam si paulatim & successive lignum crematur, ita ut prius ignefiant partes exteriores ligni quam interiores, cur non alimentum debet converti ita ut secundum partes exteriores prius resolvatur, si quidem magis eis communicatur agens, nempe calor naturalis?

653 Dubium 2. est, an haec successio conversiva sit continua? Respondet negativè nā materia alinēti tempore indiget ut disponatur ad formam alitatis ergo tunc cessat & interrupitur nutritio dum durat preparare illam materiam.

654 Dubium 3. an sit necessaria nutritio viventi corporeo ut conservetur? Resp. affirmativè. Probatur: nam calor naturalis est agens nec est siccum: ergo semper consumit aliquam partem humidū radicallis, exsicando partes humidiōres, & crassiores viventis: ergo indiget vivens restauracione aliarum partium loco illarum, quas deperdit: ergo sumptione alimenti ut nutriatur.

655 Dubium 4. quæ partes viventis nutriantur? Resp. omnes, licet magis continuo sit caro quæ nutritur. Probatur, nam cum totum inclavitur, minuantur omnes partes: ergo cum nutritur, etiam omnes nutriuntur. 2. nam in omnibus partibus reperitur calor, qui agit contra humidū radicale: ergo debent recuperari ab omnibus partibus viventis partes deperditæ: ergo debent ad hoc nutriti.

656 Nota vero ex Aristotele, quod licet omnes partes hominis nutriantur, non nutriuntur toto tempore suæ vitæ, ossa præcipue (intelligitur secundum longitudinem) sed usque ad terminū 22. annorum, ut ait Hypocrates; & ut alij usque ad 25. experimunt enim non semper hominem crescere.

## SECTIO II. De Alimento.

657 Dubium 5. est, quod alimentum sit, quo nutriuntur viventia? Resp. esse duplex alimentum, unum proximum, & aliud remotū. Proximum est, quod immediatè convertitur in substantiam viventis. Remotum est quod prius convertitur in aliquam substantiam, & postea perdit eam, & convertitur in viventem substantiam.

658 Dico 1. cum Medicis, alimentum proximum viventis est sanguis, ita Aristoteles; licet sanguis aliquando alteretur, & diversimode

secundum diversitatem partium, quæ aluntur; & sic ossa nutriuntur medullis, & aliæ partes alijs humoribus.

659 Dico 2. quod saper nec alia accidentia Eucharistica nō possunt nutritre, aut esse alimentum remorum secundum se. Probat. nam nutritio est conversio substantiæ alimenti in substantiam viventis; cum ergo saper, nec alia accidentia sint substantia, hinc est, quod nō poterunt nutritre, licet possint alterare cerebrum, aut confortare stomachum.

660 Dico 3. viventia posse nutriti elementis, ut pater in serpentibus. Terram comedes cunctis diebus vita tua. Tum etiam flores eradicati à terra & positi in aqua, fiunt maiores, & crescunt: ergo nutritiuntur aqua.

### DISPUTATIO XXVI. Quid & quotuplex sit conversio.

#### SECTIO I. Definitur.

661 COnversio definitur: transitus unius rei possitivæ in aliam possitivam incompatibilem cum illa, aliquo communione manente. Dixi, unius rei possitivæ in aliam, nam termini à quo, & ad quem, debent esse possitivi; & ideo transitus aëris de tenebroso in lucidum, conversio non est. Dixi incompatibilem, nam si est compatibilis, non erit conversio, ut transitus de calido in album. Denique dixi aliquo communione manente; nam si nihil manet de re antecedenti, non erit conversio, sed anihilatio. Debet ergo aliquid commune manere, sive hoc sit substantia, ut accidit in conversione naturali ligni, v.g. in ignem, ubi remanet materia prima sive sit accidens, ut in conversione panis in corpus Christi.

662 Tetryplex est conversio quotuplex sive terminus. Si enim transeat de una forma ad aliam, est conversio formalis; si ab una substantia ad aliam, substantialis; ita ut si transeat tota substantia, dicitur transubstantiatio, sicut si transeat omnia accidentia, transaccidentatio.

663 Sed nota quod non omnis conversio est generatio, nam destruta forma ligni, patet Deus non generare, sed creare formam ignis in illa materia, & unionem etiam, & tunc dabitur conversio, & non generatio. Nec omnis generatio est conversio, nam si materia esset sineulla forma, posset Deus generare formam, & tunc non con-

ver-

verteretur, nam non transiret de termino possitivo ad alium.

664. Dubitabis: an terminus possitivus à quo debeat destrui, ut vere sit conversio? Resp. affirmative, & probatur: nam ideo Ecclesia iudicat converti in corpus Christi panem, quia substantia panis destruitur.

665. Nota dum datur recessio termini, v.g. anime, destruta unio né animi separata non converti in formam cadavericam, sed homo est qui convertitur in cadaver.

666. Arguunt 1. vt debet conversio non requiritur quod terminus ad quem ita producatur, ut antea non existeret: ergo nec requiritur ut terminus à quo ita destruatur, ut desinat esse postea in rerum natura. Resp. quod sicut terminus ad quem, non requiritur primo produci, sed sufficit de novo pendere à subiecto conversionis, sic in termino à quo non requiritur omnino destrui, sed sufficit quod ex vi actionis conversivæ desinat dependere à tali subiecto; sive hoc fiat destruendo unionem cum illo, sive destruendo terminum quantum est ex parte illius actionis conversivæ, licet aliunde ex vi alterius actionis à parte rei existat.

667. Arguunt 2. ex hoc sequitur Christum Dominum converti in ossa, aut sanguinem: patet, nam species consecratæ, quando corruptiuntur, transiunt de amittere Christum ad admittere ossa, aut sanguinem hominis: ergo si ob hoc lignum convertitur in ignem, ita etiam Christus convertetur in sanguinem.

668. Resp. in tali transitu terminum à quo, qui est Christus, & ad quem, qui est ossa, non esse incompatibilis ex natura rei & physicè, sed solum moraliter, & ex decreto Dei de non conservando corpus, nisi quandiu durant species; & hoc non sufficit ad veram conversionem. Adde, quod ille transitus non sit ex eo, quod actio agat in corpus Christi per se ipsam.

## SECTIO II. *Alia difficultas proponitur de termino ad quem.*

669. Sit conclusio: terminus ad quem conversionis debet de novo produci, modo quo diximus quod terminus à quo illius debet desinere, utpote si terminus à quo non requiritur quod corrompatur omnimodè, nisi corrumperatur secundum unionem qua dependebat ab illo subiecto, quod desinat; sic terminus ad quem requiretur quod producatur, non omnimodè, aut primo, sed secundum unionem qua

pendeat à subiecto quod accipit de novo, sive producatur, sive non producatur de novo.

670 Nota etiam, recessum termini à quo debere procedere præcisus propter accessum termini ad quem, nam hæc est incompatibilitas quam requirit conversio; & ideo Christus non convertitur in vermes, aut in hominem; nam licet corruptis speciebus recedit, non præcisus recedit, propter accessum vermium, aut hominis, sed quia ita Deus decrevit aut disposuit.

671 Nec dicas, alimento hominis ideo non dicitur converti in animam, quia anima non producitur, sed accedit per præsentiam novam illi parti materiæ alimenti: ergo terminus ad quem debet produci.

672 Resp. quod propriè potest dici converti, nam materia alimenti transit de amittere suam formam ad accipere animam, quæ illi de novo per veram actionem sive productivam, sive replicativam applicatur, & vere vinitur & resultat homo: ergo de materia alimenti vere dicitur converti, aut potius de toto, licet non de anima.

673 Arguunt, Ecclesia colligit esse conversionem ex eo quod verba Eucharistia sunt vera: sed essent vera, licet illic non reproduceretur Christus: qui est terminus ad quem: ergo probat. min. nam ideo sunt vera, quia dicunt *hoc est corpus*. Respond. i. Si aliqua unio physica produceretur, concederem totum. Sed quia non producitur.

674 Resp. 2. quod non essent vera, nā non conformarentur cum compositione corporis Christi proportionata iuxta finem conversionis requisitum. Ea enim verba non solum dicunt *hoc est*, ut generaliter est in lapide, mensa, &c. Sed *hoc est corpus*, &c. speciali modo, id est, per productionem specialem in illis speciebus: ergo non essent vera verba; nam licet illic esset corpus Christi, non ex fine aut modo, quo significant esse, & sic non conformarentur cum obiecto & essent falsa. Iusto insuper argum. nam verba etiam essent vera, etsi non destrueretur substantia panis, si poneretur Christus, & hoc non obstante destrueretur: ergo &c.

675 Arg. 2. per reproductionem præcisus non potest in re dici, quod Christus specialiter existit in hostia: ergo requiritur aliqua unio, modus, aut præsens: ergo posita hac præsens, aut producta hac unione dabitur conversio. Resp. disting. requiritur aliqua præsens,

modus, aut unio, tanquam quid primarium ad conceptum conversionis, nego; tanquam quid secundarium, & concomitans necessario concedo; sicut ut res producatur, requiritur productio praesentiae, non ita ut praesentia sit primarius conceptus productionis rei, sed quid subsequentum. Maneat ergo conversionem esse destructionem termini a quo & productionem termini ad quem modo dicto.

SECTIO III. *De Augmentatione.*

676 Non agitur hic de augmentatione propterea convenit accidentibus, in quibus etiam fieri potest additio, sed de illa, quae convenit substantia tam viventi quam non. Quae sic definitur. Motus sive transitus a minori ad maiorem substantiam: & diminutio, quae augmentationi opponitur sic definitur; motus autem transitus de maiori ad minorrem substantiam.

677 Dubium est, in qua actione consistat formaliter augmentatione. Nota requiri ad augmentationem, v.g. formæ leonis plures actiones. Prima actio quae requiritur est alteratio, qua materia prima preparatur ad accipiendam novam partem formæ. Secunda requiritur actio, qua producatur illa pars formæ introducenda. Tertia actio qua producatur unio inter partem formæ præexistentis, cum parte formæ advenientis, à qua continuatur forma differentialis. Quarta est productio unionis inter partem materiæ primæ præexistentis cum parte novæ materiæ primæ, quæ accipit novam partem formæ venientis: haec quatuor actiones requiruntur ad augmentationem.

678 Dico ergo: augmentatione non stat formaliter in productione formæ, vel in productione unionis formæ cù materia, quæ de novo adquiritur. Probatur, quia actio, qua producitur unio inter aquam præexistente, & adveniente est augmentatione; sed talis actio non est productio formæ, nec unionis cum formâ: ergo augmentatione non stat in talibus productionibus.

679 Sit conclusio: augmentatione consistit formaliter in actione productiva unionis inter partem substantię advenientis, & partem præexistentis eiusdem rationis; v.g. quando producitur unio inter partem præexistentem materiæ primæ, cum alia parte adveniente materiæ primæ vel inter partem præexistentem formæ substantialis, cum alia parte adveniente formæ substantialis. Debet ergo talis unio esse inter partes eiusdem rationis: & haec est ratio quare licet in una par-

te ligni sit forma ignis, & augeantur magis, & magis partes ligni, non dabatur augmentatio ignis, præcisus quia non dabatur unio continua-tiva partis formæ ignis cum alia parte formæ eiusdem speciei, scilicet formæ ignis.

680 Sed nota 1. augmentationem distingui à prima generatio-ne, nam hæc non petit nec requirit ullam partem præexistere, sicut requirit augmentatio. Nota 2. Etiam distingui ab aggeneratione, nam aggeneratione est generatio partis formæ in materia habente iam aliam partem eiusdem formæ, v.g. quando dimidium lignum est cum for-ma ignis, & aliud dimidium redditur etiam ignitum, tunc aggene-ratur forma ignis. Nota 3. in hoc etiam distingui, quod augmen-tatio est unio continuativa, vel inter unam partem materiæ cum alia, vel inter unam partem formæ cum alia: productio vero quæ est ag-generatio, solum est unio essentialis talis partis formæ cum sua materia.

## SECTIO IV.

*De corruptione viventium, morte, interitu, & de illius causis, de-fine, & sibi.*

681 Dubium 1. est, a quo proveniat fames, & sitis, & in quo stent? Resp. quinque res concurrere ad famam & sitim: Prima est vacuitas membrorum. Secunda, attractio ipsorum membrorum. Tertia, aliqua divulsio ventriculorum cum aliquo dolore & mortu, orta ex attractio-ne. Quarta, sensatio attractionis causans dolorem in ventriculo. Quinta, appetentia cibi ad levandum ventriculum à tali abstinentia, quæ omnia reperiuntur in siti proportione servata.

682 Sic ergo definitur fames: dolor divulsionis ventriculi ex defectu alimenti. Sitim verò sic definies: dolor sive sensatio convolutionis ventriculi defectu potus. Ad quos dolores repellendos appetit homo per famem calidum, & secum; per sitim frigidum, & humidum. Aristoteles definit famem: appetitus calidi, & seci. Et sitim: appetitus frigidi, & humidii. Hæ vero sunt definitiones in ordine ad causam finaliem famis & sitis.

683 Dubium 2. quid sit essentialiter mors? Ut magis percipiatur mors, interest definire vitam ut Aristoteles, nempe: permanentia animæ vegetantis cum calore, hæc est descriptio solum vitae, nam divisa posset Deus conservare animam in corpore absque calorei quare vi-

ta solum explicatur bei è sic permanentia animæ vegetantis in corpore; ac proinde mors vita opposita, rectè definitur: absentia animæ vegetantis à corpore.

684. Dubium 3 an causa à qua provenit mors sit intrinseca, vel extrinseca. Si à causa intrinseca provenit appellatur naturalis; si à causa extrinseca, violenta. Et mors sequitur, quia contingit quod humidum radicale destruitur: humidum radicale nihil est aliud quam illæ prime partes, quæ fuerunt prodæ in generatione viventis. Nuc est dubium 4 an vivens habeat ab intrinseco principium corruptionis, aut ab extrinseco.

685. Sic conclusi: vivens habet ab intrinseco principium corruptionis, quod stat in calore naturali agente contra humidum radicale. Probat nam si vivens solum corrumpetur ab extrinseco, sequitur quod si homo crearetur à Deo in ætate perfecta, & suspenderet omnes actiones cuiusque agentis extrinseci: iste homo posset perpetuo durare & vivere absque sumptione alimenti, quod repugnat naturæ viventi, si quidem adhuc in statu innocentia egebat cibis.

686. Secundo probatur, nam impedita respiratione suffocatur animal ob excessum caloris; sed hic calor provenit à partibus intrinsecis animalis: ergo proveniet ab eis mors.

687. Atgaunt 1. si calor naturalis ageret contra humidum radicale, ageret contra ipsum animal: ergo etiam contra se, siquidem destructio animali destruitur calor. Secundo, nam mors non esset violenta, siquidem proveniret ab intrinseco, nempe à calore. Tertio, si calor naturalis, est connaturalis dispositio ad conservationem animalis: ergo non potest esse destrutivus animalis, si non sumit alimentum quo nutritur.

688. Resp. ad 1. disting. Ageret contra se, & contra ipsum animal per se & primario nego; per accidens & secundario concedo, nam etiam insimilis contingit ut tunc superveniat calor aliqua in parte viventis, ut ex illa accessione calor secundario sequatur mors.

689. Ad secundum respondeo, mortem dici violentam & provenire ab extrinseco, quatenus nulla pars agit directè in se ipsam, sed in aliam cui se habet extrinsecè. Ad 3. Resp. calor natualem esse dispositionem viventis respectu partis à qua exigitur in gradu temperato, non vero respectu alterius partis.

## SECTIO V. Alia argumenta, &amp; dubia.

690. Arguunt 4. Ex hoc sequitur quod idem calor naturalis est conservativus, & destructivus eiudem animalis. Resp. non esse in conveniens, quod idem calor per se sit conservativus viventis, & per accidentem illius destrutivus, quod dixit Seneca loquendo de calore naturali: qui me occidit me vivificat.

691. Arguunt 5. Sequeretur corpora calidiora, & corpora quæ magis agitantur, esse minoris vita, siquidem habent magis de calore, quod est falsum. Respondeo magis vivere talia corpora calidiora, quia habent humiditatem quasi aëream, & magis crassam, quam alia corpora, quæ habent humiditatem aquam; & sic in cholericis magis conservatur vita, quia minus destruitur humiditas illorum. Hoc patet in pinis, cupressis, olivis, &c. quæ magis conservantur, quia habent hanc humiditatem aëram viscosam sive rassinoſam: & cum aliunde cholericī habeant majorē partē calorē, faciliter convertunt in se alimenta; & etiam qui in magis agitantur, quia labore, & exercitio plus concoquunt cibū, & expellunt excrements.

692. Arguunt 6. Sequeretur mortem non esse violentam, sed naturalē. Deinde quod mors proveniens à fame, esset, & non esset naturalis: si tamen proveniret à calore naturali interno; non esset, quia esset cum dolore, & ait Aristotiles, quod mors naturalis non est cum dolore.

693. Respond. ad hoc, quamlibet mortem formaliter esse violentam, licet aliquando dicatur naturalis illa quæ sit secundum leges naturæ per ultimam resolutionem, & spirationem caloris; mors autem proveniens à fame est violenta, quatenus non contingit secundum leges naturæ.

694. Arguunt 7. Nullum mixtum putrescit à proprio calore, & temperamento, nisi ab extrinseco producatur nova pars caloris. ergo ita mors. Resp. partes viventis aliquando habere calorem ultra proprium temperamentum, qui calor provenit ab anima, à quo calore aliquando venit mors.

695. Arguunt 8. Licet partes viventis continuo excentur propter calorem naturalem, non solum calor non debilitatur, sed magis augetur: ergo ruit conclusio. Prob. ant. nam calor magis activus est cum siccitate, quam cum humiditate, ut patet in igne, cuius calor est magis activus, quia siccitat̄ viuet: ergo calor nativus non minuitur.

mitior licet agat in humidum radicale.

696 Resp. quod si hoc argumentum valeret, probaret etiam quod forma ignis melius posset introduci in materia cineris, ac in materia ligni, siquidem lignum habet minus de siccitate, quam cinis, hoc autem falso est, ut experientia probat; & sic dicimus quod ad introductionem formae ignis, & præcipue ad flamnam ipsius ignis, requiritur aliqualis portio humiditatis, siquidem in tantum permanet flamma in quantum in illa materia ligni non destruitur humiditas.

697 Dubium est, an possit naturaliter contingere, quod aliquod vivens perpetuo conservetur, nisi à causa extrinseca impeditur? Quidam dicunt, hoc non posse fieri ministerio actualium alimentorum, sed ligno vita possito in Paradyso, ut ex scriptura constat, ne forte medat de ligno vita, & vivat in æternum. Alij sentiunt non posse hominem conservari in æternum, & si comedetur de ligno vita; fructus enim talis ligni, statim ac nutritur eo homo, debebat corrupi: ergo. Secundo, quia calor hominis debebat alerare illum, ut de alimento transfiret ad substantiam nutritam: ergo debilitaretur maximopere calor, & sic periret homo.

698 Oppositum tamen est tenendum, militat enim pro eo autoritas Scripturæ, quam sine necessitate interpretari non licet. Rationibus in contrarium, Resp. fructum id agere virtute superna, & sic nullum esse absurdum. Quamobrem perpetuo potest homo durare si aleretur illo ligno, adiutus virtute superna.

## DISPUTATIO XXVII. *Quid sit Alteratio, Intensio, & Remissio.*

### SECTIO I. *Definiuntur.*

699 Alteratio sumitur 1. pro qualibet augmentatione substantiali, & accidentalii. 2. pro accidentali solum. 3. pro mutatione aliquius qualitatis corporeæ. 4. sumitur pro mutatione ad qualitates contrarias, disponentes ad generationem, & corruptionem formarum & iuxta hos sensus possunt intelligi diversa loca Aristotelis.

700 Definitur ergo Alteratio in hoc ultimo sensu ( qui est strictior) ab Aristotele sic: alteratio est quando manente subiecto sensibili producitur in eo qualitas disponens subiectum ad novam formam, & sic non alteratur subiectum qualibet qualitate qua in eo producatur, nisi sit ad disponendum illud ad formam novam, quamobrem non erit alteratio productio lucis in aere.

S. Inq.

701. Intensio cōsistit in eo quod unus gradus qualitatis eiusdem speciei augeatur in eadem parte subiecti per uniuersum, & sic solet definiti intensio: additio unius gradus qualitatis ad aliū eiusdem speciei in eadē parte subiecti. Vnde non sufficit in eodem loco, sed requiritur in eadem parte subiecti.

702. Remisio est contraria intensioni, & definitur sic: deficit uniuersis inter unum gradum qualitatis & aliū: probatur, nam remisionis definitio debet esse oposita, & contraria intensioni: ergo si illa erat productio unionis, hæc erit deficitio illius in eadem parte subiecti.

### SECTIO II. Quomodo fiat intensio.

703. Thomistæ dicunt fieri per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti, quæ maior radicatio stat, encalar mas ad sujeto, quod quidem sit vel per novam vim informativam advenientem qualitati, ut sentiunt Complutenses, vel per novam explicationem, idest, desplegamiento, eiusdem formæ, ut tenet Ioannes à São Thoma.

704. Sed contra, quia ex hoc sequeretur in vitro sanctissimo non dari plus de gratia quam in alijs minus sanctis, siquidem per vos in intensione nihil de qualitate additur de novo. Tum etiam nam homo iustus non mereretur augmentum gratiæ per bona opera (quod est contra Tridentinum;) non enim potest dari augmentum gratiæ, vbi nil de gratia additur. Tum denique, quia forma substantialis semel unita materiæ, non potest magis in illa radicari, alias intendetur: ergo nec accidentalis. Si enim substantialis communicatur materiæ tota & totaliter, cum non & accidentalis?

705. Assero ergo intensionem consistere formaliter in additione, seu unione gradus ad gradum in eadem parte subiecti. Et probatur Extensio qualitatis ut v.g. lucis in aere, stat in additione lucis ad lucem in diversa parte subiecti: ergo & eius intensio stabit in additione lucis ad lucem in eadem parte subiecti.

706. Argues: essentia rerum stant in indivisibili; at qui si calor creceret per intensionem adquirendo plus de calore, cresceret sua essentia: ergo. Nego minorem; licet enim detur ibi plus de calore, non datur plus de essentia, seu de prædicatis essentialibus; nam hæc habent numerum certum, qui nec augeri, nec minui potest.

**SECTIO III.** *An isti gradus sint similes in perfectione?*

707 Affirmo; nam illi primi gradus qui producantur in varijs subiectis, sunt similes in perfectione; atqui si colligerentur, & poneantur in unico subiecto, ibi daretur calor intensus: nam calor ille plus calefaceret, quam antea, quando solum erat unicus gradus in illo subiecto: ergo &c.

708 Possibilis est tamen qualitas intensa per gradus disimiles; nam ex eo quod Deus produceret plures gradus caloris qui essent disimiles, & postea eos videt in eadē parte subiecti, daretur additione unius gradus ad alium: ergo intensio: ergo de possibili potest divinitus fieri intensio per gradus disimiles, & inaequales.

**SECTIO III.** *Argumentis responderetur.*

709 Obijcies 1. calidum ut quatuor applicatum alteri calido ut quatuor, agit in illud, siquidem illud conservat; sed non potest agere in illud, nisi producendo calorem: ergo si non intendit illum, proveniret quia calor quem producit non est perfectior praexistenti; & sic intensio debet fieri per additionem gradus perfectioris ad praexistentem. Resp. conservare illud, non quidem aliquid in illud positive influendo, sed illud à contrarijs defendendo, & sic calidum ut quatuor in aliud ut quatuor nullum caloris gradum producit.

710 Obijcies 2. qualitas intensa ut octo est perfectior qualitate extensa ut &c: ergo quia habet gradus perfectiores. Confirmatur, quia si tres Beati videntur Deum, quilibet visione clara ut duo, & daretur alter qui videret Deum visione clara ut sex, perfectius iste videret Deum quam illi, licet inter tres haberent sex gradus dispersos: ergo intensio sit per gradus inaequales. Resp. ad primum talem qualitatem esse perfectiorem, non entitative, sed intensive, quatenus fortius potest agere, & resistere contrarijs quam qualitas extensa; nam de illa verificatur quod virtus unita fortior est se ipso dispersa. Ad secundum resp. quod si illæ claritates ut duo coniungeretur in uno actu constituerent unam visionem intensam ut sex, & tam claram, & perfectam as alter qui in te sex habet.

711 Obijcies 3. si gradus essent similes, nullus esset primus, secundus, octavus, &c. Resp. distinguendo; nullus esset primus, secundus & octavus secundum scilicet & essentialiter, concedo; respective ad alios

antecedentes & consequentes, nego: sicut in numero octavo unitatū nulla est prima nec secunda secundum se, sed sunt tales in ordine ad unitates antecedentes vel consequentes.

712 Obijcies 4. si gradus intentionis essent aequales in perfectione, sequeretur quod primus gradus caloris non expelleret potius octavum gradum frigiditatis quam septimum, vel alios; sed primus gradus caloris solum expellit octavum frigiditatis, & non alium: ergo sunt dissimiles. Resp. distinguendo min. expellit octavum & non alios, quia determinatur ad hanc expulsionem a Deo, concedo: quia ex natura sua petat potius expulsionem istius gradus in individuo, quam alterius, nego. Explicatur hoc in vase omnimode pleno cum solis decem guttis aqua: ad hoc ut agentia naturalia introducant aliam guttam aqua, requiritur quod extrahatur a vase una ex dece guttis praexistentibus, non tamen requiritur quod debeat extrahi, haec potius quam alia, sed qualibet extracta, introducitur de novo alia.

713 Obijcies 5. sequeretur quod simile posset agere in sibi simile. Probatur, nam ex eo quod dentur duo calida ut sex, non est ratio quare unum calidum ut lex non posset producere calorem ut septem in alio subiecto calido ut sex, nam septimus gradus caloris non est apud nos perfectior substantialiter quam quartus, vel quintus; sed sex gradus caloris possunt producere quartum vel quintum gradus, ergo etiam septimum, & sic agens naturale posset agere in sibi simile, quod est falsum.

714 Resp. quod agentia naturalia intendunt assimilare sibi ipsum, & cum subiectum calidum ut sex, ita sit simile alteri subiecto que calido, hinc est quod non posset producere in illud, septimum gradum caloris, alias unum calidum ut lex posset totum mundum calefacere.

### SECTIO V. Aliqua dubia solvuntur.

715 Dubium primum est, an qualibet gradus qualitatis posit producere alium similem? Resp. negative, & probatur, quia ille alius posset producere alium, & ille alium, & sic in infinitum, quin aliquis cessaret a producere alium. Dices, impediri ab agente contrario. Contra: ergo unus gradus lucis qui non habet contrarium, producere alium similem, & ille alium, & iste alium, &c. quod est contra experientiam.

716 Dubium secundum est, in quo stet formaliter intensio? Resp. ex dictis de augmentatione & nutritione, stare formaliter in unione qua vniatur unus gradus qualitatis cum alio in eadem parte subiecti. Probatur nam ex eo quod ista detur, vel auferatur, datur, vel auferatur intensio: ergo formaliter stat in illa.

717 Dubium tertium est, quæ res sint capaces intensionis? Resp. solas qualitates, non vero substantias, nec quantitatem. Probatur, ex Aristotele afferente: substantiam non recipere magis & minus: ergo, &c. Ait etiam substantiam, gradus suscipere non posse; sed hæc requiruntur ad intensionem: ergo &c, idem militat circa quantitatem.

718 Dubium quartum est, an intensio fiat in instanti, vel in tempore? Resp. aliquando fieri in instanti, & aliquando in tempore. Probatur 1. pars, nam cum Sol nascitur, in eo instanti intèditur aëris lux. Idem quando aperitur fenestra, & intrat Sol. 2. pars probatur, nam igitur applicatus aquæ, vel subiecto resistenti, non potest producere in instanti calorem intensum: ergo successivè.

**DISPUTATIO XXVIII.** *De proportione inter agens, & patiens.*

**SECTIO I.** *Vtrum simile agat in sibi simile?*

719 Sit conclusio 1. Simile non potest agere in sibi simile. Apud Aristot. hæc conclusio est principium notum. Probat. nam si simile posset agere in sibi simile, maximè producendo aliquem gradum caloris supra calorem que intensum, ac est ipsum agens, nempe calidum ut sex producere in alio calido ut sex septimum gradum caloris; sed hoc non potest, nam si posset producere calidum ut sex calorem ut septem, etiam posset ut octo, & sic iam quolibet calidum ut sex posset producere dispositiones ad formam igitur, quod est absurdum: ergo, &c.

720 Confirmatur in luce, nam licet una lucerna posit producere in loco sibi immediato quatuor gradus lucis, tamen illi quatuor non possent alios quatuor, & illi alios, &c. alias unica lucerna aerem totius universi inundaret lucis: ergo si una qualitas non potest producere qualitatem que intensum ac est illa, minus poterit producere aliam novam supra se.

721 Dices: posse simile agere in simile ratione densitatis. Contra, nā semper verificatur, & in densis, & in ratis, quod qualitas agens

esset magis robusta & activa, quam aliud simile in quo agebat. Dices 2. quod licet simile non posse agere in sibi simile ratione densitatis, potest tamen ratione multitudinis agentium, v.g. si detur unum corpus calidum ut quatuor, & circundetur multis alijs corporibus calidis ut quatuor, tunc multitudo talium agentium similius potest producere in illo corpore, quod ambitur, calorem ut quinque.

722 Sed contra, quia si hoc esset verum, sequeretur quod posito aliquo minimo corpore in aqua frigida ut septem, quod tale corpus posset congelari, non congelata aqua; & quod forma talis corporis posset destrui, & produci in illius materia forma aquæ. Probatur prima sequela, nam una pars aquæ frigidæ ut septem posset producere frigiditatem ut quinque, & adiuncta cum alia parte, posset producere frigiditatem ut sex: ergo aduentientibus alijs, & alijs partibus, posset producere frigiditatem ut septem, & ut octo, & sic illud corpus congelaretur non congelata aqua.

723 Secunda sequela paret ex prima: nam eo præcise quod producerentur octo gradus frigiditatis, deberet introduci in tali materia forma, quæ necessario sequitur ad illos gradus; & cum talis forma sit forma aquæ, deberet introduci forma aquæ, quod est tam falsum, quantum ostendunt experientiæ: ergo agens non potest agere in sibi simile vello modo.

724 Obijctes 1. experientia patet, quod vas æreum plenum vi-  
no frig. sit in puto, magis quam ipsa aqua put. sed talis frigiditas  
est ab illa aqua: ergo frigiditas aquæ potest producere aliam frigidita-  
tem se maiorem, & agere in sibi simile. 2. Nonna maior ignis de-  
struit minorem: ergo agens ratione multitudinis potest agere in sibi  
simile. Resp. vas æreum magis infrigidari in puto, quæ sit ipsa aqua,  
put, sed hoc provenit à forma substa. tiali ipsius vas, & à natura  
permixtionis exhalationis calidæ exentiæ à terra. Ad 2. resp. Nonna  
majorem destruere minorem, non quia agat in illam, sed quia con-  
sumit, & devorat illius pabulum.

725 Obijctes 3. vinum habens unum gradum caloris, si intrer in  
stomachum habens alium gradum caloris, cal. facit illud plus. Resp.  
vinum esse agens equivocam; non enim calefacit ut formaliter calidum;  
& ratione caloris quem formaliter habet, sed ut virtualiter calidum;  
nam licet nullum gradum caloris habet, adhuc calefaceret. Vnde  
conclusio nostra intelligenda est de agentibus vivis. Multitudo er-  
go agentium solum iurat ad promptius operandum, sed non ad in-  
cessus.

SE.

SECTIO II. *Varia dubia.*

726 Dubitabis 1. aquo proveniat intensio facta per antiperistastum? Antiperistasis est nomen Græcum, Latine significans idem ac circum obiectio agentis à suo contrario, per quam augetur vis obiecti; sic aquæ putoeorum frigidiores sunt aestate, & hyeme calidiores, que major caliditas nequit provenire à frigore circumdante, neque ab ipsa aqua. 1. ergo queritur aquo proveniat.

727 Galenus asseruit per antiperistastum nullam produci qualitatem, nec intensionem veram & realem, sed solum apparentem, ita ut aqua tempore aestatis sentiatur magis frigida, non quia ipsa sit magis frigida, sed quia manus in illo tempore est magis calida. Sed contra, nam eadem manus tangens aliam aquam communem, & illam subterraneam, sentit differentiam inter hanc & illam: ergo hoc non potest reduci ad solum dispositionem manus, quæ unica & eadem est, sed ad diversam dispositionem aquæ.

728 Resp. ergo provenire calorem in aqua putoeum tempore hyemis ab exalationibus calidis, quæ producuntur à sole aestivali tempore in cavernis terræ, quæ exalationes impediuntur à frigore hysmalis constipante & comprimente poros superficiales terræ, ne excat foras, immo profundius intrant fugiendo à suo contrario. Tempore aestatis tales exalationes subtilizantur, & apertis terræ poris per calorem aestualem foras erumpunt, & aqua magis frigescit producendo in se nativam frigiditatem.

729 Dubitabis 2. quæ sit causa intensionis per reflexionem, nempe quando radij Solis feriunt speculum, quæ sit causa, quare producatur intensior lux, & calor, & istæ qualitates reflectant versus Solem, idem transit quando reflexit in aliquo pariete.

730 Resp. quod causa quæ semper concurreat ad productionem illius qualitatis reflexæ, est illa eadem causa, quæ produxit qualitatem in corpore resistente. 1. Quia talis productio dicitur reflexa: ergo quia agens producens qualitatē in resistente, quasi reflexit ad producendam illam in medio. 2. quia talis qualitas non excedit virtutem & capacitatē ipsius causæ producentis in corpore resistente, suas qualitatessergo concurreat ad illam qualitatem reflexam. Nō tamē negamus quod etiam concurrat aliquando tanquam causa partialis corpus resistens, & aliquando qualitas producta in corpore resistente, quando nempe talis qualitas est intensa, & corpus resistens est capax talis productionis.

731 Obijcies. Si causa maioris iotensionis esset eadem quæ producit qualitatem in corpore resistente, sequeretur quod talis causa deberet producere intensorem effectum in loco sibi coniuncto, quā in loco distantī, sed hoc est falsum, ut constat experientia ergo etiam erit falsum quod talis intensio proveniat à causa producente qualitatem in corpore resistente.

732 Resp. distingendo maiorem, si essent dispositiones & requisita ad producendum talem effectum, concedo: si non essent, nego. Et concessa minori, nego consequentiam, quia ignis producit aliquando aliquem ignem in stupra aliquantulum distantī, & non producit illū in medio, & sol etiam producit in terra aurum, & dispositiones ad illud, & non in aere medio, quod provenit ex diversis prærequisitis ad talem actionem ut agens sit proxime capax.

### SECTIO III. De reaktionē, & passione.

733 Commune est inter Philosophos quod agens agendo repatur, v. g. agens calidum aplicatum alteri frigido, taliter operatur quod licet calefaciat frigidum, etiam frigefiat à frigido, ut patet in manibus inter se applicatis quando una est calida, & alia frigida, in quo casu actio qua operatur agens debilius, dicitur reactio, sicut passio qua patitur patiens debilius, dicitur absolute passio, & passio qua patitur agens fortius, dicitur repassio.

734 Sed est advertendum, quod reactio non potest fieri in generatione: & ratio est, quia ex eo quod agens agat in passum actione generativa. v. g. ignis in lignum, nequit passum nempe lignū amplius agere in ignem, siquidem in instanti in quo est forma ignis in materia ligni iam non est lignum. His positis.

735 Probat. nunc quod agens agendo repatur. 1. ex Arist. qui hæc habet: omne agens apassio repati, ut quod pellit, pellitur, quod calefacit, refrigeratur. 2. Probat. experientijs, nam aqua frigida mixta cum alia calida temperatur ab illa taliter quod frigida calefit, & calida frigefit, & rotunda aqua manet tepida; glacies apprehensa manu liquefit, & manus frigefit, & alijs experientijs poene infinitis.

736 3. Probatur ratione, nam si agens agendo non repateretur, non posset aliter fieri mixtio, siquidem in mixto debent attemperari inter se elementa. Deinde quia agens naturale debite applicatum passo debet operari; sed duo agentia contraria applicantur debite: ergo quodlibet agere in aliud.

Sed

737 Sed obijcies: ex nostra sententia sequeretur, quod vnū subiectum naturaliter loquendo, moveretur simul duobus motibus contrarijs, quod est impossibile. Probatur sequela, nam si ignis, & aqua sint in loco propinquo, aut contiguo, & mediaret aliqua pars aeris, ignis vt ageret in aquam, calefaceret aereum, & aqua vt ageret in ignem, frigefaceret eundem aereum: ergo aer simul moveretur duobus motibus contrarijs.

738 Resp. quod licet aer in tali casu reciperet calorem ab igne, & frigiditatem ab aqua, non reciperet calorem, & frigiditatem in eodem instanti; sed in vno instanti reciperet quod dimanaret ab agente fortiori, & postea in alio instanti qualitatem ab agente debiliori, & sic quod nunquam sequeretur, quod simul moveretur duplici motu contrario. Replicab. cum Maistro contra hanc solutionem. 1. quia ex ea sequitur destru<sup>t</sup>io quæstionis; siquidem quæstio est, an agens agendo, idest instanti in quo agit, repatiatur.

739 2. Quia si in tali casu vnum agens agit prius in aliud, quam aliud in istud, signum est quod illud aliud habet superioritatem respectu huius (vt nos etiam fatemur) sed in instanti sequenti non deperdit agens fortius aliquam virtutem, nec agens debilius adquirit aliam, immo potius contingit, è contra, nempe quod agens fortius sit fortius, & agens debilius sit magis debile. Ergo si in primo instanti agens fortius operabatur in alio, & non patiebatur ab ipso, etiam in secundo, & in alijs instantibus; & si sic non datur actio & repassio in eodem instanti, nec dabitur in diversis.

740 Resp. ad replicam. 1. non sequi destructionem quæstionis; nam ex eo quod qualitates sint inter se contrariae, cum non posint simul existere in eodem subiecto, nec poterunt simul recipi in illo duobus motibus contrarijs vt rectè probat argumentum. Ad 2. resp. concessa maiori, negando minor. quia licet agens fortius absolute loquendo, & secundum se totum, sit fortius, non tamen est fortius secundum quemlibet gradum in particulari respectu totius agentis debilioris; & sic totum agens debilius destruit in agente fortiori aliquem gradum, respectu cuius, tale agens debilius est fortius, licet non sit fortius respectu totius agentis contrarij absolute.

741 Sed quæres an agens semper repatiatur agendo? Resp. T  
ne-

negative, quia ad hoc ut agens repatiatur, requiritur quod passum postquam patitur à tali agente, maneat cum virtute ad producendum aliquid contrarium tali agenti; sed potest evenire casus, in quo contingat quod passum non habeat virtutem producendi aliquid contrarium agenti, à quo recipit aliquid: nam si alieno igni applicetur stup a calida ut septem, in tali casu, calor ignis agit in stupam calidam ut septem, & frigidam ut unum; sed post talem actionem non manet aliquid in materia stupæ quod posse producere aliquid contrarium igni: ergo licet fere semper agens agendo repatiatur, non tamen semper, ut patet in hoc exemplari adducto.

## DISPUTATIO XXIX. De Raro, &amp; Denso.

## SECTIO I. De Constitutivo raritatis, &amp; densitatis.

742 Communiter definitur rarum: quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae. Et hac ratione lac est rarum quando ebullit, nam est parum lactis sub magnis dimensionibus quas occupat; & quando infrigidatur, habet multum lactis sub parvis dimensionibus. Nunc est dubium in quo stet essentialiter raritas & densitas?

743 Suppono, in corporibus poros dari, qui consistunt in quibusdam paruis foraminibus, quæ ex eo quod aperiuntur, dicitur quod aperiuntur pori, taliter quod per illos ingrediantur minutissima corpuscula, sive aeris, sive alterius corporis distincti.

744 Prima sententia, tenet rarefactionē stare in apertione pororum, & ingressu corpusculorum. Sed contra, nam si stante apertione pororum, impediret Deus ingressum corpusculorum, daretur rarum, nam adhuc daretur parum materiae sub magnis dimensionibus: ergo licet ad apertitionem pororum, sequatur ingressus corpusculorum, ne detur vacuum, tamen talis ingressus non erit de essentia rarefactionis. Ideoque.

745 Secunda sententia defendit rarefactionem essentialiter stare in sola apertione pororum. Sed contra, nam potest dari apertio pororum absque rarefactione, ut patet, si Deus aperiret poros aquæ, & illos repleret corpusculis eiusdem speciei ac aqua, ut v.g. quibusdam iædivisibilibus aquæ continuatis, & vni-

tis

tis cum ipsis partibus porosis ; tunc enim non daretur parum materia aquæ sub magnis dimensionibus, sed multum materię ergo non stat in sola apertione.

746 Quare sit nostra conclusio: rarefactio essentialiter stat in apertione pororum , & simul in carentia ingressus corpusculorum eiusdem speciei. Vnde partim stat in positivo nempe apertione pororum , & partim in aliquo negativo , nempe in prædicta carentia. Dixi carentia corpusculorum eiusdem speciei, nam ingressus corpusculorum diversæ speciei nec obest,nec prodest ad rarefactionem : at vero ingressus eiusdem speciei, adeo impedit raritatem, ut si ingrediantur, etiam si aliunde egrediantur alia diversæ speciei, divinitus penetrata cum illis, non dabatur rarefactio, nam non dabatur parum materia.

747 Probatur ergo conclusio: nam stante apertione, & predicta carentia, omni alio seculo, datur rarefactio, & qualibet ex illis deficiente, deficit rarefactio : ergo consistit essentialiter in vtraque. Probatur 2. per id corpus rarefit, per quod habet magnam dimensionem, & parum materia; sed magnam dimensionē, seu dilatationem partium habet per apertionem pororum , & parum materia, per carere corpusculis, seu alijs portionibus suæ speciei ergo apertio & carentia concurrunt ad rarefacendum corpus, vna dilatando partes , & alia paruificando materiam: quæ quidem paruificatio fit, non quidem per ablationem materiae, sed per non additionem.

748 Ex dictis colligi potest, condensationem stare in compressione partium, quin dicat ingressum corpusculorum eiusdem speciei; nam talis ingressus licet tollat rarefactum, non tamen dat condensationem: hæc enim datur posita compressione , & auferitur ablata compressione.

## SECTIO II. Argumenta.

749 Arguitur 1. rarum est parum materia sub magnis dimensionibus; sed aqua non plus occupat de spatio post apertionem, & ingressum corpusculorum, quam antea: ergo per talem apertionem non sit rara. Distinguo maiorem: rarum est parum materia propriæ, concedo; propriæ simul cum aliena, quæ tota reputatur moraliter vñica materia, nego. Vnde in aqua rarefacta parum datur materiae propriæ, sed tamen plus occupat de spacio

sumpta simul cum materia aliena quæ illi additur, & hoc modo intelligenda est definitio Aristotelis.

750 Arguitur 2. quando aer ingreditur in aquam, rarefit aqua: ergo quando ingreditur in folles, & ventrem, isti rarefient. Nego consequentiam, nā non datur apertio pororum, sed intrat aer in follem tanquam in quoddam vas, non vero intrat per partes porosas, sicut in aqua.

751 Arguitur 3. omne corpus sublunare habens partes, habet poros, & est capax raritatis: ergo corpuscula quæ possunt ingredi in tales poros, etiam habebunt suos poros, intra quos possint ingredi alia corpuscula, & hæc alios, & sic in infinitum. Resp. corpusculum non vñiri cum partibus porosis totaliter, sed cum vnis vñitur, & cum alijs non vñitur, & sic remanet ibi discontinuatio, seu foramina inter illa extrema non vñita; quæ foramina seu pori sunt replebiles per alia corpuscula, & inter hæc corpuscula & partes cum quib[us] non vñiuntur, remanent alij pori replebiles per alia, & sic in infinitum; neque in hoc est inconveniens, sicut neque in eo, quod supra vnum liquorem aderetur alter, & alter usque in infinitum, & usque dum adessent liquores addendi.

752 Arguitur 4. corpus rarefit per discontinuationem partium? Atqui non est maior ratio, cur discontinuentur, vñæ potius quam alia: ergo omnes discontinuantur & aperiuntur, ac proinde rarefit corpus quantū rarefactibile est. Res. experientia constare, quod partes paucatim discontinuantur, & rarefiunt, & non simul, ut patet in oleo quod quidem quāto magis calefit, tanto magis rarefit. Ratio autem cur vñæ partes potius quam alia discontinuentur, est, quia vnis intensius applicatur virtus refractiva. Sic ignis non destruit simul omnes partes aquæ, sed ilias quibus intensius applicatur.

753 Arguitur ultimo: contingit quod vas plenum aqua, si hæc congelatur, rumpitur ad impediendum vacuum; sed eo præcise, quod condensatio fieret per compressionem pororum, erat superfluum, siquidem poterat impediri à corpusculis aëris ante existentibus in poris aquæ: ergo nec raritas consistit in aperione pororum modo quo diximus, nec densitas consistit in compressione eorum.

754 Resp. sequi quod vas rumpitur; nego tamen precise rumpi ad impediendum vacuum, siquidem aliquando contingit quod

quod licet vas hoc non claudatur, rumpitur eodem modo si co-  
geletur aqua in eo posita: rumpitur ergo ob nimiam frigiditatem,  
quia ex eo quod partes aquæ congelentur, etiam comprimuntur  
partes illius vasis, & ex ista compressione partium vasis, se-  
quitur quod aliquando ipsum vas rumpatur; quod confirmatur  
ex eo quod vas non rumpitur tam facile, licet in eo congeletur  
oleum, quia oleum non recipit in se tam intensam frigiditatem,  
ac recipiat vas ab aqua.

DISPVVTATIO XXX. ET VLTIMA. *De Elementis.*

755 Dupliciter solet sumi elementum. 1. late & valde impro-  
prie, nempe pro principio intrinseco cuiuslibet rei, aut parte es-  
sentiali constitente. 2. sumitur magis proprie, quatenus solum  
convenit quibusdam corporibus, quorum quodlibet præcipue  
exigit unam ex primis qualitatibus, ut aer, ignis, aqua, terra, &c.  
Questio est de elementis in hac acceptance.

SECTIO I. *Quid sit elementum.*

756 Affero sic rectè definiri: *corpus*, sive *ens naturale* duas  
primas qualitates exigens tantummodo. Dicitur, *corpus* aut *ens*  
*naturale*, ad denotandum quod omne elementum est compositum  
ex materia & forma, quod patet ex eo quod unum elemen-  
tum convertitur substantialiter in aliud; quod non posset fieri  
si non daretur subiectum commune, nempe materia; & cum aliū  
de ignis producat calorem, & hoc non possit tribui materia, hinc  
est quod tribui debet formæ: ergo &c. Illæ particulæ nem-  
pe exigere tantum duas qualitates, faciunt distinguere elementa  
& mixta, quia mixta non duas tantum, sed quatuor exigunt

757 Sed dubitabis 1. utrum primæ qualitates sint quid pos-  
sitivum? Resp. affirmative, siquidem nulla est ratio cur potius  
dicamus quod frigiditas est privatio caloris, quam è contra, neque  
quod secundas privatio humiditatis, quam è contra: ergo  
omnes istæ qualitates sunt positivæ. Tum etiam, nam manus fri-  
gida infrigidat aliam manum; sed una privatio & negatio non  
potest aliam producere privationem, nec negationem: ergo non  
est frigiditas in carentia caloris; idem de alijs.

Consecutur, nam gravitas non est privatio levitatis, nec al-  
be-

bedo nigredinis; nec naturale est carentia supernaturalis: ergo nec frigus privatio aut carentia caloris, &c.

758 Dubitabis 2. in quo consistat essentia primæ qualitatis in communi, & cuiuslibet primæ qualitatis in particulari? Ad primum respondeo, quod qualitas in communi sic solet defini-ri: *qua* neque ex se, neque ex alijs, neque ex mutuo sunt, sed ex ipsis oriuntur cetera. Vnde primæ particulae non debent ita intelligi népe quod nulla ex primis qualitatibus producatur ab alia prima qualitate, neque à secunda; quia certum est quod unus calor producitur ab altero calore, & etiam est valde probabile quod lux producit calorem. Solum denotant ergo illæ particulae, *qua* neque, &c. quod primæ qualitates non resultant ex mixtione aliarum qualitatum; & per illa verba, sed ex ipsis oriuntur cete-ra, denotatur quod reliquæ omnes qualitates distinctæ à primis sunt ex permixtione primarum qualitatum, & hæc est ratio quare appellantur ab omnibus qualitates secundæ, *qua* à primis causantur.

759 Resp. ad secundam partem dubij, essentiam qualitatis primæ nempe calidi in particulari esse quod ait Aristoteles, nempe quod congregat ea *qua* sunt eiusdem generis; quod patet in igne quando liquefacit aliqua metalla, in quo casu con-gregat quodlibet seorsim ab altero, licet per accidens contingat quod quando calor rarefacit aquam, congregetur aer cum aqua, licet non sit eiusdem generis.

760 Frigidum sic definitur: *quod congregat, rā qua sunt eiusdem, ac diversi generis*. Humidum explicatur sic, quod difficile con-tinetur terminis proprijs, facile vero terminis alienis. Ut patet in aere, qui difficile servat propriam humiditatem, & facile admit-tit siccitatem. Siccum sic declaratur: *quod facile continetur pro-prijs terminis, difficile vero alienis*, ut patet in terra, *qua* facile servat siccitatem, & difficile humiditatem. Sed istæ definitiones solum sunt quædam explicationes primarum qualitatum.

## SECTIO II. Quæ qualitates convenient singulis elementis?

761 Procedit difficultas de quolibet elemento in suo esse connaturali; & sic cum communis sententia. Affero 1. ignis est ca-lidus in summo, & siccus prope sumum & in gradu excellenti. 1. pars, à nemine dubitatur. Et qui dubiter, ait Mastrius, quod po-

natur in medio ignis, vsque dum adveniat ad esse sumum; esse sic cum modo quo dixi, communiter Aristoteles, & alij defendunt, aut pro certo luppenunt.

762 Assero 2. Terra est secca in sumo, & frigida prope sumum. De siccitate probatur: nam Deus in eius creatione vocavit illam aridam: ergo est secca in sumo. Probatur 2. ex Aristotele aiente: in terra plus siccus est quam frigidi, in aqua magis frigidi quam humidi, in aere, magis humidi quam calidi, in igne magis calidi quam siccii. Vnde licet terra humectetur, absente corpore quo humectatur se reducit ad suam pristinam siccitatem. Esse prope sumum frigidam, probatur: nam terra in loco distanti a suis superficiebus quo radij solis non possunt pervenire, est valde frigida: ergo est prope sumum frigida. Deinde, quia ignis propter calorem quem habet, est valde levis, sed terra est valde gravis: ergo sicut calor constituit levitatem, ita frigiditas constituit gravitatem: ergo erit prope sumum frigida.

763 Assero 3. aqua est prope sumum humida, & in sumo frigida. Probatur esse in sumo frigidam ex Aristotele aiente: nullum elementum ita exigere frigiditatem ut aqua, ita ut cum a contrarijs removetur, reddatur ad suam pristinam frigiditatem. Probatur etiam esse prope sumum humidam: nam aqua est elementum quod magis oponitur igni: ergo si illud est in sumo calidum & prope sumum siccum, istud erit in sumo frigidum, & prope sumum humidum.

764 Assero 4. aer est sume humidus, & prope sumum calidus. Probatur 1. ex Aristotele supra iam relato. Deinde nam effectus formalis humiditatis solet esse reddere subiectum fluidum, & liquidum: ergo cum nulla res sit magis fluida, & liquida quam aer, erit in sumo humidus: quod sit prope sumum calidus probatur, quia frigiditas aggravat, calor vero levitat: ergo cum aer sit valde levis, erit valde calidus.

765 Maneat ergo ignem esse in sumo calidum, & prope sumum siccum; aquam esse in sumo frigidam, & prope sumum humidam; terram esse in sumo siccum, & frigidam prope sumum; aerem esse in sumo humidum, & prope sumum calidum.

766 Sed obijcies 1. magis exiccat ignis quam terra: ergo ignis erit siccus in sumo, & non terra. Resp. distinguendo antecedens: magis exiccat per se, nego, per accidentem & quia medio calore expellit vapores humidos, concedo: & nego conseque. Vnde nul-

nullum elementum est quod exicet per se loquendo plus quam terra, & sic est siccata summo.

767 Obijcies 2. ignis est sume calidus, & prope sumum siccatus, & ideo est sume levis inter cætera elementa: ergo illud elementum quod sit sume grave, erit sume frigidum; sed terra est elementum, quod magis inter alia gravitat: ergo est sume frigida. Resp. quod licet frigiditas conducat valde ad gravitatem, sola frigiditas non est constitutivum gravitatis; quod patet, quia aer est sume frigidus in sententia contraria, & tamen non gravitat tantum quantum ipsa terra & aqua: ergo gravitas licet sumatur à frigiditate, etiam sumetur ab alijs qualitatibus, & sic terra licet habeat solum hoc, non erit frigidior alijs.

768 Obijcies 3. si aqua esset sume frigida, à seinet ipsa gelatur; sed hoc non ita est, nam gelatur vel ab aere, vel ab hyeme &c. ergo non est sume frigida. 2. nam aqua infrigidatur à nive: ergo frigidior erit nix quam aqua; ergo non est frigida in sumo, 3. quia difficulter separatur ab aqua humiditas, quam frigiditas: ergo potius aqua est sume humida quam sume frigida. 4. nam loca maritima sunt calidiora quam non maritima: ergo aqua non est magis frigida, quam terra.

769 Resp. negando antecedens, nam non solum est frigiditas causa congelationis, sed siccitas, ut patet in sale aposito supra nivem, qui glaciat nivem. Ad 2. Resp. distinguendo conseq: frigidior est nix quam aqua, si aqua non est impura, nego, si aqua est impura, ut est quæ reperitur apud nos, concedo; quia si poneretur absque alijs mixturi non infrigidaretur à nive.

770 Ad 3. concessio antecedenti, nego conseq. quia licet frigiditas minus agat, tamen frigiditas resistit magis quam illa. Ad 4. concessio antecedenti nego conseq. quia terræ maritimæ propter suam humiditatem parum conservant nivem, & glaciæ, bene vero loca alia terrestria propter siccitatem quam habent.

### SECTIO III.

*An & quomodo possit unum elementum transire in aliud.*

771 Ad quod suppono aliud esse symbolum, aliud disymbolum. Primum dicitur quod convenit cum alio in una qualitate ut aqua & aer, qui convenient in humiditate; aqua & terra in fri-

frigiditate, terra & ignis in siccitate, aer & ignis in calore. Elementum disymbolum est, quod in nulla convenit qualitate cū alio, vt ignis, & aqua, quæ disconveniunt in omnibus qualitatibus, & etiam aer & terra.

Sit conclusio: quodlibet elementum immediate potest transire in aliud, facilius vero sit conversio inter symbola.

772 Probatur conclusio in symbolis, nam aer convertitur in ignem, dum accenditur flamma, & aer in aquam, vt patet in subterraneis. Probatur in disymbolis, nam si in aliquem fornacem eiiciatur gutta aquæ, tunc ignis ex natura sua petit conuerrere aquam in ignem, nam petit generare sibi simile; & licet aliquando generetur aer vel aliud, hoc non erit ex exigentia ignis, sed de per accidens.

773 Diximus tamen cum Aristotele facilius converti duo symbola quam duo disymbola, quia ad conversionem symbolorum solum requiritur quod destruatur una qualitas, in qua opponuntur; at vero vt disymbolum convertatur in aliud disymbolum, requiritur quod destruantur duas qualitates contrarie, & duas producantur, quod est difficilius.

774 Obijecies i. si vnum disymbolum transfret in aliud disymbolum, daretur transitus de extremo ad extremum, quin sit per medium; sed hoc est falsum: ergo &c. Minor probatur nam potest ignis producere simul in materia aquæ omnes qualitates necessarias ad formam ignis: ergo prius introduceret quatuor gradus caloris & quatuor siccitatis: ergo in illo tunc erunt in illa materia quatuor qualitates: ergo generabitur tunc forma mixta.

775 Resp. i. quod si hoc argumentum intendit probare quod regulariter vnum elementum non convertitur immediate in aliud licet sit symbolum, vel disymbolum, concedemus. Si autem intendat probare quod non potest contingere conversio immediate, quam nos admittimus, Resp. distinguendo maiore: quædo extrema non petunt dispositiones ad medium, cōcedo; quædo petunt, nego; & distinguo minorem eodem modo, & nego conseque, quia etiam sit transitus in aere de tenebroso in lucidum quæ sunt extrema, quin hoc fiat per medium, scilicet mediante aliqua qualitate distincta à luce. Ad prob. minoris conceditur Antecedens communiter loquendo; nego tamen quod aliquando non possit contingere quod ignis uno instanti produ-

cat vltimas dispositiones ut transeat illa materia à forma aquæ in formam ignis.

776 Obijcies 2. tam facile possunt duæ qualitates superare alias duas contrarias, ac vna superare aliam contrariam: ergo tam facile destruentur duæ contraria ab alijs duabus, ac vna ab alia: ergo tam facile convertentur symbola elementa, ac disymbola. Resp. distinguendo antecedens: si solum operentur duæ qualitates contrariae contra alias duas contrarias, vel vna conteraria contra aliam contrariam concedo; si operetur etiā substantia in qua subiectantur talia accidentia, nego: cumque substantia elementi symboli pugnet contra vnam solam qualitatē, & substantia disymboli contra duas, promptius vincitur resistentia symboli, quam disymboli.

777 Obijcies 3. facilius convertitur aqua in ignem, quam terra in ignem; sed aqua est elementum disymbolum igni, & terra symbolum: ergo facilius convertitur elementum disymbolum, quam symbolum. Distin. cons. si cetera sunt paria, nego; si cetera sint imparia, concedo; aqua enim ideo convertitur citius in ignem quam terra, quia aqua habet minus materiae quam terra, taliter quod si ponerentur in portione æquali, citius converteretur terra in ignem, quam ipsa aqua.

#### SECTIO IV. *De loco Elementorum.*

778 Assero 1. contra aliquos dari elementum ignis supra aerem. Probatur, nam ignis flamma ascendit sursum: ergo signū est quod querit centrum supra. Confirmatur à paritate ceneri corporis gravis, quod arguitur esse infra, nam omne corpus grave semotis impedimentis illuc descendit: vnde centrum ignis erit concabū Lunæ, qui est locus superior respectu loci cuiuslibet alterius elementi.

779 Obijcies 1. si ignis esset supra aerem, videretur à nobis, sicut videtur ignis à longe existens, & astrorum lux. 2. quia Cœli & aer vicinus, illius ardore incenderentur. 3. quia vel acceleretur pabulo, vel non? Si primum, incenderentur cœli; si secundum: ergo destrueretur, quia exp̄erimur ignem deficiente pabulo perire. 4. quia corpora cœlestia quando infrigidat nos, etiam infrigidarent ignem illum intermedium.

780 Resp. ad primum: ignem in sua sphæra non videri propter

ter illius subtilitatē magnam, sicut neque videtur aer; lux astrorum videtur propter maiorem eorum densitatem, & spissitudinem. Ad secundum dico, aerem non inflammari, quia influentijs astrorum, quæ sunt valde efficaces, impeditur ne descendat calor; & etiam quia obstant aeris humiditas, & frigiditas vaporum qui sunt in media regio ne aeris. Nec cœli incenduntur, tum propter resistentiam suarū formarum, tum etiam quia astrorum influentiæ id impediunt. Ad 3. dico, ignem in sua sphera conservari sine pabulo, quia est sine contrarijs, secus de igne qui est inter nos. Ad 4. dico corpora cœlestia influere in nos producendo in igne intermedio aliquem gradum, vel humiditatis, vel frigiditatis ut ait Oviedo, vel alium effectum distinxerit speciei.

*miss. 10* Affero 2. terra est altior aqua. Probatur, nam aqua ex natu rae corporum, & diffunditur per latera, & aperturas terræ, quando si quod corpus non obstat tali diffusioni; quod quidem non faceret si esset altior terra. Sic aer quod ~~est~~ non ingrediatur sed imo petit egredi, & ascendere ~~est~~.

Ex dictis infertur quod ignis elementalis est altior aere; aer terra, & terra aqua, ita ut à nulla parte aquæ, quantumvis eminenti exce datur.

#### SECTIO V. *De mixto, & quomodo maneat elementa in illo.*

781 Tripliciter solet sumi mixtum, nempe pro mixtione im propria, propria, & propriissima. Mixtio inpropria est illa quā multa corpora habent confusa quadam vniōne, manentibus immutatis eorum substantijs, sive possint adhuc discerni sive nō, ut ordeum vel triticum, vel farina ordei, vel tritici. Mixtio propria est, quando di versa corpora inter se coniunguntur, taliter quod maneat eorum formæ substanciales, sed aliquātulum alteratur unum corpus ab alio ob receptionem contrariarum qualitatum. Mixtio propriissima est, quando ex vniōne plurium corporum resultat unum tertium distinctum, taliter quod generetur nova forma substancialis, & præcedens destruatur. Et de ista mixtione est quæstio in præsenti.

782 Ad hanc mixtionem tria requiruntur. Primum est localis coniunctio corporum quæ sunt miscenda. Secundum quod mutuo alterentur talia corpora mixtibilia ita ut inter illa detur mutua actio & re passio medijs qualitatibus contrariis; siquidem medijs talibus qualitatibus debet disponi, ad hoc ut de novo generetur forma mixti. 3.

requiritur forma mixti resultans, & materiæ primæ corporum quæ miscenda sunt. Vnde ut detur mixtio de qua hic loquimur, non sufficit quod unum desinat esse, ut contingit in augmentatione & generatione, sed requiritur quod illa omnia, quæ miscentur corrumpantur.

783 Sic definit Aristoteles mixtionem: miscibilium alteratorum unio: dicitur unio & continuatio formæ quod est idem; ut non solum intelligatur quod ad mixtionem sufficit unio materiæ eorum corporum quæ miscentur, sed quod etiam requiritur unio & continuatio formæ, ita ut sit una & eadem forma in duabus materijs eorum, quæ miscentur. Particula miscibilem: ponitur ad denotandas entitates quæ miscentur: & particula alteratorum: etiam denotat, quod illa quæ miscentur debent prius alterari. Clarius tamquam explicat Rubius mixtionem sic: mutatio substantiæ ad formam mixti ex miscilibus congregatis, & per mutuam alterationem dispositis, atque corruptis virtualliter vniuntur, & continentur.

Sed dobiū est an quando miscentur elementa ex quibus resultat mixtum in ipso mixto manent actu, & formaliter formæ elementorum? Resp. non manere actu, & formaliter, sed virtualiter quatenus manent qualitates, formarum elementorum filiaz. Non vero manent in gradu intensio, sed in remissio. Probatur ex Aristotele aiente quod formæ elementorum non manent in mixto formaliter, sed tantum in virtute.

784 Probatur ratione, quia mixta distinguntur ab elementis in eo quod quodlibet mixtum exigit quatuor primas qualitates, non vero quodlibet elementum: ergo cum virtus accidentalis elementorum consistat in quatuor primis qualitatibus, in mixtis erunt elementa virtualiter, non virtute substantiali sed accidentaliter.

785 Arguunt 1. formæ elementorum non manent formaliter in mixto: ergo mixtum solum continet unam formam, sicut elementum: ergo erit corpus simplex sicut elementum. Secundo quia in combustionē ligni experimur quod accenditur flamma quæ est ignis, & segregantur cineres, quæ sunt terrei, & exalatur sumus, qui est vapor aereus, & exit humor aqueus; ergo mixtum resolvitur in elementa, & sic manent formaliter in illo. 3. per collisionem duorum truncorum lauri exit ignis ab illa mixtione aut fricatione corporum: ergo quia erat antea in illis. 4. quia licet in cadavere manent aliquæ qualitates hominis, non dicitur manere hominem: ergo licet in mixto manent

neant aliquæ qualitates elementorum, non dicendum est ideo manere elementa.

786 Ad 1. Resp. mixtum non dici tale, quia habeat plusquā vnam formam substantiam, sed quia habet quatuor primas qualitates à distinctione elementi. Ad secundum respódeo quod in eo tunc de novo producitur forma ignis, quæ est forma elementalis, & etiam producitur aliæ formæ, quæ sunt forma mixti distincti, licet habeant aliquam similitudinem cum terra, aqua & aere. Ad 3. respondeo, quod per collisionem duorum ligiorum lauri, generatur de novo forma ignis à Cœlo, vel à Dœo, attentis dispositionibus productis in illis corporibus medio impulso & collisione, vel generatur forma ab ipsis corporibus collisis. Ad 4. resp. quod admixtum requiritur collectio aliorum & permanentia virtualis, quod non reperitur quando homo corruptitur, & convertitur in cadaver.

#### SECTIO VI. De gravitate & levitate.

787 Dubium est an formæ quibus redditur res gravis, vel levæ, sint distinctæ à substantia.

Sit conclusio. Gravitas & levitas distinguntur realiter à subiecto gravi vel levi. Probatur, nam gravitas & levitas intenduntur, & remittuntur; Sed subiectum non: ergo distinguntur. Secundo, nam aqua calida est levior quā aqua frigida; Sed subiectū manet idem: ergo. 3. nam apud aliquos, vapores aquæ servant substantiam aquæ, sed vapores ascendunt quin habeant gravitatem: ergo gravitas non est ipsum subiectum.

788 Dices, gravitatem hominis idemptificari cum anima rationali, nā hæc habet virtutē producendi impulsū deorsum, sicut habet virtutem producendi sensationes materiales. Contra, nam etiam Angelus habet virtutem producendi impulsū deorsum, & non est idem cum gravitate. Deinde nam licet homo aliquis idemptificaretur cum pluribus animabus rationalibus, non amplius gravitaret ac si cum vna: ergo non idemptificatur gravitas cum anima.

789 Sed obijcies, non datur à quo dimanet gravitas hominis: nam non à materia, hæc enim est indifferens ad gravem vel levem, vt patet in materia aeris. Deinde non ab anima, quia secundum se non est gravis: ergo non est aquo oriatur, & sic identi-

tificatur cum substantia. Resp. talem qualitatem gravitatis vel dimanare a permixtione quatuor primarum qualitatum, ut patet in mixtis; vel a permixtione qualitatum quas exigunt elementa, vel consistere in ipsis qualitatibus. Ratio est, quia ut tenet communior & probabilior sententia, gravitas terræ distinguitur specie à gravitate aquæ; siquidem illa exigit locum insimum, ista locum supra terram; sicut levitas ignis exigit locum superiorem omnibus elementis, & levitas aeris locum immediatum igni: ergo cum exigant diversa loca, etiam erunt diversæ gravitates & levitates in specie, & sic potest dici quod gravitas & levitas consistunt in ipsis qualitatibus permixtis; siquidem diximus cù Aristotele, quod elementa solum exigit duas qualitates, & cum perant gravitatem & levitatem, debemus asserere, quod in elementis est idem prædicta realiter gravitas & levitas cum duabus qualitatibus primis.

### SECTIO VII.      *Aliqua dubia solvuntur.*

790 Dubium 1. est an aliquod mixtum gravitet magis quam elementa gravia. Resp. affirmative, quia cæteris paribus, magis gravitat plumum, & aurum, quam terra & aqua; siquidem si esset locus ad descensum centri terræ, & ponerentur plumbum & terra in æquali distantia, citius perveniret plumbum quam terra: ergo certum est quod aliqua mixta gravitant magis quam elementa gravia.

791 Dubitabis 2. an aer, & ignis gravitent, vel levitent in proprijs locis? Resp. 1. nec gravitare, nec levitare in proprijs locis. Probatur, quia ignis, & aer non conantur descendere à proprijs locis, nec connantur ascendere ad loca superiora, nempe ad spacium imaginarium, siquidem iam sunt in suo connaturali loco: ergo ignis, & aqua, nec gravitant nec levitant quando sunt in suis propriis locis.

792 Resp. 2. ignem & aerem levitare dum sunt in alienis locis: hæc conclusio patet experientia; & insuper nam ignis, & aer dum sunt infra corpora gravia, conantur impellere alia corpora impedientia ascensum ad suum locum, sicut corpora gravia dum sunt supra levia, conantur impellere corpora impedientia descensum ad suum locum: ergo sicut corpora gravia

gra.

gravitant in alieno loco, ita corpora levia levitant in alieno loco.

793 Dubium ultimum est an aqua & terra gravitent in suis proprijs locis? Resp. negative: & probatur, nam in tantum res gravitant, in quantum existunt in loco superiori improprio illis, & patiuntur violentiam, taliter quod quantum est ex se aut quatenus est ex se, conentur descendere ad locum naturalem, & proprium; sed quando res existunt in suo proprio loco, non existunt in loco superiori improprio nec patiuntur violentiam: ergo nec gravitant, dum existunt in tali loco.

794 Confirmatur experientijs, nam cum quis natat in inio maris, non sentit gravitatem aquæ existentis supra se ipsum: ergo ideo talis aqua non gravitat, quia existit in suo proprio loco.

795 Dices: quando natans conatur elevare aliquam partem interiorem aquæ, sentit difficultatem ad elevandam illam portionem aquæ: ergo signum est quod elementa gravia adhuc gravitant in suo proprio loco. Resp. quod difficultas illa, quæ experimur ad elevandam illam portionem aquæ, non provenit ex eo quod talis portio aquæ graviteret, sed quia ad hoc ut elevetur illa portio aquæ, debent separari & disiungi inter se alia partes superiores aquæ, quæ partes impediunt quatenus est ex se, talem separationem.

FINIS TRACTATVS DE GE-

NERATIONE.

TRA-

## TRACTATVS DE ANIMA.

796 **T**RACTATUS de Anima nobilior est inter cæteros Philosophicos, ut pote de ente nobiliori tractans. Cuius obiectum est compositum constans anima, ut forma, & corpore sive materia organica: quod totum est principium operationum vitalium. Et licet aliqui saepè hunc tractatum incipient ab speculatione animæ in communi: Nos tamen à communioribus in ciplentes, prius agemus de vivente ut sic communi ad omnia principia vitaliter operantia, & postea de anima, viventis forma in communi, & in particulari tractabimus.

DISPUTATIO XXXI. *De Vivente.*SECTIO I. *Quid sit.*

797 Exacta viventis definitio multum vexat Doctorum ingenia, ut scilicet primarium conceptum viventis explicet, & omni viventi conveniat. Omissis ergo diversis Authorum definitionibus, à nobis tenenda est communis explicatio, quod movetur ab intrinseco, vel quod habet ab intrinseco perfectionem natura sua intrinsecam, ita quod non sit vivens quod non movetur ab intrinseco per motum intrinsecum. Hec explicatio est Divi Thomæ: quam licet hic non omnes sub iisdem terminis admittant, hac tamen fere omnes in diversis materijs vtruntur ad explicandam diversitatem operationum vitalium, à non vitalibus.

798 Per ly, quod movetur non intelligitur à D. Thoma motus strictè sumptus quem definivit Arist. 3. Physic. sed motus late sumptus, prout idem sonat ac operatio; non quidem operatio pure physica, sed præscindens à physica, & intentionali; ut sic comprehendat modum operandi omnium viventium, tan intellectualium, quam non intellectualium. Comprehenditur ergo operatio intellectualis, & voluntatis, adhuc divina; nam licet hæc in re non oriatur à principio, tamen se habet ut actus, & operatio intentionalis, saltem penes nostros conceptus.

799 Per ly ab intrinseco denotatur quod motus, seu operatio ita sit ab iñò principijs, quod per suam naturam exigat in-

timitatem ad dandam denominationem ; taliter quod si daret eam, licet per possibile aut impossibile non haberet intimitatem, sed ab extrinseco applicaretur, talis motus seu operatio argueretur non esse vitalis. Ideo Deus non dicitur vivere per eternitatem, & infinitudinem, non quia haec perfectiones non sine ei intrinsicæ, sed quia licet per impossibile eas ab extrinseco haberet, eodem modo denominaretur. Cognitio vero dicitur operatio vitalis, quia si ab extrinseco proveniret, non denominaret cognoscentem.

800 Patet hoc in uione Verbi ad Humanitatem, per quam Verbum denominat eam intrinsecè terminatam, eodem modo ac reliquæ humanitates dominantur à proprijs subsistentijs, quæ ab ipsis oriuntur ut proprietates; & tamen si cognitio Verbi uniatur Humanitati, non denominabit eam cognoscentem, aut vitaliter operantem, non alia ratione nisi quia denominatio subsistentis non essentialiter requirit, quod sua forma seu terminus denominans sit ab immo subiecti, benè verò cognitio. Patebit hoc amplius ex solutione argumentorum.

801 Obijcies 1. vivens est quod movetur &c. ergo Deus qui propriè non movetur, non erit vivens; sicut non est homo qui propriè non est animal rationale. Resp. disting. anteced. vivens est quod movetur motu strictè sumpto, nego motu latè sumpto. Concedo anteced. & nego conseq. Quia iam Deus habet motum, seu operationem latè sumptam; & vivens diximus quod præscindit à motu strictè, & latè sumpto (sicut etiam intelligere cōmune Deo, & creaturis præscindit à simplicitate, seu compositione actus primi, & secundi) definitio verò hominis non præscindit ab animali rationali, strictè aut latè sumpto, sed requirit propriè animal rationale.

802 Obijcies 2. corpus grave movetur ab intrinseco in centrum, & tamen non vivit: ergo. Resp. disting. movetur ab intrinseco per se intrinseco, nego; per accidens intrinseco, concedo. Nam eodem modo fertur in centrum si ab agente extrinseco impellatur, ac si moveatur à te. Resp. 2. quod motus corporis gravis non est à se sibi, sed sui in centrum, & quasi ad extra: vivens autem debet producere motum à se sibi, scilicet sibi adquirere, vt in se solo maneat.

803 Instabis: Proprietates dimanāt ab intrinseco essentiaz, & ipsi essentiaz; & tamen talis dimanatio non est vitalis: ergo. Resp.

disting. ita ut per se requiratur talis dimanatio, nego: per accidens, concedo: ut patet, nā eodē modo frigescit aqua, & denomi-  
natur frigida per frigiditatem quam habet ab agente extrinse-  
co, ac per eam quam sibi ipsa producit: ergo per se non requi-  
rit quod frigiditas oriatur ab ipsa aqua.

804 Obijcies 3. Pars quæ adquiritur per nutritionem, po-  
tuit haberi in prima productione ab agente extrinseco: ergo nō  
petit esse ab intrinseco subiecti. Resp. distin. pars eadem quoad  
entitatem, concedo: quod actionem, & denominationem, nego.  
Si autem haberetur in prima productione ab agente extrinse-  
co, non nutritur, nec denominaret nutritum, sed augeret per mo-  
dum additamenti comproducti.

805 Obijcies 4. Ignis lichni; seu candelæ mouetur ab intrin-  
seco, siquidem augetur per intus sumptionem; & tamen non vi-  
vit: ergo. Resp. 1. nego absolutè anteced. quia solum augetur per  
iuxta positionem. Resp: 2. disting. augetur per intus sumptionem  
taliter quod per se requirat huiusmodi actionem, nego; quia ig-  
nis eodem modo augeretur per iuxta positionem: per accidens,  
sub distinguo: modo non speciali vitalium, concedo: modo pro-  
prio vitalium, nego. Nam pabulum quo augetur ignis candelæ,  
v. g. non præcisæ atrahitur ab ipso igne, sed ipsum pabulum iā  
informatum calore se approximat ipsi igni, tanquam centro in  
quod fertur, ratione caloris accepti; vnde attractio non tam stat  
in ipso igne, quam in pabulo ipso; quod iam affectum qualitati-  
bus ignis, se approximat ipsi igni.

## SECTIO II. De vivente in actu I. & 2.

806 Duo in suo conceptu adæquato dicit vivens: & princi-  
pium motus seu operationis, quod vocatur actus primus; & ip-  
sam operationē vitalem quæ vocatur actus secundus, & est ipsa  
vita. Vivens aliud dicitur physicū, aliud intentionale: istud est, cu-  
ius operatio est intentionalis, v. g. per intellectum, scilicet, & vo-  
luntatem, ut Deus, Angelus, & homo: illud est quod se auget per  
intus sumptionem, v. g. Nutribile & plantæ in sua nutritione; di-  
citur physicum quia exercetur per operationes entitativas: nam  
vivens intentionale etiam est physicè vivens, prout physicè so-  
nat idem ac verè, & realiter, sed non dicitur vivens vita physi-  
ca modo dicto.

Quam-

807 Quamvis Deus non habeat actum primum intelligendi, & volendi (de quo in Theologia) potest tamen dici viens in omni actuatione perfectissimum, non quod habeat operationem dimicantem à principio, sed perfectionem ipsam principij, & operationis per purissimam identitatem: erit ergo vivēs in actu primo, & secundo, non secundum imperfectionem actus 1. & 2. sed secundum id quod est perfectio in utroque. Angelus & homo absque aliqua limitatione possunt dici habere actum primum & secundum vivendi, quia uterque habet rationem principij, & operationis. Idem de sensitivis, & vegetativis.

808 Circa actum primum hominis, assero quod Potentiae in intellectiva, volitiva, sensitiva, appetitiva, &c. sunt vitales in actu 1. Ratio est quia eorum actus secundi sunt vitales immanentes. Potentia vero generativa ex suo genere non est talis, nam eius actio est transiens, non vitalis: ad sumum erit praesuppositiva. Potentia loco motiva potest dici vitalis suppositive; non vero formaliter; quia eius operatio, scilicet motus localis, non perit ex se formaliter provenire ab intrinseco, quia eius terminus, scilicet praesentia, eodem modo adquiritur licet motus sit extrinsecus.

809 Assero 2. species impressa, & habitus, & sive alia requirantur ex parte actus 1. intellectus, & voluntatis, non sunt formaliter vitalia adhuc in actu 1. Ratio est, quia vel non producunt actum vitalem; vel si producunt, non ut principium, sed ut principij virtus; erunt ergo vitales ut quo in actu 1. non vero ut quod: insuper species impressa se habet ex parte obiecti, & tanquam ab extrinseco. Erunt ergo haec omnia ad summum vitalia reductive, non vero formaliter.

810 Circa actum 2. Assero quod intellectio, volitio, sensatio, &c. sunt vitales in actu 2. Patet quia sunt operationes ab intrinseco & immanentes, quod requiritur, & sufficit. Ratio vero, quae est operatio potentiae loco motivae, non est formaliter vitalis, propter dicta supra. Insuper nec actio preparativa alimenti ad nutritionem, quia non est immanens; nam cum precedat actionem productivam unionis alimenti cum vivente, non est idem efficiens, & recipiens; efficiens enim est anima, recipiens vero materia alimenti, quae nondum est pars viventis.

### SECTIO III. Quae participant rationem vitae.

811 Triplex datur gradus vitae, intellectivus, scilicet, sensi-

tivus, & vegetativus. Primum participant Deus, & Angelus: secundum Bruta; tertium plantæ, & omnes tres homo. De Deo patet; nam ipse de se dicit *vivo ego*: sed non est alia perfectior vita quam intellectiva: ergo hanc participat Deus. De Angelo etiam patet; nam producit & recipit suas intellectiones, & voluntiones, quæ sunt operationes immanentes; nihil ergo amplius requiritur ut vivat. Bruta similiter eliciunt, & recipiunt sensationes; vident enim, & audiunt, dolent, exclamant, &c. quæ non præstant plantæ, nec alia non viuentia.

812 Circa plantas est specialis difficultas: an scilicet augentur per intus sumptionem; & dato quod augentur, debeant dici viventes. Assero ergo quod plantæ se nutriunt per intus sumptionem: patet, nam atrahunt alimentum per poros, non minus qua caro, nervi, & ossa in homine. Insuper quia non solum inducent suam formam in alimentum quod atrahunt, sed etiam intendunt sibi copulare. Debent ergo nomine *viventis* gaudere, nam sic eas vocant D. Augustinus, & Thomas, & in questione de nomine multum probat anthoritas.

813 Hominem vivere nihil magis notum. Cognoscit enim sicut Angelus, sentit sicut bruta, & se nutrit sicut plantæ. Sed præcipua difficultas est, secundum quas corporis partes vivat, seu informetur anima. Suppono quod vivit secundum partes præcipias, carnem scilicet ossa, hepar, &c. & queritur nanc, an secundum sanguinem, humores, lac, &c.

814 Assero 1. quod homo non vivit secundum sanguinem, hoc est, quod sanguis non animatur. Probatur 1. ex Arist. dicente, sanguinem esse membrum animalis in potentia: ergo actu non animatur. 2. quia sauguis est alimentum, quod convertitur in vivens: ergo in conversione recipit formam viuentis, quam non habebat. 3. Omnes partes animatae sunt continuæ; sanguis autem, utpote fluidus non continuatur cum corpore. 4. quia non augentur per intus sumptionem; sed crescit per iuxta positionem. 5. quia sanguis sponte foras erumpit, & una pars integralis renuit separari ab alia.

815 Obijcies 1. Verbum Divinum assumpit sanguinem: ergo animatur. Nego conseq. quia sicut assumpsit materiam primam, potuit & sanguinem inanimatum. 2. sanguis est pars animalis: ergo animatur. Distinguo anteced. pars essentialis aut integralis, nego, pars alimentalis, sive necessaria ad nutritionem, concedo, & nego conseq.

816 3. Ex Trident. ex vi Verborum ponitur sanguis in specie vini; & in specie panis per concomitantiam: ergo connectur caro, & sanguis ad integrandum corpus. Disting. anteced. ex vi naturalis connexionis tanquam partis integralis, nego; tanquam partis necessariae à natura ordinata, concedo anteced. & nego conseq. Quod autem sanguis non sit pars integralis, patet; nam ponetur ex vi Verborum cum ponitur corpus & partes integrantes ipsum.

817 Affero 3. semen non animatur. 1. quia sponte foras erupit. 2. quia est excrementum, & non pars integralis. 3. quia non continuatur cum vivente. Et licet semen dicatur pars substantiae, sed est pars excrementitia, virilis tamen ad generationem. Ex his infero alios tres humores, scilicet pituitam, sanguinem, & atramvilem non animari.

### DISPUTATIO XXXII. De Anima in communi eiusque potentijs.

#### SECTIO I. Definitur, & explicantur eius munera.

818 Anima sic definitur: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis.* Dicitur *Actus*, completivus quidem, & informans, non vero actius, *Primus*, non vero secundus ut accidentia. *Corporis*, idest, materiae primae, nude omni forma substantiali. *Physici*, idest, materiae naturalis, & non artificialis. *Organici*, idest, cum organizatione accidentalii. *Potentia vitam habentis*, idest, quod talis materia sit apta ad recipiendam ipsam vitam, sive animam.

819 Triplex est anima (ut iam explicui in triplici gradu vita) vegetativa tantum, ut in plantis; sensitiva, & vegetativa, ut in brutis; vegetativa, sensitiva, & rationalis simul, ut in homine. Anima ergo hominis ulti nobilior, & superior, continet gradus inferiorum, non solum eminenter, sed etiam formaliter.

820 Quaritur, vtrum Anima sit actus informans, vel solum assistens? Actus assistens est, qui non habet unionem cum subiecto; informans vero qui subiecto per unionem copulatur. Affero quod anima est actus informans. Probatur de materiali: nā anima materialis est forma educita de potentia materiae; sed omnis educio est uno formae educata cum materia: ergo,

821 De anima rationali patet: ut ex Conciliis id definitum: etiam ratione: quia in generatione hominis producitur unio inter materiam, & animam; nam nihil aliud potest esse terminus generationis: cum materia & anima utpote creatae, non possint generari: ergo sola unio: ergo media hac informat anima.

822 Dices, anima rationalis, utpote spiritualis, est improportionata enti materiali. Disting. Est improportionata in esse entis, concedo: in esse accommodationis, nego. Dices 2. *Vnu quodque recipitur ad modum recipientis*; sed subiectum recipiens nepe materia, est extensum; non autem anima: ergo. Resp. quod anima non recipitur inhaesive, & propriè, de qua receptione est proloquium. insuper est extensa virtualiter, licet non formaliter.

## SECTIO II.

*Vtrum potentiae distinguantur realiter ab Anima.*

823 De utraque anima procedit difficultas scilicet de materiali & spirituali: nam sicut haec habet suas potentias, scilicet intellectum, & voluntatem, ita illa suos sensus, & potentias materialis: quidquid ergo dicamus de potentijs animæ spiritualis, intelligetur etiam suo modo de potentij materialibus.

824 Afferro contra communem Thomistarum sentent. quod potentiae non distinguuntur realiter ab anima. Probatur 1. & specialiter de rationali: nam potentia volitiva vult & amat obiectum: ergo debet habere cognitionem illius; nam *nil volitum, quin præcognitum*: sed si distinguatur ab intellectu, non habebit cognitionem: ergo non distinguitur, ergo nec ab anima.

825 Dices, sufficere quod intellectus cognoscat, & iam per simpatiam movebitur voluntas: contra, nam motio voluntatis non est pure physica ut appetitus innatus, sed affectiva intentionalis, quæ requirit expressionem obiecti in ipsa potentia que moverit. Contra 2. nam simpatia stat in similitudine qualitatū: ergo si haec aliquid efficit, efficiet etiam ut voluntas intelligat, & intellectus amet: sed hoc non ergo nil.

826 Prob. 2. nam ut distinguatur ab anima, non sufficit quod haec ad varios actus intelligendi & amandi sit indifferens: ergo. Prob. min. nam intellectus est indifferens ad iudiciū, vel discursū;

voluntas ad amorem, vel odium: ergo deberent etiam in intellectu & voluntate multiplicari potentia. Dices, intellectum determinari per speciem, & per intellectum voluntatem. Sed cur non etiam ipsa anima determinabitur per speciem, & erit intellectus? Et per actum proprium determinabitur ad amandum, & erit voluntas?

827 Prob. 3. nā si aliquid probaret distinctionē potentiarū, maximē diversitas munera & officiorum animæ: sed hæc non probat: ergo. Prob. min. ad hominem contra Thomistas; nam per illos idem habitus sufficit ad actus specie diversos: ergo potius eadem anima, quæ est universalior, & est potentia. Confirm. nam anima nimis attenta ad unum actum, non exercet alios, ut patet in Extaticis, qui non exercent operationes sensitivas: ergo quia omnes actus procedunt immediatè ab eadem anima.

828 Prob. tandem: quia si distinguerentur, maximē quia anima est substantia, & hæc non est operativa; sed substantia est operativa, ut vidimus in Physicis: ergo. Insuper quia anima est immediatè vivens, sed hoc debet esse operarivum: ergo anima immediatè est operativa.

829 Obijcies 1. si anima per se eliceret volitionem, non esset libera; quia quod per se rei convenit, necessario convenit. Retorq. argum. ergo nec ipsa voluntas erit libera, quia etiam per se debet elicere volitionem. Disting. ergo probationem: quod convenit per se ex natura sua determinata, est necessarium, concedo; quod convenit per se, hoc est, immediatè sed cum indifferentiâ, nego antec. & conseq.

830 Obijcies 2. Anima quæ est in capite, est eadem quæ in pede: ergo si anima capitis discurrat, pes etiam discurrat. Retorq. argum. anima pedis est eadem ac capitis: ergo si in capite datur intellectus, etiam dabitur in pede. Resp. nunc, quod anima pedis discurrat, sed non in pede, nec prout in pede: nam eadē anima prout diversis dispositionibus seu organis applicata, diversas elicit operationes. Et sic in homine eadē anima gerit officia vegetativæ, sensitivæ, & rationalis.

### SECTIO III. De Potentia passiva Animæ.

831 Sit conclusio: Anima etiam recipit immediatè actus spirituales. Ratio est, quia per eos vivit, & denominatur cognoscens;

cens; sed cognoscens est concretum ex subiecto, & cognitione: ergo. Sensatio verò materialis quāvis recipiatur in anima bru- ti, quæ est subiectum proportionatum; non verò in anima ho- minis, sed in eius materia. Ratio est, quia dependet à materia tanquam à subiecto: alias si sola anima esset causa materialis, & efficiens eius, poterit separata sentire.

832. Vnitur autem talis sensatio intrinsecè animæ tanquā termino, ut possit intrinsecè denominare animam sentientem. Possibilis tamen est sensatio recepta in anima; sed hanc nō de- nominabit materialem, sed habentem sensationem materialem.

833. Sit 2. conclusio: Possibilis est anima realiter distincta à suis potentij: quia non sequitur contradic̄to. Anima tamen actualis realiter non differt; quia nō est necessitas distinctionis, nam non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate. Immo nec ex parte modi differt ab omnibus potentij simul sumptis, quia idem & eodem modo connotant. Quælibet tamen potentia seorsim sumpta ab alia & ab anima, differt ex parte modi, quia habet diversa connotata. Sic loquimur de ipsis, & earum specificativo, tanquam si essent realiter diuersæ, cum tamen so- lum formaliter distinguātur.

### DISPVTATIO XXXIII. De *Anima materiali.*

#### SECTIO I. De eius compositione.

834. Suppono Animam materialem habere partes essentia- les metaphysicas, scilicet, genus, & differentiam, nā habet essen- tiam, & definitionem sicut reliqua entia. Difficultas ergo est de partibus integralibus.

835. Sit conclusio: Anima materialis, tam brutorum perfe- ctorum, quam imperfectorum, habet partes integrales, & est di- visibilis. Prob. nam tota educitur ex potentia materiæ, & pars ex parte materiæ, non tota ex qualibet parte: ergo etiam tota recipitur in tota materia, & pars in parte, & ita dividitur & ex- tenditur ad divisionem materiae.

836. a. Prob. per nutritiouem informatur nova pars materiæ: sed non per animam præexistentem, nam deberet iterum edu- ci: ergo per parrem animæ quæ educitur de novo: tum etiam quia si duas partes informaret, esset in dupli loco, quod repug- nat

nat enti materiali. Nec dicas, in nutritione non educi de novo animam præexistentem, sed ad materiā novam terminative unius. Nam monstruosum est quod eadem anima unas partes informet inhaesive, & alias terminative, cum pro omnium animatio-ne æqualis sit ratiō.

837 Obijc̄ies 1. D. Augustinū dicentē: *cuiuslibet anima bruti est tota in toto & tota in qualibet parte.* Resp. quod S. Tho n̄as concordat D. August. cum Arist. dicens, quod est tota totalitate essentiæ, non totalitate integratatis, aut virtutis. Obijc̄ies 2. abscissa una parte animalis, statim deficit ei motus: ergo ipsam non comitatur partialis forma, sed manet in toto; alias cur forma periret si erat propria partis abscissæ? Resp. quod sepe durant aliquo tempore motus partis abscissæ, qui sunt signa partialis animæ: at si postea perit illa partialis anima, est quia deficit ei similitudines quam exigit cum alijs partibus; ut patet in una gutta aquæ, quæ corumpitur separata ab alijs.

838 Quæres an hæ partes animæ materialis sint homogeneæ, & similes? Resp. affirmative contra plures. Nam licet quælibet exerceat operationes diversas, non determinatur à se, sed ab organis. Et pars quæ informat carnem, potuit os nervum, oculum, aurem, &c. nam partes diversæ speciei non possunt continari: ergo. Cor si m. à paritate graduum intensionis, qui communiter asseruntur esse eiusdem speciei, propter hanc rationem

## SECTIO II. *An potentia materialis possit percipere spiritum.*

839 Resp. negative, & probo: quia obiectum spirituale est extra sphæram potentia materialis, sed nulla potentia potest extrahi à sua sphæra: ergo. Patet. Nam ideo oculus nequit audīre, nec auris videre, quia obiectum unius est extra sphæram alterius: ergo pariter de omni potentia materiali respectu spiritus. Sphæra dicitur ratio formalis specificativa potentie, v.g. respectu oculi lucidum coloratum, sub qua ratione attingit potentia suum obiectum materiale speciali modo tendendi.

840 Dices, intellectus saltim divinitus elevatus potest vide-re Deum: ergo & oculus corporeus elevatus etiam videbit spiritum. Nego conseq. nam Deus est verum, & sic non est extra sphæram, sed extra proportionem; spiritus autem est etiam extra sphæram oculi corporei. Vnde potentia materialis elevata, ad sum-

## Disputatio XXXIII.

mum poterit producere actum qui attingat spiritum, sed producit solum mere physice, & non vitaliter perceptive; quia ad primum sufficit quodlibet ens, ad secundum autem requiritur esse de eadem sphera.

841 Obijcies 1. nil est in intellectu quin prius fuerit in sensu; sed in intellectu datur cognitio Angeli; ergo & in sensu. Resp. obiecta materialia sensata prius esse in sensu; insensata vero, spiritualia & superna non, nisi ad summum occasionaliter per species rerum materialium.

842 Obijcies 2. ignis materialis inferni torquet Demonem spiritualem: ergo potentia materialis potest attingere spiritum. Omis si variis solutionibus, Resp. quod ignis solum producit qualitatem spiritualem torquentem, hanc autem producere potest quodlibet ens; vel qualitatem alligantem demonem ad ignem; quia in hoc se habeat ignis ut agens speciale, sed ut quodlibet. Notari ergo debet discriminem inter *producere*, & *percipere*; quod primū non requirit ens speciei determinatae, sed quodlibet productivum sufficit ad quodlibet producibile. *Percipere* autem est opus determinatae potentiae vitaliter operantis, & hoc modo non potest tendere, nisi in obiectum lux sphaera; at praecesse producere non habet sphera, & ideo potest fieri divisus a quolibet.

## SECTIO III. De potentijs materialibus externis, &amp; internis.

843 Potentiae materiales vitales sensitivæ sunt in duplice differentia; aliæ externæ, quas vocamus sensus corporeos; aliæ internæ quas vocamus sensum communem, & appetitum sensitivum: utrasque igitur in hac sectione explicabimus; & prius de externis, quæ communiter numerantur Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, & Tactus. Visus est: *Potentia intentionaliter perceptiva lucis, & coloris*. Color sine luce non potest videri: bene tamen lux sine colore. Lux ex Arist. est: *qualitas terminativa cōspicui*: vel si mavis: *qualitas constituens corpus diaphanum*. Color ex Arist. est: *quod moret actum perspicui*: *Vissus indiger species*, quia obiectum est distans, de quibus infra.

844 Auditus est: *Potentia intentionaliter perceptiva soni*. *Sonus* est: *qualitas resultans ex collisione duorum corporum*. Eius obiectum est aer, & aqua (quia sentiuntur lapides ruentes infra il-

illam) & terra. Caret speciebus; quia eius obiectum, semper sonus, est praesens; alias sicut & color, poterit sonus sentiri absens, & tam cito. Echo est sonus reflexus ab aere verbato.

845 Olfactus est: *Potentia intentionaliter perceptiva odoris.* Odor non est substantia exhalata, sed qualitas secunda orta ex primis, prædenominante calore, & siccitate. Non sentitur medijs speciebus; quia non sentitur nisi praesens; alias tam cito sentiretur, quam color.

Gustus est: *Potentia intentionaliter perceptiva saporis.* Sapor est qualitas secunda, facta in humido, aquo, siccо, terrestri, decomente calore. Non sentitur medijs speciebus, sed per se ipsum.

846 Tactus est: *Potentia intentionaliter percipiens qualitates tangibles: nemp̄ quatuor primas, & duritatem, mollicitatem, aperitatem, suavitatem, dolorem, voluptatem, & impulsum.* Vis tactiva est diffusa per totum corpus. Eius organum est caro, & præcipue nervus. Caret speciebus; quia non sentitur nisi qualitas praesens, tam quæ est in ipsa potentia tactiva, quam quæ est in subiecto extrinseco quod tangit. Divinitus potest fieri sensatio de obiecto non existente; vel conservando Deus speciem sine obiecto, vel concurrendo loco speciei.

847 Præter sensus externos datur unus internus communis qui definitur *Potentia materialis intentionaliter perceptiva obiecti sub ratione communi sensibilis.* Probat. quia bruta recordantur obiecti præteriti, sed sensus externus solum percipit obiectum praesens: ergo per sensum distinctum recordantur. Residet in cerebro, & habet species, quia percipit obiectum absens. Eius species producuntur per sensationes externas, & pervenientes ad sensum communem, simul cum illo producent actionem quæ dicitur phantasma, qui iterum relinquit alias species ad cognitionem memoriarum.

848 Ad hanc potentiam cognoscitivam sequitur alia, quæ est appetitiva, & vocatur appetitus sensitivus. Definitur: *Potentia intentionaliter impulsiva ad bonum delectabile.* Residet in cerebro, ut possit illuminari àphantasmate. Dividitur in concupiscentiam, quæ inclinat ad bonum delectabile; & irascibilem, quæ fugit malum, illi oppositum. Quatenus inclinat in bonum delectabile prohibitum, dicitur fomes peccati.

849 Dubitabis an aliqua animalia in aliquibus sensibus extensis excedant hominem? Difficultas est in modo operandi, nam in substantia certum est quod sunt perfectiores sensus humani, utpote cum anima identificati. Aliqui affirmant ex communi illo carmine:

*Nos Aper auditu, Lins visu, Si mia gustu,  
Vultur odoratu præcedit, Aranea tactu.*

Resp. tamen isto carmine plus celebrari ista animalia Poëticè, quam Philosophicè. Quare dico hominem præcedere omnia animalia: quia bonitas horum sensuum pendet ex bonitate tempore ramenti, istud autem excellentius homini, quam brutis competit, substantialiterque saltem est melius, licet non in perspicatia sumpta ab organis.

### SECTIO III. *An dentur species impressæ.*

Species impressa dicitur qualitas quædam ab obiecto missa ad potentiam, media qua completur & determinatur potentia, ut unū potius quā aliud obiectū percipiat; dicitur impressa quia imprimitur potentia quasi virtus obiecti (ad differentiam cognitionis, quæ est expressio) & dicitur vicaria obiecti, quia concurrit vice illius,

850 Affirmo cum communī sententia, & probō 1. Quia omnē agens debet esse approximatū passo, illi proportionatum, & determinatum ad illud: ergo potentia intentionalis, quæ est distans ab obiecto circa quod operatur, debet illud trahere ad se; cumque sit potentia intentionaliter operativa, debet trahere illud, non in esse physico, sed intentionalē; alias non erit proportionata virtus: sed solum per speciem impressam potest trahi intentionaliter: ergo.

851 2. Quia potentia est indifferens ad plura obiecta, etiam praesentia, nec appetit aliud à quo possit determinari, nisi species. 3. Quia oculus clarus percipit obiectum proximum quā remotum: ergo aliquid est in medio quod perveniens ad oculum mouet ad clariorem visionem: immo in eadem distantia clarus videtur medijs perspicilijs, quam sine illis; quod non potest aliunde provenire, nisi ab aliquo ex obiecto procedente, & per medium ad oculum perveniente, quod speciem appellamus. Hinc perspicilia aculeata multiplicant obiecta, quia multipli-

cantur species. Post speculum etiam videtur obiectum, non in se: ergo in sua specie.

852 4. Si inter oculum, & obiectum ponatur corpus opacum, non videtur obiectum: ergo quia hoc trāsmittebat aliquid ad potentiam, necessarium ad visionem. 5. Ex communi proloquio *ex obiecto, & potentia paritur notitia;* sed non potest cognitione ab obiecto per se procedere; tum quia sāpē est distans; tū etiam quia debet proportionari in esse intentionalī, quod non potest fieri nisi per speciem: ergo media illa concurrit obiectum.

853 Tandem, quia sicut potentia generativa tendit ad multiplicandam speciem per productionem alterius individui physici in eadem natura simili, sic in esse intentionalī expressivo potentię intentionales tendunt ad efficiendum alterum obiectū intentionaliter; ad hoc autem prærequisitum similitudo intentionalis per modum virtutis ex parte obiecti, quæ non potest esse alia, nisi species impressa: ergo hæc datur.

854 Obijcies 1. species impressa debet esse accidens; ergo non potest repræsentare obiectum quod sit substantia, quia repræsentans, & repræsentatum debet esse similia. Retorquo argum. in specie expressa, scilicet cognitione, quæ etiam est accidens, & potest attingere, & repræsentare substantiam. Resp. igitur quod iam est similis in esse virtuali intentionalī, vel potius ipsum obiectum in esse intentionalī, licet non entitativo.

855 Obijcies 2. species non videntur: ergo nec reddunt obiectum visibile. Transeat anteced. & nego cōseq. quia etiam per cognitionem cognoscitur obiectum, & non semper cognitione ipsa reflexè cognoscitur, nōm non omnis cognitione est reflexa. Dixi transeat, sed potest negari antec. quia in speculo, & in aqua quod videtur est species.

## SECTIO V. *De Habitibus.*

856 Habitus naturalis communiter definitur: *qualitas facilitans potentiam ad operandum actus similes illis à quibus gignitur.* Qualitas, stabilis scilicet, in quo differt à dispositione facile movili à subiecto. Facilitans, vt differat à prima specie impressa, quæ per se non facilitat, licet iuvet ad actum; & vt differat etiam

etiam ab habitibus supernis, qui simpliciter dant posse operari; à quibus etiam differt per ly ad actus similes, à quibus gignitur, quia habitus infusi non gignuntur ex actibus. Dari hanc facilitatem, experientia est certum; in quo autem consistat non est tam notum.

857 Affero cum communī sent, quod habitus communiter non differunt ab speciebus impressis intensis ipsarum potentiarum. Prob. quia non sunt multiplicandē entitatis sine necessitate; sed nulla est ad distinguendum habitus ab speciebus: ergo. Patet, nam sicut species remissa sufficit ad praeceisse operandum, intensa etiam ad faciliter operandum: facilitas enim in eo stat, quod potentia promptius, & expeditius prorupnat in actu, hoc autem habet per species intensas. Nam ubi plures dantur species unius obiecti quam alterius, naturale est ut potius illud obiectum cognoscatur, cuius plures sunt species, quia ex pluribus facilius est unam occurrere potentiae.

858 Hoe sic communiter explicatur de speciebus impressis, quas sèpè recipit potentia ab eodem obiecto, quæ sèpius repetitæ, dicuntur qualitas intensa. Aliqui tamen ponunt habitum, non in speciebus obiectorum, sed in speciebus quæ generantur in potentia ab eisdem actibus quos elicuit, quod magis verum appareat, & magis conforme definitioni traditæ.

858 Obijcies 1. sèpè datur species, & non datur habitus; ergo habitus non est species. Disting. anteced. species intensa, nego; non intensa, conced. antec. & nego conseq. Obijcies 2. species præcedit actum: habitus sequitur ab actu, utpote ab eo genitus; ergo non est species. Resp. disting. antec. species non intensa præcedit actum, concedo; intensa, subdistinguo: præcedit aliquem actu, scilicet illum quem debet gignere, concedo (sic autem etiam habitus præcedit actu) præcedit omnem actu, nego; nam non præcedit actu, à quibus fuit genita, & hoc etiā habet habitus.

### DISPUTATIO XXXIII. De Anima Rationali, eiusque potentijs.

#### SECTIO I. Explicatur natura, & conditio anime rationalis.

859 Suppono ut de fide animam rationalem esse spiritualem, & immortalem, ut optimè ex Scriptura, & Concilio Late-

rancens infert, & probat N. Bonz Spei ad hunc locum. Difficul-  
tas ergo est de compositione animæ rationalis: an scilicet ex eo  
quod spiritualis sit, repugnet illi habere partes integrales: an ve-  
tio adhuc integraliter sit indivisibilis, & vnde hoc habeat; nam  
partes essentialis metaphysicas, scilicet genus, & differentiam,  
iam supponimus habere, sicut reliqua entia.

860 Communis sententia est, quod anima rationalis est in-  
divisibilis, quia est spiritualis: quod sic probatur: quia omne ens  
corporeum, prout distinctum à spiritu, dicit ordinem ad mate-  
riam; hæc autem quæ etiā est corporea, intelligitur talis per or-  
dinem ad quantitatem: cum enim quantitas dicat ex suo con-  
ceptu impenetrabilitatem, seu extensibilitatem partium, hinc  
est quod dicit distinctionem partium: vnde quantitas ipsa se ha-  
bet ut terminus in ordine ad quem mensuratur corporeitas ip-  
sius materiæ, vt pote connaturalis ipsi; & ipsa materia quanta, est  
mensura reliquarum rerum corporearum: ut scilicet ea censem-  
tur corporea, quæ dicunt connaturalem ordinem ad materiam  
quantam.

861 Cum ergo id quod dicit ordinem ad quantitatem, seu  
ad materiam quantam, dicat ordinem seu exigentiam ad impe-  
ntrabilitatem, seu extensionem, omne id debet habere partes,  
& per consequens debet esse divisibile; erit ergo indivisible,  
quod non dicit ordinem ad quantitatem, nec ad materiā quan-  
tam, & hoc solum habet ens spirituale, & sic ens spirituale de-  
bet esse indivisible. Alij explicant ens spirituale, per exigentiam  
replicationis, scilicet, per exigere esse totum in toto, & totum  
in qualibet parte: quæ quidem explicatio etiam includit indi-  
visibilitatem; nam ideo tale ens exigit replicationem, quia est  
indivisible, nam cum indivisible nequeat comunicari per par-  
tes, eo ipso quod exigit communicari pluribus partibus subie-  
cti, vel loci, debet esse totum in toto, & totum in qualibet  
parte. Maneat ergo quod quocumque ex his modis explice-  
tur ens spirituale, debet esse indivisible, & sic anima rationalis  
ex eo quod sit spiritualis, erit indivisibilis.

862 Inferes. Ergo punctum indivisibile quantitatis erit spi-  
rituale. Nego consequentiam: nam punctum, vel est continua-  
tivum, vt admittunt componentes continuum ex partibus pro-  
portionalibus, & punctis continuativis; & tunc ordinatur ad  
partes extensas quantitatis: vel est compositivum, vt admittunt  
qui

qui continuum componunt ex punctis; & tunc erit extensum, & impenetrabile ut quo, licet non ut quod. Vel resp. quod punctum non exigit replicationem; immo quia est impenetrabile, exigit esse, extra alterius locum.

862 Inferes 2. Ergo anima rationalis non est spiritualis; pater nam dicit ordinem ad materiam quantam, siquidem cum illa componit totum. Respond: nego seq: etiam: & a probationem dico, quod anima rationalis non dicit ad materiam ordinem dependentiae in esse, & operari, quod est proprium rei corporearum: non in esse, quia non educitur ex illa, nec in illa praeterventur; nec in operari, quia sine materia perfectissime operatur in statu separationis: nec pendet in conservari, alias separata destruetur, & non esset immortalis; forma autem quae est corporea pender a materia in produci, in conservari, & operari.

863 Addo insuper quod licet possit dari ens spirituale, quod constet partibus, non tamen habet eas de facto anima rationalis: quod sic probo: nam absissa una parte hominis, brachio, v.g. vel periret pars animae qua informabatur, vel non? Si primum: ergo anima non est immortalis, quod est absurdum: si secundum: vel illa pars animae regredetur in corpus: quod nequit fieri absque miraculo, cum repugnet duplex anima in eodem corpore: vel migraret in Cœlum, si esset absissa in gratia; vel in infernum, si in peccato, quod non est minus absurdum. Ne ergo haec dicantur, dicendum est animam rationalem esse indivisibilem.

## SECTIO II. De intellectu, & intellectione.

864 Intellectus est Potentia spiritualis intentionaliter expressiva obiecti sub ratione veri. Eius obiectum materiale est ens, formale vero veritas: nam licet noscat mendacia, noscit tamen ut vera mendacia. Dependet a phantasmate in cognoscendo, saltem pro hoc statu: immo quod primo cognoscit sunt singularia, quia phantasma sola singularia percipit. Intellectus agens & patiens solum ex parte modi differunt; nam idem intellectus, quantum producit species ex phantasmate, dicitur agens, & quantum per ipsas producit cognitionem, patiens.

865 Quatenus præcisè cognoscit, dicitur Intellectus, quatenus cognoscit obiecta iam cognita, per species memorativas, di-

citur Memoria: unde intellectus & memoria est eadem potentia realiter, licet illam secundum diversos modos cognoscendi, vobemus diverso nomine. Actus memorativus directe attingit cognitionem praeteritam, à qua sicut relictæ species memorativa, & indirecte obiectum, licet magis attendat ad obiectum; sicut qui videt imaginem patris mortui, magis attendit ad patrem quam ad imaginem. Excitatio specierum est nobis ignotum quomodo fiat. Forre sit à Deo ut Auctore naturæ.

866 Diximus, quod intellectus attingit omne ens sub ratione veri, contra quod potest obisci: quod non solum attingit sub ratione veri, sed etiam sub ratione boni, & sub quacunque alia formalitate; pater, nam intellectus omnia cognoscit, non solum materialia, sed etiam formalia: nam intellectus proponit voluntati bonum sub ratione boni; quia cum ipsa sit potentia cœca, debet illuminari ab intellectu: ergo illuminatio debet esse de ratione boni, ut boni: patet nam nequit voluntas amare aliquid medium in ordine ad finem, quin intellectus proponat illi conducentiam medijs ad finem: ergo intellectus proponit: ergo attingit intellectus: sed hæc conducedentia medijs ad finem est bonum sub ratione boni: ergo intellectus attingit bonum sub ratione boni. Insuper, quia intellectus cognoscit quod lucidum coloratum, ut tale, specificat potentiam visivam: ergo intellectus attingit lucidum coloratum ut tale.

867 Respondeo, quod datur duplex ratio formalis, una quæ dicitur ratio formalis *sub qua*; alia quæ dicitur ratio formalis *qua*. Illa est media *qua* potentia tendit in suum obiectum, quin ipsa ratio formalis exprimitur; est id, ob quod tendit potentia, non in quod tendit potentia; quæ specificat potentiam, & dat diversam lineam ipsi actu. Ratio vero formalis *qua* non est id, medio quo tendit potentia, sed in quod tendit potentia, quod exprimitur per actum, & dat ipsi speciem aethoriam, non vero diversificat lineam. Hoc igitur posito: intellectus habet pri ratione *sub qua* verum ut verum; at vero bonum, ut bonum, & alia specificativa aliorum potentiarum, solum sunt ratio formalis *qua cognita*, & expressata, à qua non specificatur intellectus.

868 Circa 2. Intellectio non est qualitas per actionem distinctam producta, sed per se ipsam, sicut modus. 1. Quia fine necessitate non deber dari *actio distincta*; nam quando forma est

determinata ad hoc ut procedat ab hoc agente, per se ipsam producitur, v.g. modus; sed intellectio est determinata ut procedat à solo intellectu: ergo. 2. Quia intellectio per se ipsam est representatio obiecti sine forma distincta, & respicit obiectum; sed etiam per se ipsam repräsentat obiectum intellectui: ergo sine actione distincta.

869 Dico 2. Si intellectio producatur auctore distincta, solum consistet in qualitate producta; quia hæc sola est representationis obiecti: sicut calor consistit in qualitate, & non in actione. Concretum tamen intelligens dicit intellectiōnem, intellectum, & actionem immanentem: hæc autem actio, sive sit stricta de Prædicamento actionis, sive latè, quæ dicitur grammaticalis, à termino ipso indistincta, sufficit ad denominationem vitaliter operantis.

### SECTIO III. De veritate actuum intellectus.

870 Non loquimur de veritate transcendentali, quæ convenit omni enti, sed de veritate formalī, quæ convenit auctibus intellectus, scilicet iudicarivis, qui dicuntur Propositiones. Actū igitur esse verum, est esse conformem suo obiecto, scilicet, quod obiectum ita se habeat in se, & à parte rei, sicut repräsentatur per actum; v.g. in hoc: *paries est albus*, cuius veritas in eo stat, quod sit albus paries à parte rei, sicut repräsentatur per actū. Duplex ergo datur relatio in auctibus; una transcendentalis ad obiectum, prout proponitur; alia Prædicamentalis, ad obiectum prout in se est. Prima est essentialis omni actui, secunda non est essentialis per se & ex suo genere, sed per accidens, & ratione obiecti, vel principij. Aliquando potest necessario convenire. v. g. in auctibus supernis.

871 Tripliciter dicuntur actus veri: Metaphysicè, Physicè, & contingenter. Ille actus dicitur Metaphysicè verus, cuius obiectum ita indefectibiliter se habet prout repräsentatur per actum, ut nequeat adhuc divinitus aliter se habere; v. g. *Deus est Trinus & unus*; quia cù essentialiter Deus sit Trinus & unus, per quemcumque actum hoc repräsentetur, erit necessario & Metaphysicè verus. Potest etiam actus dici Metaphysicè verus ratione principij; scilicet, cum provenit à principio, cui essentiale sit cognoscere semper obiecta ut sunt in se: huiusmodi sunt

sunt actus provenientes specialiter à Deo, per se, vel per habitū; qui necessario oriuntur veri, quia oriuntur à principio cui essentiale est cognoscere semper per actus veros quocumque cognoscatur.

872 Actus physicè verus dicitur ille, cuius obiecto non est essentiale se habere, sicut representatur per actum; est tamen naturaliter necessarium, taliter, quod absque miraculo non possit obiectum aliter se habere, nisi propter representatur per actum, v.g. hic *qualitas inhæret subiecto*, qui attenta naturali connexione, nequit non esse verus, quia naturaliter necessarium est quod qualitas inhæreat: essentialiter tamen non est verus, quia saltem divinitus potest falsificari; ut patet in Eucharistia. Potest etiam dici actus physicè verus ratione principijs, scilicet cum eius subiecto (attento naturali ordine) deberet principium quo semper tendat in actus veros (ut communiter dicitur de Angelo respectu naturalium) cum tamen divinitus possit negari ei tale principium, seu species, cuius defectu posset prorumpere in actu non verum.

873 Actus contingenter verus ille dicitur, cui omnino contingens est quod conformetur cum obiecto, tam ex parte ipsius obiecti, quam ex parte principijs ad actum, v.g. hic: *Petrus sedet*; nam omnino contingens est quod Petrus sedeat tempore designato per actum: Et licet eo tempore sedeat, est etiam contingens quod sic exprimatur per actum, saltem respectu intellectus nostri naturaliter fallibilis; nam adhuc Petro sedente, poterat aliter se habere actus: vnde ex parte obiecti, & ex parte principijs contingens est, quod conformetur actus cum obiecto, & sic est omnino contingenter verus.

874 Huic accedit actus moraliter verus; & dicitur ille, cuius obiectum Metaphysicè, & physicè potest aliter se habere; prudens tamen ratio suadet quod conformatur cum suo obiecto: v.g. actus quo assero, *Petrum esse Iohannis filium*, quia licet non miratur principijs physicè infallibilibus, tamen attentis pluribus circumstantijs, ratio ipsa, & concors mitorum opinio suadet actu illum esse verum. Huiusmodi actus regulariter sunt solum contingenter veri; per accidentem tamen aliquando reducuntur ad veritatem physicam.

875 Hęc omnia dicta sunt de veritate actuum, sed sub eiusdem terminis possunt etiam intelligi de certitudine: nam certi-

tudo supra veritatem actus, solum addit firmam intellectus adhesionem ad obiectum, ex vi actus. Vnde actus certus debet pra intelligi verus; nam si intellectus per actum non verum adhaerat firmiter obiecto, non ideo habet certitudinem; sed apparentiam, si cum fundamento; & si sine fundamento, tenacitatem.

876 Notandum tandem, quod non est idem, non mentiri, ac proferre actum verum; nam ad non mentieendum sufficit proferre locutionem iuxta conceptum: ut proferatur autem actus verus, requiritur ultra, quod conformetur cum obiecto; vnde potest quis mentiri, & dicere actum verum; & potest non mentiri, & dicere actum falsum.

#### SECTIO IV. An propositio vera possit transire in falsam.

877 Suppono 1. non esse difficultatem de actibus metaphysicè veris, vel ratione obiecti, vel principij; nam hi nunquam possunt falsificari. Suppono 2. non esse idem actu potuisse non ori verum, ac posse amittere veritatem; nam potest esse contingens quod actus oriatur verus, & tamen non esse contingens quod conservet veritatem: siquidem contingens est quod homo producatur, & tamen non est contingens, sed essentiale, quod sit animal rationale.

878 Suppono 3. quod propositio potest significare praedictum convenire subiecto in aliquo tempore determinato, v.g. Petrus nunc currit; & potest praescindere à tempore determinato, & sic comprehendere omne tempus, v.g. hæc Homo est animal, quæ dicitur æternæ veritatis, quia eius prædicatum, praescindendo à tempore determinato, pro omni differentia temporis convenit subiecto. Ut prima propositio sit vera, sufficit quod prædicatum conveniat subiecto pro tempore determinato; ut autem vera sit secunda, debet in omni differentia temporis convenire. Hoc posito.

879 Afferro quod nulla propositio potest transire de vera in falsam, nec è contra. Probatur, nam omnis propositio vel significat tempus aliquod determinatum, vel praescindit à tempore: si significat tempus determinatum, rogo: vel pro illo tempore convenit subiectum prædicato, vel non? Si convenit, semper & pro semper est vera: si non convenit, semper & pro semper est falsa. Explicatur in hoc actu: Petrus currit, scilicet, in instanti, à; nam

ut hic actus sit verus, sufficit quod Petrus currat pro illo instanti, autem in sequenti instanti non currit Petrus, & adhuc durat actus, non ideo actus falsificatur; quia actus non significat cursum Petri pro omni instanti durationis ipsiusmet actus, sed solum pro illo instanti, & sic cum in illo currat Petrus, semper manet verus actus, licet durante actu non semper currat Petrus.

880 Amplius explicatur ex stylo scribendi Epistolas: nam Epistola scripta Romæ die 31. Augusti v.g. & lecta Cæsar-Augusta die 30. Septembris, non ideo dicitur continere falsum quia dies quo legitur, non sit 31. Augusti; nam supponimus, quod significat diem solum suæ scriptoris, non omnem diem quo durat, & potest legi: & sic, si dies quo fuit scripta, erat 31. Augusti, semper est vera; si vero non erat 31. Augusti, semper est falsa; nūquam tamen transit de vera in falsam. Idem etiam patet in Prophetijs, quæ adhuc postquam impletæ sunt, manent veræ, licet loquantur de tempore futuro; quia non loquuntur de futuro, quod sit futurum respectu huius præsentis in quo leguntur, sed respectu illius præsentis in quo prædicebantur, & cum respectu illius sint veræ, semper sunt veræ.

881 Si propositio non loquitur de aliquo determinato instanti, sed de tempore præterito, aut futuro præcissive, v.g. hæc: Petrus cucurrit, tunc videndum est, an de aliquo instanti verificetur; nam si de aliquo verificatur semper est vera; licet enim non cucurrerit Petrus pro omni instanti præteriti temporis, sufficit cucuruisse pro aliquo; siquidem supponitur quod non loquitur de omni, sed de aliquo, scilicet indeterminato; & ut verum, sit quod Petrus cucurrit, sufficit quod aliquando cucurrerit.

882 Si propositio non solum præscindat ab instanti determinato temporis, sed etiam ab omni temporis differentia, v.g. hæc Homo est animal, & aliae quæ dicuntur æternæ veritatis: videndum est, an eius prædicatum conveniat subiecto pro omni differentia temporis (nam huiusmodi propositiones eo ipso quod præscindunt ab omni differentia temporis, debent in omni tempore verificari) vel non; si primum, absolute, & semper est vera; si secundum, absolute & semper est falsa. Nam propositioni, quæ profertur præscindendo à tempore, non sufficit ut sit vera, quod verificetur in aliqua differentia temporis, sed debet in omni verificari. Ideo hæc: homo discurrebit si summatur instar æternæ.

veritatis præcissa à tempore est falsa, quia non semper homo dif-  
currat: si autem significet aliquid determinatum tempus, erit  
vera. Hinc iam facile pater solutio ad argumenta.

883 Obijcies 1. Hæc propositio: *nondum Messias venit* dicta  
in instanti immedietate antecedenti ad Incarnationem est vera,  
& in instanti sequenti est falsa; sed est semper eadem propositio,  
quia non implicat eandem propositionem durare duobus in-  
stantibus: ergo transit de vera in falsam. Resp. nego maiorem: nā  
in ly *nondum venit*, vel intelligitur utrumque instans, nempe  
illud quod antecedit Incarnationem & illud in quo iam est fa-  
cta, vel unum tantum: si utrumque absolute & semper est falsa,  
quia negat Incarnationem de instanti in quo iam est, & propo-  
sitio negativa deberet in omni verificari, ut absolute sit vera.

884 Si ly: *nondum venit* intelligitur solum de instanti, in  
quo nondum est facta Incarnatio, absolute, & semper est vera,  
licet adhuc perseveret postquam est facta; nam licet iterum pro-  
feratur in instanti sequenti, loquitur tamen de obiecto prout in  
instanti antecedenti, & hoc sufficit ut semper sit vera. Si autem  
ly *nondum venit* intelligitur solum de instanti, in quo iam est  
facta Incarnatio, absolute & semper est falsa.

885 Nec dicas, quod eadem propositio potest significare  
nunc unum instans, & postea aliud, & sic poterit in uno esse ve-  
ra, & in alio falsa. Nego enim; nam propositio, quæ semel signi-  
ficat unum instans, semper illud significat, & ab illo ut obiecto  
specificatur; quæ autem aliud instans significat, habet diversum  
specificativum, & sic iam est diversa: sicut visio quæ erat solius  
Petri ut obiecti, non est eadem accedente Paulo, sed tunc uter-  
que videtur per diversam visionem: sicut ergo una visio nequit  
transire in aliam, nec mutare specificativum, sic propositio ne-  
quit mutare specificativum nec transire in aliam. Sic facile res-  
pondetur omnibus argumentis, quæ communiter fiant in hac  
materia.

## SECTIO V.

*An propositiones de futuro habeant determinatam veritatem.*

886 Futurum aliud est necessarium, quod dependet à cau-  
sis necessarijs, v.g. *Sol lucebit*; aliud contingens, quod dependet  
à causis liberis, v.g. *Petrus cras peccabit*; & hoc dicitur futurum

con-

contingens absolutum. Aliud est futurum contingens conditionatum, scilicet illud, cuius positio pendet ab aliqua conditione, v.g. si Petrus vocetur cras, respondebit; quia responsio Petri assertur futura, sub conditione quod vocetur. De futuris ergo contingentibus est difficultas.

887 Affero quod futura contingentia, tam conditionata, quam absoluta, habent determinatam veritatem, aut falsitatem, hoc est, quod quilibet propositio quæ loquitur de futuro, sive absoluto, sive conditionato, est determinatè vera, vel falsa. Probatur 1. de absolutis: nam sèpè Deus revelavit per suos Prophetas peccata futura, & Christus negationem futuram D. Petri, qui actus erant de futuro contingentii, nempè, de operacione libere ponenda; sed hi actus erant determinate veri: ergo.

888 Dices, hæc obiecta habere determinationem à revelatione, non verò alia de quibus non datur revelatio. Contra, nam revelatio non facit determinate verum quod revelat, sed ideo revelat, quia est verum. Contra 2. nam si id ipsum quod dicit Propheta instructus revelatione, dicat aliquis sine illa, dicet eandem veritatem ac Propheta: ergo actus erit determinatae verus, sicut actus Prophetæ: nam à revelatione solum determinatur Propheta ut dicat, nō ut id quod dicit sit verum: ergo cum verum sit id quod Propheta dicit, à quocumque dicatur, semper erit verum.

889 Dices 2. in non habete reuelationem solum esse actum verum materialiter, & per accidens. Distinguendo: materialiter, id est, non habebit motivum per se determinans ad eliciendum actum, sicut habet Propheta, concedo: hoc est, actus eius non conformabitur cum obiecto, sicut conformatur actus Prophetæ, nego. Nec requiritur ut actus sit absolute verus, quod detur motivum per se determinans infallibiliter ad eliciendum actum: quia nostri actus naturales fere nunquam sunt à motivo per se infallibili, & hoc non obstanti, eo ipso quod conformentur cum suo obiecto, dicuntur veri.

890 Probatur 2. nam ex his duabus propositionibus contradictorijs: Petrus cras peccabit: Petrus cras non peccabit, una conformatur cum suo obiecto, & alia non: ergo una est determinata vera, & alia falsa; quia cras existet unum ex his duobus, scilicet, aut peccatum, aut eius carentia. Demus quod existet cras peccatum: ergo propositio, quæ hodie affirmat Petrum cras pec-

caturum, determinatè est vera. Confirmatur: cras erit vera hæc: Petrus hodie peccat: ergo hodie determinate est vera hæc: Petrus cras peccabit: quia hæc hodie affirmat pro die crastina, idem quod alia affirmabit cras.

891 Adaptatur hoc ipsum actibus conditionatis, huic v. g. Si Petrus vocetur cras, respondebit: nam vel respondebit Petrus, vel non: num fore est necessarium, quia sunt cōtradictoria. Demus igitur quod respondebit: ergo ille actus est verus. Paret, nā quando iam respondit propter vocationem, est verum dicere: Petrus, quia vocatus fuit, respondit: ergo antequam responderet, erat verum dicere: si vocetur, respondebit. Nam hic actus de futuro habet eandem veritatem quam ille qui loquitur de prælenti: ergo uterque est verus.

892 Dices, propositionem de futuro contingentí ex se nec esse veram, nec falsam, sed dependenter à decreto Dei. Contrari nani vel decretum debet antecedere propositionem, vel sequi ipsam, vt. Demus vera sit primum. Ergo propositio de futuro nō supponens tale decretum, erit falsa; & supponens, erit vera; sed hoc non est habere veritatem fortius à decreto, sed in ordine ad decretum ut obiectum: paret, nam ideo erit falsus actus asserens contritionem Iudee futuram, quia ad illam requiritur decretum (quod de illa non supponitur) ergo in hoc actu: dabitur contritio Iudee, imbibitur affirmatio suppositionis decreti, & quia hoc non datur, defectu obiecti cui corresponeat, erit falsa.

893 Sed totum hoc non probat dari propositionem de futuro, quæ nec sit vera, nec falsa: probo, nam ad quælibet propositionem vel supponitur decretum vel non: si primum, erit vera; si secundum, falsa: ergo requiratur, vel non requiratur decretum, nulla dabuntur propositio quæ determinate non sit vera vel falsa. Idem dico si decretum concipiatur posterius ipsa propositione; nam illa erit vera, ad quam sequatur decretū de suo obiecto; & illa falsa, ad quam non sequatur: ergo cum necesse sit, quod sequatur vel non sequatur decretum, necesse erit quod sit vera vel falsa.

894 Obijctes: Propositio de futuro contingentí est determinata vera: ergo ab æterno est vera: ergo non libere, sed necessario est vera; quia quæ ab æterno sunt, necessario sunt. Resp. concedo antec. & disting. ultim. conseq. est necessario vera ne-

cessitate absoluta, nego; necessitate ex suppositione, concedo: hoc tamen non officit libertati, quia ex suppositione quod voluntas libere se determinet, asseritur ipsam esse determinandam, & suppositio determinationis non inducit necessitatem determinato.

895 Obijcies 2. vt hæc propositio: *Si Petrus vocetur, responbit* sit vera, debet esse connexio inter vocationem, & responsionem; sed si sit connexio, non erit libera responsio: ergo. Prob. min. nam Thomistis obiicitur, quod operatio à prædeterminatione non oritur libera, quia prædetermination dicit connexio cum operatione: ergo pariter hic. Resp. disting. mai. debet esse conexio per modum actus secundi, concedo: per modum actus primi, nego: nam ut verum sit quod ponetur responsio, posita vocatione, sufficit quod sint conexæ in actu secundo, licet vocatione in actu primo sumpta posset componi cum non responsione. Similiter nego min. quia conexio per modum actus secundi non tollit libertatem: & hæc est disparitas pro physica prædeterminatione, nam hanc dicunt se habere ex parte actus primi. Do tamen aliam, nempe, quod prædetermination, ut pote physica, immunit physicè intrinsece modum operandi; non vero propositio de obiecto futuro, quæ extrinsece se habet respectu illius. Vide alia apud Authores hic: & in tractatu de Scientia Dei.

#### SECTIO VI. Reliqua de attibus intellectus.

896 Quæres 1. an in eodem intellectu possint dari simul fides, & evidentia de eodem obiecto? Resp. Affirmative, & probo: quia si non possent, maximè, vel quia superfluunt, vel quia repugnant; sed neutrum obest: ergo. Non primum; quia per fidem attingitur certius obiectum, & per evidentiam clarius: ergo non superfluunt. Non secundum; quia oppositio quam habent hi accus, non est in ordine ad subiectum, sed in ordine ad se per modum mere negationis, v.g. quæ reperitur inter albedinem, & dulcedinem ( & huius modi alias formas accidentales ) quod una nequit esse alia, hæc est oppositio mere negationis; non tamen negat componi cum alia.

897 Dices, fides est assensus in rem non viissam: ergo pugnat cum evidentiâ. Disting. anteced. in rem non viissam ex viactus qui sit ipsa fides, concedo: ex vi alterius actus, nego; nam etiam apprehensio ex se est mera suspensio, & iudicium est de-

terminatio, & tamen licet repugnet, quod iudicium sic sit apprehensio, non repugnant esse simul in eodem intellectu. Letitia etiam, & tristitia possunt esse de eodem obiecto sub diversa ratione, ut patet in infirmo qui tristatur de potionē, quia amara, & gaudet de ea, quia proficia ad sanitatem.

898 Quæres 2. an Assensus, & dissensus possit reperiri in eodem intellectu circa idem obiectū? Resp. quod assensus, & dissensus speculative sumpti possunt dari; non vero practice. Primā part. explicō, & probō: quia sepx in eodem intellectu dantur diversa rationes, vna quæ suadeat existentiam obiecti, alia non existentiam; vna bonitatem, alia malitiam, quibus solet homo ponī in statu indifferentiæ, seu perplexitatis; sed huiusmodi sunt assensus, & dissensus speculative sumpti, nam quilibet ex his actibus quantum est se alicet intellectum ad suum obiectum: ergo.

899 Secundam part. explicō etiam, & probō: nam licet vtrāque ratio, seu motivum alliciat, quantum ex se est, ad suum obiectum, nequid tamen intellectus simul ferri ad vtrumque, quia ferretur in obiectū, & eius carētiā; fugeret simul, & adhæreret obiecto; quod adhuc per diversa motiva, nequid practice componi: nam oppositio assensus, & dissensus practice sumpti non se habet præcisè in actibus, sed refunditur in ipsam potentiam: & sicut nequid idem homo valere per sanitatem, & simul esse infirmus per ægritudinem, nequibit etiam adhærere obiecto per assensum, & fugere per dissensum.

900 Hinc patet disparitas fidei, & evidentiæ, nam ex his vtraque alicet ad idem obiectum, licet per diversam viam, seu motivum; assensus autem, & dissensus non alliciunt ad idem, sed unus ad rei existentiam, & aliis ad carentiam existentiæ; & sic explicanda sunt verba dum quæritur, an assensus & dissensus possint versari circa idem obiectum.

### DISPUTATIO XXXV. De voluntate.

#### SECTIO I. De eius natura & obiecto.

901 **V**oluntas est: *Potentia appetitiva spiritualis; quia appetitiva, convenit cum appetitu sensitivo; quia spiritualis differt. Differt ab intellectu per modum tendendi in obiectum, quia voluntas quasi per impulsū raptur in ipsum abiectum:*

Etum: intellectus vero ad se trahit obiecta, & secum indentificat in esse intentionaliter. Obiectum materiale voluntatis est omne ens sub ratione boni; obiectum vero formale ipsa bonitas, ratione cuius attingit omne ens; diciturque haec bonitas ratio formalis sub qua non expressata, modo dicto supra num. 867. Bonum ergo est specificativum voluntatis prout comprehendit honestum, utile, & delectabile.

902 Quæri tamen potest an possit voluntas ferri in bonum ut bonum, actu fugæ, & in malum, ut malum, actu prosecutio-  
nis? Resp. negativè; quia potentia est ordinata ad actus, tanquam suas perfectiones, actus vero non perficit potentiam nisi sub ra-  
tione boni: ergo sub hac tantum ratione potest tendere volun-  
tas prosecutiva: patet experientia, nam ex qua volumus, semper  
volumus quia bona nobis.

903 Dices, etiam volumus mortem inimico, quia apprehe-  
dimus malam ipsi. Distinguoi: quia malam ipsi, sifendo in sola  
malitia, nego: quia ex morte male inimico resultat nobis ali-  
quod bonum, concedo. Vnde volentes mortem inimico, volu-  
mus virtualiter bonum nostrum, estque ipsum odium inimici  
virtualis amor nostri: Quod autem non possit fugere bonum,  
ut bonum, patet, nam necessitatur, saltem quoad speciem, ut se-  
quatur bonum si proponitur ut tale, ut videbimus infra agen-  
tes de eius libertate.

904 Obijcies: Peccator odio habet Deum; & tamen Deus  
est summe bonus ergo. Resp. disting. Deus est bonus in se, con-  
cedo prout representatur peccatori, nego. Nam peccatori Deus  
ut Index vel ut præcipiens, apparet ut inconveniens, quod suf-  
ficit ut eliciat actum odij: nam voluntas non sequitur bonitaté  
rei prout in se est, sed prout proponitur. Et hinc patet solutio  
ad similia argumenta.

## SECTIO II. Quomodo voluntas pendeat ab intellectu.

905 Voluntas communiter dicitur potentia cœca, quia indi-  
get illuminatione intellectus, ut sequatur suum obiectum: vnde  
ortum est proloquium illud: nihil volitum, quin præcognitum: sed  
difficultas est, an ipsa cognitio inserviat cum voluntate in eius  
actum, vel solum sit conditio ad illum; & an solum naturaliter  
requiratur cognitio, an etiam essentialiter.

900 Affero quod cognitio non influit cum voluntate physice in eius actum. 1. quia sufficit voluntas sola, possita illuminatione, ut conditione. 2. quia unus actus voluntatis non influit in alium eiusdem: ergo minus poterit actus alterius potentiae. 3. nam actus secundus essentialiter differt ab actu primo, sed influere solum pertinet ad actum primum: ergo non ad cognitionem, quae est actus secundus. 4. quia cognitio habet modum operandi necessarium: ergo necessitat et voluntatem, si physicè cum ea influeret.

907 Obiecties: species impressa physicè influit cum intellectu: ergo & cognitio cum voluntate. Nego consequentiam. 1. nam species ex se est actus primus, & poterit influere. 2. nam intellectus est potentia necessaria, cui non repugnat physicè determinari ab aliquo quod non sit ipsius potentie; voluntas vero ratione libera, debet per se solam ponere physicè determinationem. Instabis: habitus superni influunt cum voluntate. Fateor, sed subduntur ipsi voluntati: cognitio vero, iam vitaliter in actu secundo prævia, non subderetur voluntati.

908 Affero 2. quod voluntas naturaliter non potest tendere in suum obiectum, nisi præcedat cognitio. 1. ex communi proloquio: nihil volitum quin præcognitum. 2. quia voluntas ex se est potentia indifferens ad hanc vel illam bonitatem; immo, & ad amandum, & odio habendum: ergo aliquid requirit, quo posito ipsa se determinet, sed non potest determinari à bonitate prout in se (quia sèpè amat obiectum, quod in se non habet bonitatem) ergo à bonitate prout cognita: ergo requirit cognitionem.

909 Dices, etiam posita cognitione, manet voluntas indifferens: ergo non peccat cum ut se determinet. Distinguo anteced. posita cognitione proponente obiectum ut summe bonum, cōcedo anted. & nego conseq. nam ideo manet indifferens, quia non proponitur ipsi excessus bonitatis in una parte præ alia; nam cum ex aliqua parte proponitur excessus bonitatis non manet indifferens, saltem quoad speciem. Vel resp. 2. quod possita cognitione si voluntas manet indifferens, exercebit actum secundum suæ libertatis, nempè velle manere indifferens; deficiente autem cognitione esset indifferens in actu primo, defectu conditionis.

910 Divinitus tamē fortè nō repugnat dari actus voluntatis sine cognitione. 1. quia id quod solum est conditio, potest divi-

nitus suppleri. 2. quia lapis elevatus potest producere gratiā: ergo melius voluntas amorē. Dices, voluntatem tūc non denominari amantem. Nego, nam tunc tenderet affective in obiectum, licet non per determinationem sibi propriam; vnde determinatio ad amandum esset à Deo, amor tamen à voluntate. Et ratio est quia cum voluntas sit subiectum capax denominatio-nis amantis, posito amore licet non à sua determinatione, deno-minaretur amans.

911 Hinc inferes quomodo possit dari volitivum sine cognoscitivo; nam si volitio non potest naturaliter dari sine cognitione: ergo nec volitivum sine cognoscitivo, & si divinitus potest volitio sine cognitione dari, etiam poterit volitivum sine cognoscitivo.

### SECTIO III. *De Libertate Voluntatis.*

912 Potentia libera definitur: quæ possitis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari. Requisita dicuntur ea omnia quæ complent actum primum proximum scilicet potentia expedita, bonitas obiecti, & cognitio bonitatis: debet ergo potentia libera posse ponere operationem, & non operationem, non quidem utramque simul, sed quamlibet pro su libito; vnde habebit simultatem potentiarum, licet non potentiam simulatis.

913 Hominem esse prædictum libertate constat Fide, est quæ definitum in Tridentino contra Manicheos, & Priscilianistas: paterque ex Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et 15. Ecclesiastici: *Deus constituit hominem in manus consilij sui.* Ratione etiam pater: nam Deus præmiat bona quæ facimus, & punit mala: ergo quia ea possumus facere, & omittere; nam opera necessario facta non sunt digna præmio vel poena. Quæri tamen potest in qua hominis potentia constat formaliter libertas.

914 Affer 1. quod libertas non stat formaliter in intellectu independenter à voluntate. Prob. quia in apprehensione non est liber, cum illam producat media specie necessitate. Nec in iudicio, quia si obiectum apprehenditur ut evidens, iudicatur ut evidens; & si apprehenditur ut probabile, iudicatur ut probabile. Deinde nec in discurso est liber, quia positis præmissis

evidentibus, vel probabilibus, necessario sibi relictus deducet conclusionem evidentem aut probabilem.

915. Obijcies. Libertas probatur ex illo Ecclesiastici: *Deus constituit hominem in manu consilij sui; sed consilium est actus, intellectus: ergo & libertas.* Resp. Scripturam intelligendam, esse de libertate radicaliter, non formaliter: ut si quis interrogatus à quo sit ductus Romam, respondet à lingua non quidem ab ea formaliter, sed ab ea præsuppositivè, interrogando viam. Obij. 2. Libertas dicitur Arbitrium; arbitrium est intellectus, siquidem idem est arbitrari, ac iudicium facere: ergo & libertas. Respondeo similiter, solum esse intelligendum de libertate radicali. Nec nimis attendendū est ad nominis ethimo logiam; nam etiam cognitio Beatifica de Deo dicitur *Visio*, cum tamen potentia visiva solum sit oculus corporeus.

916. Afferro 2: Quod libertas formaliter solum stat in voluntate, licet etiam stet radicaliter in intellectu. Est communis, & prob. quia libertas est potentia duplex ad operandum, & non operandum, hæc autem solum stat in voluntate; Patet nam ibi est libertas, vbi est meritum; sed meritum non est formaliter in intellectu (nam licet actibus intellectus fidei corresponeat meritum: non tamen prout formaliter ab intellectu, sed prout diriguntur à pia affectione voluntatis:) ergo in intellectu non est formaliter libertas, sed in sola voluntate. Insuper, quia voluntas tanquam domina, movet alias potentias ad operandum & omittendum; immo, & ipsum intellectum, ut inquirat media ad consecutionem sui finis: ergo. Quod autem etiam stet radicaliter in intellectu, patet; nam duplex potentia in voluntate ad actus oppositos oritur a iudicio indifferenti intellectus proponente convenientiam & inconvenientiam obiecti. Patet etiā ex supradictis.

917. Libertas est duplex: alia quoad exercitiū, & alia quoad speciem. 1. est potentia ad exercendum actum, & non exercendum, v.g. ad amandum, & non amandum, & dicitur libertas contradictionis, quia est ad terminos contradictorios, scilicet, ad amorem, & eius carentiam. 2. est potentia ad exercendum actus diversæ speciei, v.g. potentia ad scribendum, & legendum, quæ sunt operationes diversæ speciei. Quælibet ex his sufficit, ut voluntas operetur liberè; non tamen semper habet utramque libertatem: nam quando bonum proponitur absque aliqua discō-

venientia, et si possit voluntas non ponere exercitium amoris; non tamen potest ponere actum contrarium.

SECTIO IV. *De Multiplici actu voluntatis.*

918 Actus voluntatis alius est positivus, alius negativus. Negativus est omissio, seu carentia actus. Possitivus est, affectio possitiva voluntatis in obiectum: & haec potest fieri per modum prosecutionis, & dicitur amor, vel per modum fugæ, & dicitur odium. Actus prosecutionis alius tendit circa finem, & est intentionis, & alius circa media, v. g. elictio: qui tendunt circa finem sunt: *simplex amor* de bono secundum se praeciso ab existenti, & possibili: *gaudium*, de bono possesso: *desiderium* de bono futuro: & *spes* de arduè consequibili. Quibus correspondent totidem actus fugæ: *simplex odium* de malo secundum se: *tristitia* de malo praesenti: *timor* de malo futuro, & *desperatio* de malo difficulter vitabili.

919 Actus prosecutionis circa media sunt. *Complacentia* de medijs praecisse ut conducentibus ad finem: *electio*, quæ est voluntio efficax vnius præ alijs: & *vssus* qui est applicatio, seu executio medijs præelecti. Quibus etiam correspondent totidem actus fugæ. *Displacentia* de medijs secundum se: *Reprobatio*, quæ est detestatio vnius medijs præ alijs: & *frustratio*, seu *impeditio* medijs, ne exerceatur ad talem finem.

920 Potest ergo voluntas circa quodlibet obiectum, seu finem exercere 14. actus: 8. circa finem, ex quibus 4. sunt prosecutionis, & 4. fugæ; & 6. circa media, ex quibus 3. sunt prosecutionis, & 3. fugæ. V. g. In tendit voluntas sanitatem, potest de illa habere. 1. amorem secundum se. 2. odium secundum se de morbo illi opposito. 3. illam absentem desiderare. 4. morbum imminentem timere. 5. salutem difficultem consequi sperare. 6. ob morbum difficultem vitari, desperare. 7. de salute praesente gaudere. 8. de morbo praesente tristari.

921 Circa media 9. de scissione venæ, potionē amara, & alijs conducentibus ad sanitatem complacere 10. de lassitudine, vi- rium defectu, &c. impeditibus displicere. 11. scissionem venæ inter alia media præelligere. 12. venarum occultationem, ut scissionem impudentem reprobare. 13. brachium applicare ad scissionem venæ. 14. impedimenta scissionem frustrantia de facto removere.

Præ-

922 Præter hos actus assignat etiam Divus Thomas Consilium, & Imperium: Consilium, quo suader intellectus voluntati bonitatem medij ad finem, præcedente inquisitione mediorum, & consultatione, collatis ipsis inter se, de præelectione melioris; qua facta sequitur Imperium, scilicet, cum voluntati inclinanti ad finem, & expectanti melius medium, suader intellectus executionem, per fac hoc, scilicet: si quidem finem intendis, & medium utilius expectas, en habes, eia exequere: vnde huiusmodi imperium, cum supponat intentionem, & complacentiam voluntatis, non videtur tollere libertatem. Hæc est Microcosmi Monarchia, seu rationalis gubernatio hominis secundum actus intellectus, & voluntatis.

### SECTIO VLTIMA. De Anima separata.

923 De sola anima rationali est sermo, nam animæ materiales separatae pereunt; rationalis vero, ut pote immortalis, adhuc à corpore separata permanet, immo & nobiliores operationes exercet. Quæritur ergo an uterque status, coniunctionis, scilicet, & separationis sit animæ naturalis.

924 Affero quod status coniunctionis est maximè naturalis animæ. Patet, nam anima est actus incompletus ex se ordinatus ad compositionem: est, non actus assistens sed informans, ut constat fide: ergo ipsi est naturalis compositio. Dices: ergo si ex se ordinatur ad componendum cum materia, sapient materialitatem. Nego conseq. nam non ordinatur ad materiam, tanquam ab ea dependens in fieri, aut conservari, sed tanquam cum ea componens: ordinario vero ad aliam partem per modum compositionis non ex eo sapit materialitatem; nam subsistentia Angelii, si ab eius natura distinguitur, ordinatur ad componendum cum illa, aut saltem cognitio Angelica, lumen, seu habitus ordinantur ad intellectum, & neutrum ex his sapit materialitatem.

925 Affero 2. quod status separationis, et si aliqualiter possit dici violentus, non tamen omnino, nec est supernaturalis. Quod possit dici aliqualiter violentus, patet: nam anima non exigit separari à corpore, immo, quantum est ex se, intendit conservare dispositiones, quibus subsistat unio. 2. pars patet: nam separata elicet nobilissimas operationes intellectus, & volunta-

tis: ergo non est omnino violēta. Quod separata non sit in statu supernaturali, patet: nam conservatur ex vi prima actionis naturalis creativæ, quæ cum non dependeat à materia, semper habet suum naturalem terminū. Quod aliquo modo patet in corpore, quod licet affigatur loco per modum præsentia natura-liter illud affigentem loco, non tamen ex eo quod amittat huc modum præsentia, amittit actionem sui productivam, quia hæc non pendebat à loco. Dixi *aliquo modo*, quia paritas non tener in omni.

926 Anima separata fert secum suas potentias tam materialis, quam spirituales, quia omnes supponimus cum ipsa idem-tificatas: non tamen poterit producere operationes materiales, quia hæc pendent à materia. Fert etiam secum species impressas adquisitas, quia recordatur eorum quæ gessit in vita; non tamen intelligit per se ipsam sine speciebus, cum nec hoc natura Angelicæ concedatur. O utinam de hoc statu, fœlici experientia philosophemur!

**FINIS TRACTATVS DE  
ANIMA.**

TRACTATVS  
DE COELO , ET ME-  
THEORIS.

927 **C**OELORVM speculationem aggredimur , postquam de sublunaribus philosophati summus; ut per speculationem inferiorum, pateat ad superiora consensus. Breviter aliqua tractabimus, ne aliqua quæ philosophica sunt, penitus ignorare videamur. Plura tamen Mathematicis relinquemus, quia Cœlorum speculatio plus pendet à Mathematica observatione, quam à philosophica consideratione.

DISPUTATIO XXXVI. *De Cœlorum natura.*

SECTIO I. *An Cœlum constet materia & forma.*

928 Affero quod Cœlum Empyreum non constat materia & forma, licet constent reliqui Cœli. Prima pars prob. quia non repugnat dari huiusmodi corpus: Deinde in ipso non sunt mutationes aliquæ, quæ indicent dari tales compositionem: ergo non datur. 2. pars constat; quia materia eorū est eiusdem speciei ac sublunarium: nam constat ex Scriptura, præter Empyreum, reliquos Cœlos, & Stellas, factos fuisse ex aqua: ergo constant materia & forma. Insuper quia in reliquis Cœlis præter Empyreum dantur mutationes, quas observant Mathematici: ergo.

929 Inferes: ergo erint corruptibiles. Distingo, idest, exigē corruptionem, nego; quia semper petunt conservare suam formam. Id est, ex se non repugnabunt corruptioni, si adesset agens quod posset illam causare, transeat. Sed nullum est gens naturale quod possit eorum mutare formam, & hoc sufficit ut dicātur naturaliter incorruptibiles.

930 Quæres, an Cœli sint solidi, vel fluidi? Soliditas est durities rei difficile settis. Fluiditas verò: mollietas rei facile settis. Resp. quod Cœlum Empyreum, Stellæ, & Planetæ sunt solidæ. Empyreum, quia est præstantius, & immobile; præter concavum

vum civitatis, quod repletur corpore fluido ut possint Beati discurrere. De Stellis, & Planetis, pater: nam videntur ; corpora autem pure fluida, non mixta, v.g. aëris, & aqua pure elementalis, non habent colorem ; tum etiam quia tam rapido motu dissolventur, sicut dissolvitur gutta aquæ fluida, nec semper conservarent perfectam figuram orbicularem.

931 Cœlum Stellarum ex proprio nomine videtur solidum, nam dicitur Firmamentum, quod soliditatem indicat. Hunc etiā & reliquos dicitur Christus penetrasse. Ad Hebræ. 4. *Habemus Pontificem qui penetravit Cœlos*, penetratio autem non est nisi in corpora solida, nam fluida facile cedunt. Faver etiam illud, Job 37. *Cœli solidissimi mihi sunt, quasi ære fusi*: quod videtur de omnibus intelligendum.

932 Sed contrarium suadent Recentiores ; asserentes Cœlos non moveri, sed Planetas, & Stellas per ipsos, sicut aves per aërem; & ad hunc motum necesse est Cœlos esse fluidos, ne Stellaræ, & Planetæ in suo motu penetrerentur. Nec admittunt canales, quas adstruit Hurtadus ; quia non semper astra eadem via moventur, cum modo supra, modo infra Solem appareant. Sed haec etiam componunt oppositæ sententiæ Authores, dicentes astra moveri, veluti nodi in tabula ; & non omnibus esse idem centrum sui motus, ideo modo supra Solem, modo infra apparent. Hæc probabilia sunt, elige quod volueris.

### SECTIO II. *De Cœlorum numero, & motu.*

933 Commune fuit Antiquorum dogma, Cœlos esse plures quam septem, licet non omnes conuenerint in determinato numero. Statuebant enim terram, & aquam efficere unum globum, supra quem circulariter diffunditur Aëris, supra hunc Ignis elementalis ; & ab hoc sursum incipiunt Cœlestes Orbæ, contento quolibet circulariter intra alium. 1. Luna. 2. Mercurius. 3. Venus. 4. Sol. 5. Mars. 6. Iupiter. 7. Saturnus. 8. supra hos omnes Cœlum Stellarum, quod dicitur Firmamentum. 9. supra hoc Cœlum cristatum. 10. Primum mobile, & 11. supra omnes Cœlum Empyreum, quod est Beatorum sedes: secundum quem ordinem undecim Cœli numerantur.

934 Alij præter septem Planetarum Orbæ, solum admittent Cœlum Stellarum, quod etiam vocabant Empyreum, &

sic numerabant 8. Alij supra Stellatum Cœlum constituebant Empyreum, & numerabant 9. Omnes tamen conveniebant in assignando 7. pro 7. Planetis. Vnde sèpissimè celebratur Sol ut Planeta 4. medius inter omnes, & veluti regia sede inter omnes gaudens, vt omnibus lucem distribuat.

935 Communis tamen Recentiorum opinio solum tres Cœlos admittit. Primum Aëreum supra mundum. Secundum Etherium per quod moventur Astra; quod etiam vocant Cœlum Stellarum. Tertium Empyreum, quod est Beatorum Sedes. Quod probant 1. ex illo Pauli ad Corinth. 12. *Raptus sui usque ad tertium Cœlum, & ibi vidi arcana Dei*: quæ autem arcana videret Apostolus in Cœlo Veneris, si hoc esset tertium? 2. Quia diversi Planetarum motus salvantur, ex eo quod Cœlum Stellatum sit fluidum, & per illud Planetæ, huc, atque illuc discurrant. Alia hi; Alia illi; Nobis hæc tantum insinuasse sufficiat.

936 Circa motum Cœlorum: senserunt aliqui à se ipsis moveri, quia censemabant Cœlos animari. Sed si de anima rationali loquatur, damnata est hæc sententia. Alij dixerunt non moveri à se, sed ab Angelis, quos vocant Intelligentias motrices. Sed Recentiorum opinio, quam curiosè explicat Eusebius Nieremberg, tenet Cœlos non moveri, sed Astra per ipsis: itaque non moveri ab intelligentijs, sed à se ipsis, veluti aqua, ignis, lapis, & alia inanima in suum cœtrum. Si enim aqua per naturalem motum, tendit innate in suum centrum, cur huiusmodi motus circularis repugnabit Astris? Addit insuper, quod Astris potest designari quarta species animæ, scilicet anima purè locomotiva: de hoc latè apud ipsum. Nobis quidem hæc omnia satis apparent probabilia.

937 Sol, & Luna moventur circulariter supra terram; vnde cum terra media est inter Solem, & Lunam, sequitur Ecclipsis Lunæ; quia terræ interpositione impeditur Luna accipere luce à Sole: cum verò Luna media est inter Solē, & terram, sequitur Ecclipsis Solis; quia Luna ex se est corpus opaccum, & posita inter Solem & terram, obstat ne totus Sol lucidus appareat.

### SECTIO III. De influxu Cœlorum, & Astrorum.

931 Cœlos sive Astra in hæc inferiora influere, constat experientia, nam Sol omnia sovet suo calore & luce: producit cū

terra metallum, cum arbore fructum, cum homine hominem, iuxta illud: *Sol & homo generant hominem*. Non autem hæc omnia operatur Sol, seu quodcumque aliud Planeta influens, velut principalis aut specialis causa: solum enim influit medijs qualitatibus communibus, quæ iuxta recipientis diversitatè, ad diversos effectus conducunt. Vnde idem Solis calor de albat ceras, & denigrat faciem; nivem liquefacit, & lutum comprimit; ob diversitatem temperamenti materiae cui adiungitur.

939 Effectus naturales non omnes, nec simpliciter pendent à Cælorum seu Astrorum motu, adhuc secundum quod ab eorum influxu participant; quia etiam immota poterat in hæc inferiora influere. Pendet tamen aliqui effectus per se, & simpliciter à motu Planetarū: nā discretio diei, & noctis, temporū diversitas scilicet, hyemis, veris, &c. per se pendent à Planetarum motu; nā dū videtur Sol, est dies; & dū non videtur nox: vbi proximior calefacit, est ver; & vbi remotior, hyems. Ecclipsis Solis & Lunæ potest prævideri antequam fiat, observato motu Lunæ, & occurrentia utriusque, quia ad hoc sufficit scire viam eorum motus, & tempus, quo regulatiter movetur, & ex eo inferitur occursus.

940 Influxus Cælorum solum per se tendunt ad entia corporea ad quorum temperamentum iuvant; non tamen in anima hominis spiritualem: ideoque licet aliquid de corporum temperamento per influxum Astrorum præsciri possit; non tamen aliquid de spiritualibus hominis operationibus; quia haec per se, & immediatè non subdantur Astrorum influxui. Ad summum aliquid suspicari poterit de naturalibus inclinationibus, ob dependentiam animæ à corpore, sed de his adhuc nihil certè potest affirmari. Eos autem qui de futuris contingentibus à libera voluntate pendentibus, aliquid, ut certum affirment, ut superstitiones damnat Ecclesia.

### DISPUTATIO XXXVII. De Metheoris.

941 Metheora dicuntur quædam mixta inanimata frequenter visa, licet non satis cognita, quæ suspendunt intellectum, & rapiunt in admirationem; & inde dicuntur Metheora à Methos quod Græcè est idem ac sublimè, & elevatum, & à logos quod est ratio. Vnde Metheorologica est scientia de rebus sublimibus.

## SECTIO I. De causis Metheororum.

942 Causa efficiens Metheororum sunt influxus Astrorum, & Constellationum, & inter Astra præcipue septem Planetæ. Primus Planeta supra Mundum est Luna, quæ in circuitu habet leucas 186. Minor terra 36. vicibus. Quando eius cornua respi- ciunt ad Orientem, est crescens: quando ad Occidentem, est de- crescens; à qua varij procedunt effectus. A Luna causantur dies critici, sic dicti à verbo *cerno*; eo quod in eis bonitas vel malitia morbi discernatur. Suum cursum conficit in 28. diebus. Distat à terra 39117. leucis. Eius dies Feria secunda.

943 Planeta secundus est Mercurius; cuius circuitus est 50. leucarum. Eius dies Feria 4. distat à terra 75360. Est omniaum Planetarum minimus. Ex se nec bonus, nec malus, sed à vicini- tate. Influit in ingenia hominum, hoc est, in tempéramentum ad illa. Tertius est Venus; cuius circuitus est 198. leuc. Distat à ter- ra 19872. Est Stella Matutina, post Lunam iucidior. Eius dies est Feria 6. Influit in luxuriam.

944 Quartus est Sol, cuius circuitus est 1295000. leuc. Ma- ior terra 1606. vicibus, à qua distat 1336690. leuc. Eius dies est Dominica. Ab eo fiunt temporum viciſtudines, & equinoctia, Solsticia, Dies, & Annus, & ab eo Mundus gubernatur, tanquam à Patre viventium. Influit in honores & dignitates. Quintus est Mars, cuius circuitus est 15000. Bis maior terra; à qua distat 1449724. Eius dies Feria 3. Influit vigorem ad arma. Sextus est Iupiter, cuius circuitus est 662500. leuc. Maior terra 96. vicibus. Eius dies Feria 5. Influit in pacem & devotionem. Septimus est Saturnus; cuius circuitus 642500. leuc. Maior terra 91. à qua distat 17154631. leuc. Eius dies Sabbatum. Influit in perseu- tiones.

945 Cœlum stellatum continet 26979539. leucas. Cœlum Empyreum per 53960364. A terra usque ad centrum, seu in- ferrum sunt mille leucæ; à nobis usque ad Antipodas 2000, præ ter hos Planetas, nesciuntur in Cœlo 1120.

946 Causam materiale Merheororum, ait Arist. esse mate- riālē remotam, aquam, scilicet, & terram: ex quibus procedit materia proxima, quæ est calor & exhalatio: ex quibus omnia Metheora gignuntur. Vapor est: fumus, seu halitus calidus, & hu- midus ex aqua procedens ad modum fumi evaporati ex olla.

Vapor natura sua frigidus est ( licet per accidens calefaciat , vt aqua) ex quo sunt nebulae, pluviae, &c. Conveniunt vapor, & exhalatio, quia uterque est fumus, & calidus. Differunt tamen, quia exhalatio est calidior, & rarisima; vapor vero densior, & frigidior: Hinc procedit a secca terra; hic vero ab aqua, vel terra mafacta.

947 Causa formalis Metheorum est forma, quam impunit influxus Astrotum in vaporem, & exhalationem. Causa vero finalis est consumptio vaporis, & exhalationis propter salutem viventium. Metheora gignuntur in terra, aqua, & precipue in aere. Aëris tres sunt Regiones: Infima in qua radiorum Solis reflexio terminatur: Supremæ, quæ est illa pars aëris contigua igni, vel concavo Lunæ; nam ut dixit D. August. in cacumine montis Olimpi aer est calidissimus, & seccus, ita ut ascendentis portent secum spongias mafactas. Media Regio datur inter infimam, & supremam.

948 Ex his tribus Regionibus suprema est valde calida ob vicinitatem cum Sole, vel igne: Infima est etiam calida ob reflexionem radiorum Solis: Media autem est frigidissima, tum quia ad illam non pervenient reflexiones radiorum Solis, tum etiam, quia cum circumobsessa sit a calore supremæ, & infimæ, frigus illius per Antiperistastim augetur. Ideo in vere est intensius frigus, ita ut aqua in grandinem congeletur; non tamen in hyeme; quia tunc, cum infima Regio sit frigida, frigus mediae Regionis non obsidetur, nec per anteperistastim invalescit, sed est minus.

## SECTIO II.

### *De Cometis, Metheoris ignitis, & Ventis.*

949 Cometa, inter omnia Metheora mirabilior est: tu quia raro apparet; tum quia est nobis præsiguum lucisuum. Est ergo Cometa: copiosa exhalatio calida, & secca, crassa, pinguis, & viscosa; cuius partes conglutinantur, transeuntes per Regionem frigidam aëris. Figura Cometæ est triplex, ob triplicem modum quo spargantur eius radii per modum crinum: aliquando per modum comæ, & dicitur Comatus; aliquando per modum barbae, & dicitur Barbatus; & aliquando per modum caudæ, & potest etiam dici Caudatus. Stella quæ duxit Magos, non fuit Metheorologicus Cometa, sed nova quædā Metheori species mag-

ni splendoris, virtute Dei, & ministerio Angeli formata, & ab eo mota.

950. Alia sunt Metheora ignita in hac tertia Regione aëris, quæ appellantur varijs nominibus, iuxta varietatem raritatis figuræ. Alia dicuntur Sydera errantia quæ sunt: exhalatio parva, & rara, qua accensa per unam partem, extenditur flamma per totam exhalationem successive, sicut lucerna. Aliæ sunt exhalationes, quæ manentes in hac vltima Regione aëris, ab eius frigore nocturno obsessæ, per antiperistastim accenduntur, quia intendit earum calor. Quæ exhalationes, cum referunt figuram piramidalem, & immobiles manent, dicuntur ignis perpendicularis: si referant figuram lanceæ, dicuntur lanceæ.

951. Nautæ etiam sèpè vident duos tales ignes, & sèpè unum ambulare, aut sedere super carchesium navis. Quando Antiqui videbant duos, fœlix tempus augurabantur: ideo duos Deos appellabant, dictos Castor, & Pollux. Quando verò unus, solus ignis apparebat, infelix tempus prænunciabant: ideo appellabant illum Helena.

952. Fulgor est ipsa exhalatio, quæ accensa in collisione nubis, cito transit. Fulmen est, exhalatio calida & magna, fortius impulsu à nube repulsa. Si inquiras, cur fulmina non cadant motu recto, sed circulari? Resp. ideo esse, quia fulmen est ignis, & petit sursum levari, estque ei violentum cadere.

953. Ventorum notitia inter omnes rationes Physicas est difficilima. Arist. docet, ventum esse exhalationes siccas, & calidas, quæ elevantur à calore syderum. De numero, & varietate ventorum disputant Astrologi, & Mathematici. Astero tamen, præcipuos esse quatuor à 4. partibus Mundi. Ab Oriente, qui dicitur levans, vel Leste, ab Occidente, qui dicitur Oeste; à Septentrione, qui dicitur Transmota; à Meridie, qui dicitur Aberg. Præter hos dantur alij interpositi diversis nominibus vocati.

### SECTIO III.

*De Nube, Pluvia, Nixe, Nebula, & Grandine, Iride, Rore, Pruina, Glatie, Melle, & alijs.*

954. Nubes est: Vapor condensatus in media Regione aeris. Vapor namque à calore Astrorum à corporibus aqueis, & hu-

*mir*

midis elevatus, à frigore mediæ Regionis condensatur, & concrescit. Pluvia est; Nubes resoluta in aquam. Nam nubes à calore Astrorum facile liquefit, & disolvitur. Nix est: Nubes à nimio frigore congelata, & in fragmента divisa, antequam in aquam convertatur: vnde fragmenta nubis gelata, iam dispositæ ad pluviam, est nix.

955 Grando est: Pluvia in aere, per quem descendit, gelata. Nam contingit aërem medium esse frigidissimum, & condensat guttas aquæ descendentes. Nebula, seu caligo est: Vapor crassus ex locis humidis spiratus, qui propter suā crastinem non potest sursum elevari, & propter defectum intensioris caloris; sed manet in aëre terræ vicino; postea verò, adveniente calore diei, resolvitur, & elevatur.

956 Iris, vocatus S. Ioannis arcus, & Metheororum fulgentius; signum foederis inter Deum, & Mundum, ne iterum destruantur ut per Diluvium. Signū etiam naturale sérénitatis, hoc modo fit: Nubes disposita, ut dissolvatur in imbre partim lucida, & partim opaca, figuræ concavæ: si opponitur radijs Solis à parte opaca, reflectuntur radij Solis in partem lucidam, ad modum quo æ speculi reflectit in speculum. Vnde Iris sic definitur; est multitudo colorum ex reflexione radiorum Solis in nube imbrifera, oppaca, concava, & Soli opposita, itaque non est versus color, sed apparet.

957 Ros est: Vapor parvus & subtilis, virtute Astrorum, aliquantulum elevatus, sed quia calor elevans est debilis, manet vicinus terræ, & condensatur à frigore noctis serenæ; convertitur que in guttulas aquæ, quæ dicitur ros. Pruina est: Vapor parvus & subtilis, calor elevatus, sed à nimio frigore noctis gelatus. Solumque differt Rore, quia hic convertitur in aquam; pruina verò gelatur quasi in nivem. Ros contingit tempore veris; pruina verò in Hyeme; quia tunc frigus est intensius, potens gelare vaporem. Glaties est: Aqua congelata, & dura. Vnde licet in statu naturali sit summe frigida, & ideo densissima, poris carent; non tam est gelata nec dura.

958 Mel sit ex eodem vapore, quo sit Ros, & definitur: vapor subtilis aliquantulum pinguis, & viscossus, permixtus cum subtilibus exhalationibus terrei, qui elevatus virtute Astrorum, à modico calore liquefit, & sit quasi dulcis, & suavis, & diffundit super herbas, flores, folia, vestes immo, & capillos dor-

mientium in agro. Sepè est noxius, & sapè est optimus. Saccatum artificiosum sit ex medullis arundinum eductis, & igne ex coquente fuit spissæ & albæ. Circa saccatum naturale ait Arist. fieri in ipsis arundinibus. Est lacryma quædam, seu sudor ex arūdine quasi sudante exiens, qui crescit usque ad magnitudinem avellanæ. Manna sit ex eodem vapore ac ros; est enim vapor elevatus, & permixtus cum exhalationibus subtilibus terreis; & effunditur super ramos, herbas, lapidem, terram, &c.

#### SECTIO IV. De Maris fluxu, & refluxu, & de fluminibus.

959. Quinque sunt præcipua Maria: Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Perficum, & Baspium. Rubrum sic dicitur, quia eius aqua apparet rubra et copiam arenæ rubræ. Relatis alijs modis dicendi, Affero, causam fluxus, & refluxus maris esse occultam Lunæ influentiam; quæ rebus humidis dominatur. Dices, plura maria, & flumina non fluunt, nec refluent, quibus etiæ dominatur Luna. Fateor, sed est quia non sunt subiecta disposita: nam una ex dispositionibus ad fluxum, est crasities, & densitas aquæ; & inter omnia maria, sola aqua Oceanæ est crasior, ideo hæc præcipue fluit, & refluit.

960. Circa originem flumen, & fontium: Censet Arist. ori- ri ex aqua pluviali, in cavitatibus terræ recepta. Alij tradunt generari ex vaporibus terræ in eius cavitatibus inclusis. Com- munis tamen, & vera sententia est, aquam flumen, & fontium oriri à mari per venas, & meatus terræ. Cui favet illud Scriptu- rx: Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. Ideoque mare non redundat, licet magna excipiatur flumina.

#### SECTIO VLTIMA.

#### De Terremotu, & generatione methallorum.

961. Suppono terram esse globum in circuitu habentem leucas 7500. Ex diametro vero à nobis, usque ad Antipodas, linea recta, sunt 2385. In cuius medio, & centro est infernus. Quatuor sunt Partes Mundi. Prima Pars est Asia, quæ continet Bithiniā, Frigiam, Galatiā, Cappadociā, duplēcē Armeniam, & Ara- biā, Mesopotamiam, Albaniā, Ciprum, Persiam, Scithiam,

Chi-

Chinam, Iaponem, Phæniciam, Palestinam, Iudæam, & alias Provincias. Pars 2. est Africa, quæ continet totam Mauritaniam, Ægyptum, Thebaidem, Æthiopiam, Meridionalem, Regnum Amazonarum, & alias Provincias.

962. Pars 3. est Europa, quæ continet Hispaniam Italianam, Galliam, Flandriam, Angliam, duplicem Alemaniæ, Pannoniā, Norvegam, Macedoniam, Epitum, Daciam, Cretam, & alias Provincias. Pars 4. est America, cui tria tantum Regna nota sunt, nempè, Novus Mundus, Regna Piru, Mexico, & Basil. Hæc tamen tria sola plus continent, quam tres alie partes mundi. Plura etiam sunt Regna ignota.

963. Duo sunt Poli Mundi: Articum, Stella dicta *El Norte*: & Antarcticum Stella dicta *El Sur*: terra ergo quæ iacet sub his Polis est frigidissima, & ideo à multis dicitur inhabitabilis; quia Sol semper est valde distans ab illis. Terra autem quæ iacet sub Zona Torrida, idest, sub linea Eccliptica, per quam Sol semper discurrit, est calidissima, quia radij Solis directè semper ferunt illam.

964. Circa Terremotus, Affero, eorum causam esse exhalationes spirituosas, subtile, & calidas; quæ in terræ cavitatibus inclusæ, à frigore terræ oblesæ, per antiperistastim fortificantur, & exitum querentes, huc, & illuc discurrent, donec foras erumpunt. Et sicut exhalatio fulminis rumpit nubem, sic ista exhalatio rumpit terram, & facit eam tremere, & hic tremor dicitur Terremotus.

965. Circa generationem methallorum, Affero cum Arist. materiam esse vaporem humidum, & terreum, in terra inclusum; qui propter frigiditatem, & siccitatatem terræ condensatur, & gelatur. Talis ergo vapor gelatus est methallum, sicut vapor gelatus à frigore aeris est ros. Horum causa efficiens sunt Astra: Sol cum suo lumine liquefaciens vapores, & alia Astra cum frigore gelantia illos. Ex diuersa tamen Permixtione vaporis cum exhalationibus terreis, varia oriuntur species methallorum; præcipue tamen sunt septem, nempè Aurum, Argentum, Ferrum, Plumbum, Argentum vivum, Es, & Scannum. Huic usque de Metheoris.

FINIS OPERIS.

# INDEX

QUÆST. PHYSICÆ, ET ALIORVM  
Librorum. Indicem autem Logicum quere in  
fine Logicæ.

Disputatio 1. De obiecto Philosophiae.	Pagina 1.
Disput. 2. De Principijs entis naturalis.	p. 2.
Sectio 1. Aliqua notantur.	p. 2.
Sec. 2. Quot sint principia entis naturalis in facto esse.	p. 3.
Sect. 3. De principijs entis naturalis in fieri.	p. 4.
Sect. 4. Satisfit objectionibus contrarijs.	p. 6.
Disput. 3. De Materia 1.	p. 7.
Sect. 1. Quid sit.	p. 7.
Sec. 2. Quare Materia 1. potius sit subiectum quam forma.	p. 9.
Sect. 3. An materia 1. sit subiectum per aliquid à se distinctum.	p. 10.
Sect. 4. An materia 1. sit pura potentia.	p. 11.
Sect. 5. De appetitu materiæ primæ ad formas.	p. 12.
Sect. 6. Argumenta contraria solvuntur.	p. 13.
Sect. 7. Quomodo dependeat materia prima à forma.	p. 15.
Sect. 8. De distinctione specifica, & numerica materiæ.	p. 17.
Sect. 9. Aliqua difficultates deciduntur.	p. 18.
Disput. 4. De forma substantiali.	p. 19.
Sect. 1. An detur, & quid sit.	p. 19.
Sec. 2. De modo quo formæ substanciales producuntur.	p. 20.
Sect. 3. An eadem materia possit simul naturaliter habere plures formas.	p. 21.
Disput. 5. De unione.	p. 24.
Sect. 1. An sit idem cum extremis?	p. 24.
Sect. 2. An actio eductiva formæ sit via cum materia.	p. 25.
Disput. 6. De privatione.	p. 26.
Sect. 1. In quo stent carentiae.	p. 26.
	Sec.

# INDEX PHYS.

- Sect. 2. Quædam dubia examinantur. p. 28.  
Disput. 7. De toto. p. 30.  
Sect. 1. An totum distinguatur à partibus, & unio-  
ne? p. 30.  
Sect. 2. Argumenta proponuntur contra dicta. p. 31.  
Sec. 3. Aliqua dubia solvuntur. p. 33.  
Disput. 8. De natura, & arte. p. 34.  
Sect. 1. Quid sit natura, & quibus conveniat. p. 34.  
Sect. 2. De motu violento, & an possit Deus violenta-  
re creature? p. 35.  
Sect. 3. De Arte. p. 36.  
Disput. 9. De causa in communi. p. 37.  
Sect. 1. Quid sit. p. 37.  
Sect. 2. De causa in actu primo, & in actu secundo. p. 38.  
Sect. 3. De prioritate inter causam, & effectum, & de  
existentia, quam requirit causa. p. 40.  
Sect. 4. De approximatione inter agens, & passum ad  
operandum. p. 41.  
Sect. 5. An due cause possint se ad invicem causare. p. 42.  
Sect. 6. An una res possit se ipsam reproducere. p. 44.  
Sect. 7. An idem effectus possit simul produci à pluri-  
bus causis totalibus. p. 45.  
Sect. 8. An omnipotencia connectatur cum possibilibus. p. 46.  
Sect. 9. Argumenta contraria solvuntur. p. 48.  
Sect. 10. Aliqua dubia resolvuntur. p. 49.  
Disput. 10. De causa efficienti. p. 51.  
Sect. 1. Quid, & quotuplex sic illa. p. 51.  
Sect. 2. An causa producat aliquid, & quomodo. p. 52.  
Sect. 3. Quid sit causa totalis, & partialis, principalis,  
& instrumentalis. p. 54.  
Sect. 4. De potentia obedientiali. p. 56.  
Disput. 11. De causa efficienti increata. p. 58.  
Sect. 1. An causa prima, concurrat immediate cum se-  
cundis. p. 58.  
Sec.

# INDEX QVÆST.

- Sect. 2. An causa prima, & secunda eadem actione producant effectum. p. 59.  
Sect. 3. An detur physica predeterminatio. p. 60.  
Sect. 4. Ad argumenta contraria respondeatur. p. 63.  
Sect. 5. An Deus determinet quoad individuum causas secundas. p. 64.  
Disput. 1 2. De causa materiali. p. 66.  
Sect. 1. De eius effectu, & causalitate. p. 66.  
Sect. 2. De causa formalis, eius effectu, & causalitate p. 68.  
Sect. 3. Aliqua de effectu secundario negativo. p. 69.  
Sect. 4. An introductio unius formæ sit prior expulsione alterius. p. 70.  
Disput. 1 3. De causa finali, & exemplari. p. 72.  
Sect. 1. Quid sit causa finalis. p. 72.  
Sect. 2. De ratione causandi finis, eius effectu, & actione. p. 73.  
Sect. 3. Aliqua dubia deciduntur. p. 74.  
Sect. 4. De causa exemplari. p. 75.  
Sect. 5. De fato, casu, & fortuna. p. 76.  
Disput. 1 4. De motu, actione, & passione. p. 77.  
Sect. 1. De motu. p. 77.  
Sect. 2. An actio distinguatur ab agente, & termino. p. 79.  
Sect. 3. An actio eductiva realiter distinguatur ab agente, & termino. p. 81.  
Sect. 4. An actio creativa distinguatur ab agente, & termino. p. 82.  
Sect. 5. Alia dubia de actione percurruntur. p. 83.  
Disput. 1 5. Et Sect. 1. De infinito. p. 84.  
Sect. 1. An poni possit in rerum natura infinitum in actu? p. 85.  
Sect. 3. Resolvitur questio. p. 86.  
Sect. 4. Solvuntur argumenta. p. 87.  
Disp. 1 6. Et Sect. 1. De loco reali, & imaginario. p. 88.  
Sect. 1. Despatio imaginario. p. 89.  
Sec.

# INDEX PHYS.

- Sect. 3. An præsentia distinguantur à re præsenti. p. 90.  
Sect. 4. Quotuplex sit presentia localis. p. 91.  
Sect. 5. An idem corpus possit esse in duplice loco? p. 92.  
Sect. 6. An corpus in duplice loco existens, habeat necessario eadem accidentia. p. 93.  
Sect. 7. An duplex corpus possit simul esse in eodem loco. p. 96.  
Disp. 17. Et Sect. 1. De vacuo, & centro. p. 98.  
Sect. 2. De centro elementorum, & motu corporum in vacuo. p. 100.  
Disp. 18. Et Sect. 1. De tempore. p. 101.  
Sect. 2. An duratio distinguantur à re durante. p. 103.  
Disput. 19. De continuo. p. 105.  
Sect. 1. Aristotelis sententia, & aliqua notanda. p. 105.  
Sect. 2. Difficultas duplex proponitur. p. 107.  
Sect. 3. Discutiuntur argumenta philosophica præsentia Aristocelis. p. 108.  
Sect. 4. Alia argumenta de Velocitate. p. 109.  
Sect. 5. Zenonis sententia proponitur, & probatur. p. 110.  
Sect. 6. Probatur eadem sententia in successivis. p. 111.  
Sect. 7. Explicatur continui compositio in sententia Zenonis. p. 112.  
Sect. 8. Explanatur difficultas de velocitate motus iuxta sententiam Zenonis. p. 113.  
Sect. 9. Quomodo defendendus Aristoteles ab argum. Sect. 5. p. 114.  
Disp. 20. De terminis magnitudinis, & paruitatis, ac de inceptione, & desitione rerum. p. 115.  
Sect. 1. An viventia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis. p. 115.  
Sect. 2. An non viventia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis. p. 116.  
Sect. 3. De inceptione, & desitione rerum. p. 117.  
Disp. 21. De propinquitate agentis, & passi. p. 118.  
sec.

# INDEX QVÆST.

- Sect. 1. An naturaliter agens possit agere in distans,  
  quin agat in propinquum. Vide n. 210. p. 118.
- Disp. 22. De inceptione Mundi p. 119.
- Sect. 1. An creatura aliqua permanens potuerit esse  
  ab aeterno. p. 119.
- Sect. 2. An res successiva potuerint esse ab aeterno. p. 119.
- Disp. 23. De principijs proximis motus localis. p. 120.
- Sect. 1. De gravitate, & Levitate. p. 120.
- Sect. 2. Alia de gravitate, & levitate. p. 121.
- Sect. 3. De impulsu. p. 122.
- Disp. 24. Et Sect. 1. De requisitis ad Generatio-  
  nem. p. 123.
- Sect. 2. An detur resolutio usque ad materiam pri-  
  mam. p. 125.
- Sect. 3. Argumenta. p. 126.
- Disput. 25. De Generatione ut sic. p. 127.
- Sect. 1. Quid sit generatio in communi, & eius termi-  
  nus. p. 127.
- Sect. 2. Aliqua dubia. p. 129.
- Sect. 3. Quid sit generatio viventium? p. 130.
- Sect. 4. De causis generationis viventium p. 131.
- Sect. 5. De formatione foetus. p. 133.
- Disput. 26. De Nutritione. p. 135.
- Sect. 1. In quo sicut nutritio, & quomodo fiat. p. 135.
- Sect. 2. Aliqua dubia. p. 136.
- Sect. 3. De alimento. p. 137.
- Disput. 27. Quid, & quosplex sit conversio, p. 138.
- Sect. 1. Definitur. p. 138.
- Sect. 2. Alia difficultas proponitar de termino ad  
  quem. p. 139.
- Sect. 3. De augmentatione. p. 141.
- Sect. 4. De corruptione viventium, morte, interitu, &  
  de illius causis, de fame, & siti. p. 142.
- Sect. 5. Alia argumenta, & dubia. p. 144.
- Disp.

# INDEX PHYS.

Disput. 28. <u>Quid sit alteratio, Intensio, &amp; Remissio.</u>	p. 145.
Sect. 1. <u>Definiuntur.</u>	p. 145.
Sect. 2. <u>Quomodo fiat intensio.</u>	p. 146.
Sec. 3. <u>An isti gradus sint similes imperfectione,</u>	p. 147.
Sect. 4. <u>Argumentis respondetur.</u>	p. 147.
Sect. 5. <u>Aliqua dubia solvuntur.</u>	p. 148.
Disput. 29. <u>De proportione inter agens, &amp; patiens.</u>	p. 149.
Sect. 1. <u>Vtrum simile agat in sibi simile?</u>	p. 149.
Sect. 2. <u>Varia dubia.</u>	p. 151.
Sect. 3. <u>De reactione, &amp; passione.</u>	p. 152.
Disput. 30. <u>De raro, &amp; denso.</u>	p. 154.
Sect. 2. <u>De constitutivo raritatis, &amp; densitatis</u>	p. 154.
Sect. 2. <u>Argumenta.</u>	p. 155.
Disput. 31. & ultima. <u>De elementis.</u>	p. 157.
Sect. 1. <u>Quid sit elementum.</u>	p. 157.
Sec. 2. <u>Quæ qualitates convenient singulis elemen-</u>	
<u>tisi.</u>	p. 158.
Sect. 3. <u>An quomodo possit unum elementum transfire</u>	
<u>in aliud.</u>	p. 160.
Sect. 4. <u>De loco elementorum.</u>	p. 162.
Sect. 5. <u>De mixto, &amp; quomodo maneat elementa in</u>	
<u>illo.</u>	
Sect. 6. <u>De gravitate, &amp; levitate.</u>	p. 163.
Sect. 7. <u>Aliqua dubia solvuntur.</u>	p. 165.
Disput. 32. <u>De vivente.</u>	p. 166.
Sect. 1. <u>Quid sit.</u>	p. 168.
Sect. 2. <u>De vivente in actu 1. &amp; 2.</u>	p. 168.
Sect. 3. <u>Quæ participant rationem vitæ.</u>	p. 170.
Disput. 33. <u>De anima in communi eiusque potentij.</u>	p. 171.
Sect. 1. <u>Definitur, &amp; explicantur eius munera.</u>	p. 173.
Sect. 2. <u>Virum potentiae distinguuntur realiter ab</u>	
<u>anima.</u>	
Sect. 3. <u>De potentia passiva animæ.</u>	p. 174.
Disput. 34. <u>De anima materiali.</u>	p. 175.
	p. 176.

# INDEX QVÆST.

Sect. 1. De eius compositione.	p. 176.
Sect. 2. An potentia materialis possit percipere spiritum.	p. 177.
Sect. 3. De potentijs materialibus externis, & internis.	p. 178.
Sect. 4. An dentur species impressæ.	p. 180.
Sect. 5. De habitibus.	p. 181.
Disput. 35. De anima rationali, eiusque potentijs.	p. 182.
Sect. 1. Explicatur natura, & conditio animæ rationalis.	p. 182.
Sect. 2. De intellectu, & intellectione.	p. 184.
Sect. 3. De veritate actuum intellectus.	p. 186.
Sect. 4. An propositio vera possit transire in falsam	p. 188.
Sect. 5. An propositiones de futuro habeant determinatam veritatem.	p. 190.
Sec. 6. Reliqua de actibus intellectus	p. 193.
Disput. 36. De voluntate.	p. 194.
Sec. 1. De eius natura, & obiecto.	p. 194.
Sec. 2. Quomodo voluntas pendeat ab intellectu.	p. 195.
Sec. 3. De libertate voluntatis.	p. 197.
Sec. 4. De multiplici actu voluntatis.	p. 199.
Sec. vlt. De anima separata	p. 200.
Disput. 37. De Cœlorum natura.	p. 202.
Sec. 1. An Cœlum constet materia, & forma	p. 202.
Sec. 2. De Cœlorum numero, & motu.	p. 203.
Sec. 3. De influxu Cœlorum, & Astrorum.	p. 204.
Disput. 38. De Metheoris.	p. 205.
Sec. 1. De causis Metheororum.	p. 206.
Sec. 2. De Cometis, Metheoris ignitis, & ventis.	p. 207.
Sec. 3. De Nube, Pluvia, Nive, Nebula, & Grandine, Iride, Rore, Pruina, Glatie, Melle, & alys.	p. 208.
Sec. 4. De maris fluxu, & refluxu, & de fluminibus.	p. 210.
Sec. vltim. De Terremotu, & generatione metballo-	
r um.	p. 210.

IN-

# INDEX PHYSICVS RERVM , ET VERBORVM.

*Numerus indicat Marginalem.*

**A**ctio eductiva, an sit vno formæ cum materia? 131. An distinguatur ab agente, & termino? à n. 367, 376. Quid de actio ne creativa? à n. 387. An omnis actio sit intrinseca termino? 388. A quo specificetur actio? 390.

Actus intellectus, vide *Intellectus, Veritas.*

Alimentum, vide *Nutritio.*

Alteratio quid sit? 700. Eius variæ acceptiones, 699.

Anima quid? 818. Quotuplex? 819. Est actus informans, 820. Nō distinguitur realiter à potentijs, 824. Recipit immediate suos actus, 831. Quæ materialis est partes habet integræ, 835. Homogeneas, & similares, 838..

Animæ rationalis natura, à nu. 859. Eius potentia intellectiva, à n. 864. Vide *Intellectus, Intellectio.* De voluntate à n. 901. Vide *Voluntas.* De Anima separata, à n. 923.

Apperitus materiæ ad formas, vide *Materia.*

Ars est Habitus recta eum ratione factivus, 186. Solum concurrit moraliter directivè, 187. Artefacti forma, à n. 190.

Augmentatio quid? 676. In qua actione consistat? à n. 677.

Carentia, vide *Privatio.*

Causa in communi quid? à num. 192. Quid dicat in actu primo proximo? 199. 200. In actu 2. constituitur per causalitatem, 201. Prior est natura suo effectu, 204. Nequiss causare quin existat, 208. Excipe causam finalem, 206. Ut operetur naturaliter in distans aliquid debet diffundere per medium, 211. Secus divinitus, 213. An duæ causæ possint se ad invicem causare? à n. 215. An & una res se ipsam reproducere? 221. Ide effectus potest produci divinitus à multiplici causa totali, 226 non vero naturaliter, 227. Vide *Omnipotentia.*

Causa efficiens quid, & quotuplex, à n. 248. Una substantia immediate producit aliam, 253. An & accidentia insinuant partialiter cum substantia? 258. Causa prima, & secunda cadenti actione effectum producunt, 278. Vide *Deus. Physica prematio.*

Causa materialis quid? 308. Eius causalitas, 313. Propriè est causa, 309.

# INDEX PHYSICVS.

Causa formalis, eiisque causalitas à n. 314. Eius est: *Causa secundarius*, nempe expulsio, 320. *An introductio formæ sit prior expulsione alterius*, à n. 327.

Causa finalis est, id cuius gratia aliquid fit, 333. Propriè convenit ratio finis fini *cuius*, & qui. *Ratio causandi finaliter*, 337. Causalitas causæ si ialis, 340. Moraliter tantum iofuit in effectus, 341. Quænam hi sint? 339. Quænam, operentur propter finem? à n. 342.

Causa exemplaris, à n. 346. Cogitatio (speculativa non est exemplaris, 348. *Cum nec peccata?* 350. Solus stat causa exemplaris in obiecto, quod Artifex intendit imitari, 351.

Cœlorum natura, 928. An sint solidi, an fluidi? 930. Cœlorum numerus, à n. 933. Motus 936. Influxus Cœlorum & Astrorum à n. 931. Cometa quid? 949.

Compositum ex materia, & forma spirituali non repugnat, 169. Nec corpus carens compositione partium, 172.

Continuum aliud permanens, aliud successivum, 504. Eius partes vniuntur media vnione superaddita, 505. Necesse est, quod in eodem induit indivisibilia terminativi, 507. Quænam dicantur partes aliquotæ? 508. Quænam proportionales? 509. An he sint infinitæ simpliciter? 516. Argumenta pro sententia Aristotelis, 518. Quæ militant pro sententia Zenonis, à n. 525. Quomodo cum ea componatur velocitas, & tarditas motus? 539.

Conversio quid & quotuplex? à n. 661. An terminus à quo in ea debet destrui? 664. An & terminus ad quem de novo produci? 669. Corruptio viventium à n. 81. eius causa, 684. 685.

Creatura permanens an potuerit esse ab æternor? 566. An & successiva? 569.

Deus immediatè concurrevit cum creaturis ad eorum operationes, 273. Eadem actione, qua creatura, 278. An prædeterminet causas secundas ad operandum? 283. Num determinaret quoad individuum à n. 297. Vim potest inferre creaturis, 182.

Duratio, vide *Tempus*.

Elementum est ens naturale duas exigens primas qualitates, 756.

Quæ qualitates singulis elementis convenient? 761. An & quomodo unum elementum possit transire in aliud? 771. De elementorum loco, à n. 778. Quomodo maueant elementa in mixto? 781. Exigentia an sit connexio, 242. An omnis ordo transcendentalis sit exigentia? 241.

Fatum, casus, & fortuna, 333.

Fœ-

## RERVM, ET VERBORVM.

Effectus efformatio accuratè descripta, à n. 635.

Forma substantialis quid? 102. Non est tota quidditas cōpositi, 103.

Quæ sublunares sunt, producuntur dependenter à materia, 105.

Quæ materialis sunt possunt diuinitus creari, 107. Et anima rationalis educiri, 108. Nequeant esse naturaliter plures formæ substancialiæ in eadem materia, 112. Benè verò diuinitus, 113.

Fulgur quid? 952.

Generatio quas dispositiones requirat, à n. 583. Accidentia quæ ad illam disponunt recipiuntur in quantitate, 586. Quantitas verò in sola materia prima, 584. Ingenito manent accidētia corrupti, 593. Ultima dispositio ad formam non potest pendere in suo primo esse ab illa, 603.

Generatio in communi quid? 607. Eius terminus. Ibidem. An generatio substantialis distinguatur ab alteratione, seu actione, qua prōducitur ultima dispositio ad formam? 609.

Gravitas, & levitas quid? 576. An gravia gravitent, & levia levitent in centro? 577. Per virtutem intrinsecam moventur in illud, 571. A quo talis motus proveniat? 572. Formæ, quibus redditur res gravis aut levis distinguntur realiter à subiecto gravi vel levi, 787. An aér, vel ignis gravitent in proprijs locis? 791. Quid de aqua, & terra? 793.

Habitus quid? 856. An differant ab specie impressa? 857. In quo differat à dispositione? 856.

Inceptio, & desitio rerum, à n. 537.

Infinitum est, cuius aliquid semper est extra, 394. Aliud est infinitum simpliciter, aliud secundum quid, 395. An possit dari infinitum in actu? à n. 399.

Intellectus est potentia spiritualis expressiva obiecti sub ratione veri, 864. Intellectus agens & paciens solum differunt ex parte modi, ibidem. In quo sensu dicatur memoria? 865.

An in eodem intellectu possint esse simul fides & evidētia de eodem obiecto? 896. An assensus & dissensus? 898.

Intellectio non producitur per actionem à se distinctam, 868. Si per eam produceretur in sola qualitate producta consisteret, 869. Veritas actuum intellectus, vide *Veritas*.

Intensio, vide *Qualitas*.

Libertas, vide *Voluntas*.

Locus realis & imaginarius, à n. 420. An ab illo, & à corpore praesenti distinguitur praesentia localis? 435. 438. Effectus formalis praesen-

# INDEX PHYSICVS.

sentia, 456. Quia ratione différant præsentia definitiva, & circumscriptriva? 442. Idem corpus potest esse circumscriptivè in duplicito loco, à n. 446. An corpus bilocatum deberet habere eadem accidentia? 455. An duplex corpus possit esse simul in eodem loco? à n. 460.

Maris fluxus, & refluxus, 959.

Materia prima quid? à n. 45. Cur potius sit subiectum quam formam? n. 56. An sit pura potentia? à n. 63. Eius appetitus ad formas, 70. Magis appetit formam perfectiorem, quam alias, 75. Divinitus potest existere absque omni forma, 92. Non vere naturaliter, 83. Materiae sublunares solo numero distinguuntur, 90. Divinitus potest educi, 99. Eius proprietates, 96.

Mel ex quo fiat? 958. Metallorum cause, 964. Metheora quæ dicantur, 941. Eorum cause, à n. 942. Vbi curiosa de septem Planetis. Metheora in particulari, à n. 949. Ignita, ibidem, & n. 950.

Mixtum quid? 783. Tripliciter sumitur, 781. An in mixtione clementorum maneant ipsa elementa? 783. Versus Sed dubium est.

Motus violentus, 181. An Deus possit vim creaturis inferre? 182. Motus, qui est actio, quid? 458. Alius est instantaneus, alius successivus 363. Vtique convenit propriè ratio motus, 364.

Natura quid sit, & quibus conueniat? 175. Sufficit quod sit principium passivum, 178. Materia, & formæ conuenit ratio naturæ, 177.

Nutritio est conversio alimenti in substantiam alti, 645. Quomodo fiat? Ibidem, & in sequēt. In quo sit nutritio hominis? 648. In quo nutritio aliorum viventium? 649. An fiat in instanti, an successivè? 652. An sit necessaria viventi corporeo, ut conservetur? 654. Quæ partes viventis nutriantur? 655. Aliqua viventia possunt nutriti ele- mentis, 660.

Omnipotentia dicit ordinem transcendentalem ad creaturas possi- biles, 231. Non vero connexionem essentialiem, 232.

Ordo transcendentalis an sit exigentia? 241. An connexio? 231, 234. Physicæ obiectum materiale, & formale, à n. 1. Non est simplex qua- litas, 4. Distinguitur ab alijs scientijs, 5. Partim est practica, par- tim speculativa, 7.

Pluvia nubis, nix grando, ros, pruina, glaties, quid? à n. 954.

Possibilia transcendentaliter referuntur ad Deum, & cum ipso es- sentialiter connectuntur, 244.

Potentia obedientialis quid? 265. Datur in qualibet creatura ad quos- cumque effectus producendos, 266.

## RERVM, ET VERBORVM.

Potentiae an realiter distinguantur ab anima? 23. An potentia materialis possit percipere spiritum? 839. Potentiae materiales tantum internae, quam externe, earumque actus & obiecta, à n. 843.

Prædeterminatio physica superflua est in causis necessariis, 284. Et in non necessariis nociva libertatis, à n. 286.

Præsentia an distinguantur à re præsentis? 435. An sit modus? 438. Quod complex sit præsentia? 441. Vide *Locus*.

Principium quid? 8. Principia entis naturalis in facto esse, 15. infra, 24.

Privatio, seu carentia, à n. 138. Quæ aptitudo requiratur ad privationem? 139. Non omnis privatio distinguuntur essentialiter à negatione, 141. Datur carentiae extra subiectum 147. Non datur privatio privationis, nec carentia carentia, 148.

Propinquitas requisita inter agens, & passum, à n. 562. Vide *Causa*.

Qualicatum intensio fit additione gradus ad gradum, 705. Gradus hi similes sunt in perfectione, 707. Possibilis est qualitas intenſa per gradus dissimilares, 708. Fit satis oppositis, à n. 709. Quæ qualitates convenient singulis elementis? 761. Intensio per Antiperistastim quomodo fiat? 726.

Quænam sit causa intensionis per reflexionem? 729.

Quantitas in sola materia prima recipitur, 584. Cætera accidentia quæ ad introductionem formæ disponunt, recipiuntur in quantitate, 586.

Rarum, & densum quid? à n. 742. Raritas non stat in apertione porrorum, & ingressione corpusculorum, 744. Sed in apertione porrorum, & carentia ingressione corpusculorum eiusdem speciei, 746. Solvuntur opposita, à n. 749.

Reactio, & repatatio, à n. 733. Commune illud, quod agens agendo repatur, explicatur, ibidem, & præsentim à n. 735. An semper agens repatiatur agendo? 741.

Remissio stat in defitione vñionis inter vnum gradum qualitatis ad aliū, 702.

Roris natura, & causa, 957.

Simile an agat in simili? à n. 719.

Spatium imaginarium quid? 430. Fingunt, qui asserunt esse ens rationis, 431. An Deus sit in spacijs imaginarijs, & extra Cœlum? 434. Vide *Locus*, *Præsentia*.

Speciei impressæ existentia suadetur, à n. 850. Eius munera, 851. Species intense non differunt ab habitibus? 857.

## INDEX PHYSICVS

Substantia creata immediate influit in aliam, 253. Vide Causa. An elevari possit ad creandum? 391.

Tempus reale quid? 484. An idem numero motus qui constituit diē hodiernū possit constituerē crastinū? 486. Tempus imaginariū declaratur, à n. 489. Duratio quid sit, & an distinguatur à re durante? à n. 492.

Termini magnitudinis, & paruitatis, à n. 548.

Terremotus quid? 961. Vbi de partibus mundi.

Totum non distinguitur à partibus simul sumptis, 156. A partibus seorsim sumptis distinguitur inadæquatè, 158. Non repugnat totum ex materia, & forma spirituali, 169. Nec corpus omnino simplex, 172.

Vacuum quid? 469. Cur non detur in natura? 470. Quia virtute moveantur corpora ad illud impediendum? 472. An possit Angelus illud causari? 477. An possit moveri corpus in vacuo? 480.

Veritas actuum intellectas, à n. 870. An propositio vera possit transire in falsam? à n. 877. An propositiones de futuro habeant determinatam veritatem? 886.

Vivens est quod movetur ab intrinseco? 797. An & quomodo moveri Deo conveniat? 801. Cur gravia, quæ ab intrinseco moventur, non vivant? 802. Cur nec essentiae producēdo suas proprietas? 803. Vivens in actu 1. & 2. à n. 806. Quæ paticipent rationem vitæ? à num. 811.

Voluntatis natura, & obiectum, à n. 901. Quia ratione pendeat ab intellectu? à n. 905. Illuminative tantum actus intellectus ad actus voluntatis concurrunt, 906. Libertas quid? 912. Radicaliter tantum stat in intellectu, 916. Libertas quoad exercitium, & quoad spe- ciem, 917. Multiplex voluntatis actus, à n. 918.

## FINIS TOTIVS OPERIS.

